







BREVIARIUM CARCASSONENSE,

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris, DD. ARMANDI BAZIN DE BESONS, Carcaſſonenſis Epiſcopi, auctoritate, ac venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu, editum.

PARS VERNA.



PARISIIS,

Apud { J. B. COIGNARD, Regis Typographum, Et Fratres GUERIN.

M. DCC. XLV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.






ARMANDUS
BAZIN
DE BESONS,

MISERATIONE DIVINA,
& Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ,
Episcopus Carcassonensis:

CLERO CARCASSONENSI

Salutem & benedictionem
in Christo Jesu.



UM legem a credendi lex statuat supplicandi, FRATRES CHARISSIMI, fidesque ex publicis Ecclesiæ precibus potissimùm appareat, proprium est ac præcipuum Episcoporum munus curare, ut communes illæ precationes, quibus ante Thronum Dei *fidelium vota, tamquam* incensa multa, b *jugiter deferuntur, religionis veritati ac dignitati aptissimè omni ex parte conveniant.*

a Cælest. Epist. ad Episc. Gall. c. 8.

b Apoc. 8. 3. 4.

Quam ob rem à Concilio Tridentino, c *Episcoporum curæ & autoritati demandatum est, ut ad eos præcipuè libros, quibus publicarum precum materia continetur, attendant animum : idque sedulò perficiant,*

c Sess. 25.

ne quid irrepat divini cultûs absonum sanctitati; aut si fortè quid ejusdem decori, integritati, ac majestati minùs consentaneum illevisset error, vel ignorantia, hoc omne penitùs expungatur.

Huic legi summus Pontifex Pius V. correcto Breviario quo Apostolica ipsa utebatur Ecclesia, plenum autoritatis insuper exemplum adjecit; idemque posteà ab Episcopis passim susceptus labor. Indè sensim, si quid in Breviariis, librisque aliis Ecclesiasticis mendosum esset, aut saltem minùs accuratè digestum, non semel recisum est: quod quidem, nostrâ hâc præsertim ætate, plures Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi tentaverunt majore cum diligentia ac delectu, & multa non sine laude perfecerunt.

Eorum nos exemplum ut sequeremur, operæ pretium fore duximus, FRATRES CHARISSIMI, *novum hoc Breviarium in hujusce Diœceseos usum emittere. Hoc verò eo majore studio sumus aggressi, quòd apertam jamdudum ab Ecclesia Metropolitana semitam ineundo, & muneri nostro, & totius Cleri nostri votis faceremus satis; ac præclaram aliunde veteremque hujus, quæ nobis à Deo concredita est, Ecclesiæ* [d] *hæreditatem publicis etiamnum apud nos testatam tabulis, ut suum sibi Breviarium, suum sibi officium ritumque haberet, desuetam revocaremus.*

d Missal. Carcas. an. 1472. item Breviar. Carc. an. 1538.

Quod quidem opus ut quàm absolutissimum & utilitati vestræ convenientissimum in manus vestras veniret, FRATRES CHARISSIMI, *nihil à nobis diligentiæ prætermissum est: neglectumque nihil, ut illud tandem & divini cultûs splendori, & nostris quæ communem omnium sanctificationem spectant, votis responderet. Quâ autem ratione elaboratum sit ac concinnatum, quâve lege singula totius operis membra compacta sint atque digesta, ut ejusdem usus fiat omnibus facilior & planior, in ipso limine, breviter aperiendum esse judicavimus.*

Hanc porrò esse Breviarii mentem ut & precandi formulas complectatur, & documenta suppeditet, nullus profectò ignorat. In ejusmodi opere ad alterutrum omnia spectare necesse est. Quæcumque autem Chorus tota decantat, Psalmos, Cantica, Hymnos, Responsoria, Antiphonas, Versiculos, iis precationes contineri notum est. Quæ verò unius voce proferuntur, ut Lectiones, Capitula, & Canones, ea pertinent ad

torum documentum qui aut Officium privatim recitant, aut publice intersunt.

Ac primùm quidem quòd spectat ad precationem, quæ & potior Breviarii pars & latiùs diffusa est, cùm verissimum illud sit quod aiebat quondam Cyprianus, [e] Amicam & familiarem esse orationem, Deum de suo rogare; *hoc loco vos monitos volumus*, FRATRES CHARISSIMI, *maximam in eo præsertim curam à nobis adhibitam fuisse, ut, si excipiantur Hymni, Antiphonæ quædam, Orationes, ac Lectiones nonnullæ, singulæ Officii partes è sacra depromerentur Scriptura, quæ, ut scitis*, divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia. [f]

Eamdem verò in partiendo Psalterio rationem secuti sumus, quam in aliis Ecclesiis jam institutam invenimus. Sui singulis cujusque hebdomadæ diebus, imò & singulis cujusque diei Horis addicti sunt Psalmi, ita dispositi, ut omnes, ferè semper, intra unius hebdomadæ spatium perlegantur. Qui longiùs excurrebant, eos divisimus; qua in re, veteri huic ac gentilitiæ legi obsecuti sumus, quâ in Provincia Narbonensi antiquitùs sancitum fuit, ut per majores Psalmos pausationes fierent, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantaretur. [g] *Eâdem autem Psalmorum partitione precum inæqualitatem sustulimus, & ad justiorem modum contraximus nimiam officiorum prolixitatem: non eâ sanè mente, ut aliquid ex iis subduceretur quæ Deo deberi sentimus, sed ut recitantium animi minùs jam gravarentur, Cantoresque jam lento spiritu & distincto verba omnia pronunciarent.*

Quoniam verò animus rerum tenore nimiùm æquabili plerumque dejicitur, & varietate aliquâ certiùs & faciliùs ad pietatem inescatur, ex aliis quoque Breviariis exemplum sumpsimus, ut cujusque diei officio suus quidam scopus, certumque discrimen assignaretur; sicque sua cuique diei tribueretur ad meditandum materia. Die Dominicâ, quâ Dei potestas in mundo creando salvandoque præcipuè colitur, & quæ creatæ lucis dies est, excitatur in fidelium animis Dei & divinæ legis amor. Feriâ secundâ, benigna Dei erga homines charitas & beneficentia celebratur. Tribus proximè sequentibus feriis amor proximi, spes,

[e] Lib. de Orat. Dom. post init.

[f] 2. Tim. 3. v. 16.

[g] Conc. Narb. an. 689. c. 2.

præ cæteris seligendos curavimus, qui lumen veritatis mentibus parerent, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam. l

l Ibid.

Morem quoque demùm illum omnium recentiorum Breviariorum, quo in Officio Primæ leguntur Canones Conciliorum imitati sumus. Ii autem ferè omnes hausti sunt è Generalibus, aut Provincialibus Conciliis; atque ex iis præsertim quæ in hac Provincia habita sunt: quibus nonnulla passim ex antiquioribus hujusce Diœceseos Synodis Statuta adjungi voluimus. Quidquid autem ad tuendam Ecclesiæ disciplinam, aut ad fingendos Cleri mores utilissimè institutum est, id omne illorum Canonum serie elucescet.

Eâ tandem ratione, FRATRES CHARISSIMI, *totum elaboratum est opus, ut parata sint Sacerdotibus subsidia quibus suam ipsi pietatem enutrire, ac populos sibi commissos scientiâ salutis faciliùs possint instruere. Hinc Verbi Divini dispensatores non largas quidem, sed salubres aquas haurire poterunt, quibus pia animarum Christianarum sitis expleatur. Hinc ipsi altarium Ministri veræ pietatis morumque regulas elicient, & opem quoque ferent facillimam ad orationem mentalem cœlestiumque rerum commentationem, ex quâ ipsa eorum oratio quæ vocalis dicitur, vim suam omnem accipit.*

Unum igitur superest, FRATRES CHARISSIMI, *hortari vos in Domino, ut has preces eâ, quâ par est, animi attentione, religione, ac pietate recitetis. Vestris porrò auribus assiduè insonet vox illa Dei quondam populum suum objurgantis, quòd labiorum tenùs adoraret, & mente procul abesset. Non enim solo & inani verborum sonitu precandi munus peragitur, sed* spiritu & mente; m *sed* continuato cordis desiderio, *ut ait S. Augustinus.* n Multùm enim precari est, ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulsare. o Orate igitur certatim, concordique & sancto certamine; & sanè memineritis & pro nobis orare. p Obsecro ergo vos, fratres, q per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. r Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus, & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolatio-

m 1. Cor. 14. 15.
n Epist. 130. ad Probam. n 9.
o Ib 30.
p Ib. 31.
q Rom. 15. v. 30.
r 2. Th. 2. v. 15. 16.

nem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono.

Mandamus itaque omnibus Diœceseos nostræ Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Communitatibus, Ordinibus, necnon & omnibus Clericis qui ad illud tenentur seu ratione Beneficii, seu ratione sacrorum Ordinum, seu aliâ quâlibet ratione, ut hocce Breviario nostro à nobis ita digesto & concinnato utantur: districtè videlicet inhibentes, ne aliud quàm hoc nostrum, sive privatim, sive publicè, in posterum recitare præsumant.

Datum Carcassonæ in Palatio nostro Episcopali die octava mensis Junii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti.

✝ ARMANDUS, Episc. Carcassonensis.

De Mandato
BUTEL.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	*Aureus Nu.*	*Epactæ.*	*Indictio.*	*Lit. Domin.*	*Dom. post Epiph.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*
1745	17	xxvj	8	c	5 †	14 Febr.	3 Mart.
1746	18	vij	9	b	4 †	6 Febr.	23 Febr.
1747	19	xviij	10	A	3	29 Jan.	15 Febr.
1748	1	xxx	11	g f	5	11 Febr.	28 Febr.
1749	2	xj	12	e	3 †	1 Febr.	19 Febr.
1750	3	xxij	13	d	2 †	25 Jan.	11 Febr.
1751	4	iij	14	c	5	7 Febr.	24 Febr.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Febr.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Febr.	7 Mart.
1754	7	vj	2	f	4 †	10 Febr.	27 Febr.
1755	8	xvij	3	e	2 †	26 Jan.	12 Febr.
1756	9	xxviij	4	d c	5 †	15 Febr.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	4 †	6 Febr.	23 Febr.
1758	11	xx	6	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1759	12	j	7	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1760	13	xij	8	f e	3 †	3 Febr.	20 Febr.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Febr.
1762	15	iv	10	c	4 †	7 Febr.	24 Febr.
1763	16	xv	11	b	3 †	30 Jan.	16 Febr.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3 †	3 Febr.	20 Febr.
1766	19	xviij	14	e	2 †	26 Jan.	12 Febr.
1767	1	xxx	15	d	5 †	15 Febr.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3 †	31 Jan.	17 Febr.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1770	4	iij	3	g	4	11 Febr.	28 Febr.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Febr.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1778	12	j	11	d	5 †	15 Febr.	4 Mart.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	*PASCHA.*	*Ascensio Domini.*	*Pentecostes.*	*Fest-Corp. Christi.*	*Dom. post Pent.*	*Domin. prima Adv.*
1745	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1746	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii	25	27 Nov.
1747	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1749	6 April	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Maii	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii	28	3 Dec.
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1763	3 April.	12 Maii	22 Maii	2 Junii.	26	27 Nov.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii	22 Maii.	2 Junii	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii	6 Junii	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Juni..	24	29 Nov.

In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. *significat anno :* c. an. *circa annum :* s. *seculo :* c. med. s. *circa medium seculi :* c. fin. s. *circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur caracteribus, feriantur apud populum.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *Solemne-minus.*
xxix	b	iv	2	Basilii magni, Cæsariensis in Cappadocia Episc. & Eccl. Doct. *Semi-duplex.* Obiit 1. Januar. an. 379.
xxviij	c	iij	3	Genovefæ, Virginis Paris. *Simplex*, an. 512.
xxvij	d	Prid.	4	Ferreoli, Ucetiensis Episc. *Semid.* c. an. 581. cum *comm.* S. Titi, Episc. Cretensis & Discip. beati Pauli, an. 90.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ *sine jejunio.*
25. xxv	f	viij	6	*EPIPHANIA DOMINI*, *Solemne-majus.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ, *Semid.* SS. Juliani & Basilissæ in Ægyp. Mart. *comm.* init. iv. s.
xxiij	A	vj	8	De Octava Epiphaniæ, *Semid.* cum *comm.* S. Luciani, Presb. & Mart. an. 290.
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
xxj	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
xix	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ, *Semid.*
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, & Baptismus Domini, *Duplex-majus.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Episc. & Eccl. Doct. (è 13.) *Duplex-minus*, c. an. 368. cum *comm.* S. Felicis, Presb. Nol. c. an. 265.

JANUARIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xvj	A	xviij	15	Pauli, Eremitæ, *Simplex*, c. an. 342. cum *comm.* S. Mauri, Abbatis, an. 604.
xv	b	xvij	16	
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *Semid.* an 356.
xiij	d	xv	18	Pontificatûs, seu Cathedræ S. Petri Apost. quâ primùm Antiochiæ, c. an. 36. tum Romæ sedit, c. an. 43. vel 48. *Duplex-minus.*
				Prima Septuagesima.
xij	e	xiv	19	
xj	f	xiij	20	Sebastiani, Mart. *Duplex-majus.* c. an. 288. (*Festum in utraque urbe : in tota Diœcesi, Missa de præcepto.*) cum *comm.* S. Fabiani, Papæ & Mart. an. 250.
x	g	xij	21	Agnetis, Virg. & Mart. *Semid.* an. 303. vel 304. cum *comm.* SS. Fructuosi & Socior. Mart. c. an. 257.
ix	A	xj	22	Vincentii Cæsar-Augustani, Diaconi & Martyris Valentiæ in Hispania, an. 303. vel 304. *Duplex-majus.* (*In Colleg. Eccl.* Annuale.)
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli, *Duplex-majus*, an. 30. vel 31. aliis 34. vel 35.
v	e	vij	26	Polycarpi, Smyrnensis Episc. & Mart. *Semid.* an 169.
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi, Episc. & Eccl. Doct. *Semid.* (è die 14. Sept.) an. 407.
iij	g	v	28	Francisci Salesii, Genev. Episcop. (è 28. Dec.) *Duplex-minus*, an. 1622.
ij	A	iv	29	(In Colleg. Eccles. Octava S. Vincentii, *Duplex-minus.*)
j	b	iij	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semiduplex*, c. an. 680.

MARTIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis.	
				Primum Novilunium Paschale.
xxij	c	vij	9	Martyrum qui pro libris sacris interiêre, *Simplex*, an. 303.
xxj	f	vj	10	
				Ultima dies Cinerum.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patricii, Episc. & Hibernorum Apostoli, *comm.* c. an. 460.
xiij	g	xv	18	Cyrilli, Hierosolym. Episc. *comm.* an. 386.
xij	A	xiv	19	Josephi, Sponsi B. Mariæ, *Duplex-majus.* 1. c.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	*ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI, Solemne-majus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Feriâ sextâ post Dominicam Passionis fit Officium de Compassione B. Mariæ, *Duplex-minus.*

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies	Mensis.	
xxix	g	Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula, Institut. Ord. Minim. *Semid.* an. 1507.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		FEBRUARIUS.
viij	c	ix	21	*Ultima Septuagesima.*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ, APOSTOLI, *Duplex majus*, 1. cl. [*Officium hâc alterutrâ die; festumque, si in diem Dominicam inciderit: sin minùs, fit die Dominicâ, quæ diem* 24. *aut* 25. *antecedit.*]
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	Martyrum qui obiêre in charitatis officio, erga pestilentiâ afflict. Alexandriæ, *Simplex*. an. 263.

In anno Bissextili Februarius est dierum 29. *& Festum S. Matthiæ celebratur* 25. *Februarii, & bis dicitur* sexto Calendas, *id est* 24. & 25. *Littera Dominicalis quæ assumpta fuit mense Januario, mutatur in præcedentem, ut si in Januario Littera Dom. fuit* A, *mutatur in* g, *& sic de aliis.*

MARTIUS.

*	d	Cal.	1	Albini, Andegavensis Episcopi, *Simplex*, an. 550.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ & Felicitatis, Mart. *commem.* c. an. 204.
xxiij	d	viij	8	

MAIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	
				81.** 82. cum *commem.* S. Theodardi, Narbon. Episc. an. 893.
xxvij	c	vj	2	Athanasii, Alex. Episc. & Eccl. Doctoris, *Duplex-minus*, an. 373.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *Duplex-maj.* an. 326.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Viduæ, *Simplex*, an. 387.
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apost. & Evang. ante Portam Latinam, *Duplex-minus*, an. 95.
xxij	A	Non.	7	Fulcrani, Lodovensis Episc. *Semiduplex*, an. 1006.
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni; Constantinop. Episc. & Eccl. Doct. *Semiduplex*, an. 391.
				Prima Pentecoste.
xix	d	vj	10	Mamerti, Vienn. Episc. *Simplex*, post an. 475.
xviij	e	v	11	Pontii, Martyris, *Semiduplex*, c. an. 258.
xvij	f	iv	12	Epiphanii, Episc. & Eccl. Doct. *Simplex*, an. 403.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Pachomii, Abbatis, *Simplex*, an. 348. vel 349.
xiv	b	Idib.	15	Guimerræ, Carcassonensis Episc. *Duplex-majus*; (in Cathedr. *Solemne-min.*) c. an. 931.
xiij	c	xvij	16	Martyrum pro unitate Catholica occisorum, *Simplex*, an. 459.
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	
ix	g	xiij	20	Baudelli, Martyris Nemausen. *commem.* c med. 111. s.
viij	A	xij	21	Lupini Presbyt. & Eccl. Carcasson. Canonici, *Duplex-minus* (in Cathedrali, *Solemne-minus*) c. an. 852.
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		APRILIS.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	
xxv. xxiv	d	Non.	5	
				Ultimum Novilunium Paschale.
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Justini, Mart. *Simplex*, an. 167. vel 168.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	Martyrum pro solemnitate Paschali occisorum, *Simplex*, an. 459.
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii, Martyris, *commemoratio*, c. an. 303.
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci, Evang. *Duplex-majus*, c. an. 68.
				Ultimum Pascha.
iij	d	vj	26	
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Aphrodisii, Biterrensis Episc. & Mart. *Simplex*, c. an. 255.
*	g	iij	29	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, (d. 1.) *Semiduplex*, v. vel vi. s.
xxix	A	Prid.	30	Eutropii, Santonensis Episc. & Mart. *Simplex*, iii. s.
				MAIUS.
xxviij	b	Cal.	1	PHILIPPI * & JACOBI ** (ALPHÆI) APOST. *Duplex-maj.* * post.

JUNIUS.

Cycl. Epact.	Lit. Dom.		Dies Mensis.	
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	
xiij	d	xviij	14	*Ultima Pentecoste.*
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ, Mart. *Simplex*, an. 305.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Amandi, Burdeg. Episc. *Commem.* c. an. 432.
viij	b	xiij	19	Gervasii & Protasii, Mart. *Simpl.* 1. *vel* 11. *s.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Sylvestri, Papæ (è 31. Decemb.) *Semidupl.* an 335.
	e	x	22	Paulini, Nolani Episc. *Simplex*, an. 431.
iv	f	ix	23	Vigilia *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPT. *Solemne-min.*
				Ultimus terminus Festi Corporis Christi.
ij	A	vij	25	De Octava Nativ. S. Joann. Bapt. *Simplex*, cum *Commem.* sancti Prosperi, Eccl. Doct. an. 456. vel 457.
j	b	vj	26	De Octava, *Simplex*, cum *Commem.* SS. Joannis & Pauli, Romæ Mart. c. an. 362.
*	c	v	27	Irenæi, Lugd. Episc. & Eccl. Doct. ac Soc. Mart. *Duplex-min.* c. an. 201. *Commem.* Octavæ S. Joan. Bapt.
xxix	d	iv	28	Vigilia *cum jejunio*: *Commem.* Oct. S. Joan. Bapt.
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOST, *Solemne-minus*: c. an. 66. *Commemoratio* Octavæ S. Joan. Baptistæ.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apost. *Duplex-majus.*

JULIUS.

Cycl. Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis.		
xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativit. S. Joan. Bapt. *Semiduplex* : cum *commem.* S. Martialis primi Lemovicensis Episcopi, 111. f.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. M. V. *Duplex-majus.*
xxiv	b	v	3	De Octava SS. Apostolorum Petri & Pauli, *Simplex.*
xxiij	c	iv	4	Ordinatio * & Translatio ** sancti Martini, Turon. Episc. *Semidup.* * an. 372. ** 473. cum *commem.* Octavæ.
xxij	d	iij	5	De Octava SS. Apost. Petri & Pauli, *Simplex.*
xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Apost. Petri & Pauli, *Semiduplex.*
xx	f	Non.	7	Pantæni, Presbyt. Alexandrini, *Simplex*, c. an. 214.
xix	g	viij	8	
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & Felicitatis matris eorum, Romæ Mart. *Simplex*, c. an. 150.
xvj	c	v	11	Benedicti, Cassinensis Abbatis. (è 21. Mart.) *Semiduplex*, an. 543. *Translatio hâc die*, c. ann. 653.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episc. & Eccl. Doct. *Semiduplex*, an. 1274.
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvij	16	
x	b	xvj	17	Sperati & Sociorum, Mart. *Simplex*, an. 200.
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Doctoris (è 7. Mart.) *Duplex-minus*, an. 1274. *Canonizatio hâc die* : c. an. 1323.
viij	d	xiv	19	Arsenii, Diaconi Romani, solitarii Scetis, *Simplex*, an. 445.
vij	e	xiij	20	
vj	f	xij	21	Victoris Massiliensis, Mart. & Sociorum, *Semiduplex*, c. an. 290.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex-majus*, 1. seculo.

JULIUS.

Cycl. Epact.	Lit. Dom.		Dies Mensis.	
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravennensis Episc. & Mart. *Simplex* I. *vel* II. f.
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	JACOBI (ZEBEDÆI) APOST. *Duplex-majus*, an. 44. (*Hâc die Offic. sancti Jacobi; Festumque, si in diem Dominicam inciderit: sin minùs, fit die Dominica*, 25. *diem antecedente.*) cum *Commem.* S. Christophori, Mart. in Licia, III. f.
j	d	vij	26	JOACHIM ET ANNÆ, parentum B. Mariæ Virginis, *Duplex-majus*. (In Cathedr. *Solemne-minus*; Festumque in Civitate ejusque Suburbiis propter insignem Reliquiam.)
*	e	vj	27	Vigilia, *sine jejunio*.
xxix	f	v	28	*NAZARII ET CELSI, MART.* Eccl. Cathed. & totius Diœcesis Patronorum, *Annuale*, I. *vel* II. f.
xxviij	g	iv	29	De Octava SS. Mart. Nazarii & Celsi, *Semiduplex*.
xxvij	A	iij	30	Ignatii Loiolæ, Presb. Inst. Soc. Jesu, *Semiduplex*, ann. 1556. *Commem.* Octavæ.
25. xxvj	b	Prid.	31	Germani Autissiodorensis Episc. *Semid.* an. 448. *Commem.* Octavæ.

AUGUSTUS.

xxv. xxiv	c	Cal.	1	Petri Apost. ad Vincula, (è 20. Apr.) *Duplex-minus*, an. 44.
xxiij	d	iv	2	De Octava SS. Nazarii & Celsi, Mart. *Semidup.* cum *Commem.* S. Stephani Papæ & Mart. an. 257.
xxij	e	iij	3	Inventio corporis S. Stephani Protomart. *Semidup.* an. 415. *Commem.* Octavæ.
xxj	f	Prid.	4	Octava & Festum Inventionis * &

Cycl. Epact.	Lit. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
				Translationis ** SS. Mart. Nazarii & Celsi, *Duplex-majus*: * c. an. 395. ** init. v. s.
xx	g	Non.	5	Dominici, Presb. Instit. Ord. Fratrum Prædic. (è 6.) *Semidup.* an. 1221.
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *Duplex-maj·s*, an 28. *vel* 32.
xviij	b	vij	7	Justi & Pastoris, Mart. Complutensium, *Semiduplex*, circa an. 287.
xvij	c	vj	8	Omnium Sanctorum qui vixerunt ante Christum, *Duplex-minus.*
xvj	d	v	9	Vigilia *cum jejunio*:
xv	e	iv	10	LAURENTII, DIACONI ET MART. *Duplex-majus*, an. 258. (*Hâc die Officium: Festum verò, nisi dies* 10. *in Dominicam diem inciderit, fit semper Dominica antecedenti: pridiè jejunium.*)
xiv	f	iij	11	
xiij	g	Prid.	12	
xij	A	Idib.	13	Radegundis, Reginæ Franciæ, Viduæ, *Simplex*. an. 587.
xj	b	xix	14	Vigilia *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	*ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. Solemne-majus*, 1. s.
ix	d	xvij	16	ROCHI, LAICI, apud Montem-Pessulanum, *Duplex-minus*, an. 1327. (*Hac die Festum in utraque urbe.*) *Comm.* Octavæ.
viij	e	xvj	17	De Octava Assumptionis, *Semiduplex.*
vij	f	xv	18	De Octava Assumptionis, *Semiduplex.*
vj	g	xiv	19	De Octava Assumptionis, *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Claravall. Abbatis, & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex-minus*, an. 1158. cum *Commem.* Octavæ.
iv	b	xij	21	De Octava Assumptionis, *Semiduplex.*
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. M. Virg. *Duplex-minus.*
ij	d	x	23	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	AUGUSTUS.
j	c	ix	24	BARTHOLOMÆI, APOST. *Duplex-maj.* I. f. (*Hâc die Officium: Festum verò, nisi dies 24. in Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ præcedenti.*)
*	f	viij	25	Ludovici IX. Regis Franciæ, *Dupl. maj.* an. 1270.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	
xxvij	b	v	28	Augustini, Hipponensis Episc. & Eccl. Doct. *Duplex-maj.* (in Cathed. *Solemne min.*) anno 304.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Bapt. *Dupl. min.* an. 28. vel 32.
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	
				SEPTEMBER.
xxiij	f	Cal.	1	Lupi, Senonensis Episcopi, *Semidupl.* c. an. 623. cum *Commem.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania: an. 547. vel 548.
xxij	g	iv	2	Lazari à Christo suscitati, & SS. Mariæ & Marthæ sororum, Christi hospitum, *Semidupl.* cum *Commem.* S. Castoris, Aptensis Episc. c. an. 420.
xxj	A	iij	3	Gregorii magni, Papæ, & Eccl. Doct. (è 12. Mart.) *Duplex-min.* an. 604. *Ordinatio hâc die,* anno 590.
xx	b	Prid.	4	Antonini, Mart. Apamiarum Patroni. *Simplex,* III. f.
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Clodoaldi, Presb. *Simpl.* an. 668.
xvj	f	vj	8	*NATIVITAS B. M. VIRGINIS, Solemne-majus.*
xv	g	v	9	De Octava Nativitatis, *Semiduplex.*
xiv	A	iv	10	Salvii, Albigensis Episc. *Semidupl.* an. 584. cum *Commem.* Octavæ.

De

SEPTEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
xiij	b	iij	11	De Oct. Nat. B. Mariæ, *Semidup.*
xij	c	Prid.	12	
xj	d	Idib.	13	
x	e	xviij	14	Exaltatio sanctæ Crucis (Imperante Constantino : ann. 326. *vel* 327. Imperante Heraclio : an. 629.) *Duplex-maj.* cum *Comm.* Octavæ.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. Mariæ, *Duplex-min.*
viij	g	xvj	16	Cornelii, Papæ & Mart. an. 351. & Cypriani, Carthag Episc. & Mart. Eccl. Doct. an. 258. (è 14.) *Semidupl.* cum *Comm.* S. Euphemiæ, Virg. & Mart. an. 307.
vij	A	xv	17	
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	Januarii, Beneventi Episc. & Mart. *Simplex*, c. an. 288.
iv	d	xij	20	Vigilia *cum jejunio.*
iij	e	xj	21	MATTHÆI, APOST. ET EVANG. *Duplex maj.* 1. f. (*Hâc die Officium : Festum verò nisi dies 21. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente : pridiè jejunium.*
ij	f	x	22	Mauricii & Sociorum, Mart. *Semidupl.* an. 286.
j	g	ix	23	Theclæ, Virg. & Mart. *Semidupl.* c. f. 1. f. cum *Commem.* S. Lini, Papæ & Mart. c. an. 78.
*	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	Firmini, Ambianensis Episc. & Mart. *Simplex*, c. an. 287.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani, fratrum, Mart. *Semidupl.* c init. iv. f.
25. xxvj	e	iv	28	Exuperii, Tolosani Episc. *Simplex*, c. init. v. f.
xxv xxiv.	f	iij	29	Michaëlis Archang. & omnium Angelorum, *Duplex-maj.* Hoc Festum in Apulia sumpsit exordium, an. 493. *vel* 536.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Presbyt. & Eccl. Doct. *Duplex-min.* an. 420.

OCTOBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Rem. Episc. (è 13. Jan.) *Semidupl.* c. an. 533. *Translatio prima hâc die, ante* an. 585.
xxj	b	vj	2	Festum Angelorum Custodum, *Duplex-min.* Institutum Paris. an. 1680.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Assinatis in Umbria, Instit. Ord. Fratr. Minor. *Semi-duplex*, an. 1226.
xviij	e	iij	5	*ANNIVERSARIUS DIES DEDICATIONIS ECCL. CATH. Solemne-majus. (Dominicâ intra Octavam Dedicationis Eccl. Cathed. occurrente, celebratur sub ritu Solemni maj. Anniversarius dies Dedicationis cæterarum Ecclesiarum, nec habet Octavam.)*
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Instit. Ordin. Carthus. *Semid.* an. 1101. *cum Comm.* S. Fidis Aginnens. Virg. & Mart. an. 287. vel 290. (& Octavæ in Cathedr.)
xvj	g	Non.	7	In Cathedrali de Octava Dedicationis, *Semid.*
xv	A	viij	8	
xiv	b	vij	9	Dionysii, primi Parisiorum Episc. & Sociorum ejus, Mart. *Semid.* an. 275. vel 286. (cum *Comm.* Octavæ in Cathedr.)
xiij	c	vj	10	(De Oct. Dedic. in Cathed. *Semid.*) *Extrà*, Tyberii, Modesti & Florentiæ, Mart. Agathensium, *Commem.* c. an. 397.
xij	d	v	11	Firmini, Ucetiensis Episc. *Semid*, an. 553. (cum *Commem.* Octavæ in Cathedrali.)
xj	e	iv	12	In Cathedr. Oct. Dedic. *Dupl. min.*
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	
viij	A	Idib.	15	Theresiæ, Virg. Instauratricis Ord. Carmel. *Semid.* an. 1582.
vij	b	xvij	16	Bertrandi, Convennarum Episc. *Simplex*, c. an. 1120.
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	Lucæ, Evangel. *Dupl. maj.* 1. *C.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	OCTOBER.
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis in Palæstina, *Simpl.* an. 371. cum *Commem.* SS. Ursulæ & Sociarum, *Virg.* & Mart. IV. *vel* V. ſ.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	
xxvij	e	vij	26	Rustici, Narbon. Episc. *Semidupl.* c. an. 460.
xxvj	f	vj	27	Vigilia *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDÆ, APOST. *Duplex-maj.* I. ſ. (*Hâc die Officium : Festum verò, nisi dies 28. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente : pridiè jejunium.*)
xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia *cum jejunio.* Fit *Commem.* S. Marcelli, Mart. Cabillonensis, an. 179.

				NOVEMBER.
xxj	d	Cal.	1	*OMNIUM SANCTORUM, Solemne-majus.* c. an. 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duplex-majus*, instituta an. 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl.*
xviij	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediol. Episc. Card. *Duplex-minus*, an. 1584.
xvij	A	Non.	5	De Octava omnium SS. *Semidupl.* cum *Commem.* S. Geraldi Biterr. Episc. an. 1127.
xvj	b	viij	6	} De Octava omnium SS. *Semiduplex.*
xv	c	vij	7	}
xiv	d	vj	8	Octava omnium SS. & veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl. majus*, instituta an. 1194. (*anteà* 4. *Dec.*)
xiij	e	v	9	
xij	f	iv	10	Leonis Magni, Papæ & Ecclesiæ

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	NOVEMBER.
				Doct. *Duplex-min.* c. an. 461. vel 462. cum *Commem.* S. Rufi primi Avenionensis Episc. c. med. III. s.
xj	g	iij	11	Martini, Turon. Episc. *Duplex-majus*: (in Cathedrali *Solemne-minus.*) an. 397.
x	A	Prid.	12	Martini, Papæ & Mart. (è 16. Septembr.) *Simplex*, an. 655.
ix	b	Idib.	13	Brictii, Turonensis Episc. *Simplex*. c. an. 444.
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocesareæ Episc. & Eccl. Doct. *Semi-duplex*, c. an. 270.
iv	g	xiv	18	Romani Diaconi & Mart. *Simplex*, c. an. 258.
iij	A	xiij	19	Elizabeth, Viduæ, *Simplex*, an. 1231.
ij	b	xij	20	Papuli, Mart. *Commem.* c. med. III. Sec.
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ, *Duplex-majus.*
*	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. *Semidup.* II. *vel* III. sec.
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *Semid.* an. 100.
xxviij	f	viij	24	
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Virg. & Mart. *Simpl.*
25. xxvj	A	vj	26	
xxv. xxiv	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Mart. *Simpl.* c. an. 304.
				Prima sedes Adventûs.
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Saturnini, primi Tolosani Episc. & Mart. *Dupl. min.* c. med. III. s. cum *Commem.* Vigiliæ.
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOST. *Duplex-majus.* I. s. (*Hâc ipsâ die Officium: Festum verò nisi dies 30. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente, pridie Jejunium.*)

DECEMBER.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xx	f	Cal.	1	Eligii, Noviom. Episc.(è 30.Nov.) *Simplex*, an. 659.
xix	g	iv	2	Francisci Xaverii, Presbyt. *Semiduplex*, an. 1552.
				Ultima sedes Adventûs.
xviij	A	iij	3	
xvij	b	Prid.	4	
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai, Myrensis Episcopi, *Commemoratio*. c. an. 320.
xiv	e	vij	7	Ambrosii, Mediol. Episc. & Eccl. Doct.(è 4.Apr.) *Dupl.min.*an. 397. *ejus ordinatio hâc die*. an. 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Solemne-minus*.
xij	g	v	9	Leocadiæ, Virginis Tolet. & Mart. *Commem*. c. an. 288.
xj	A	iv	10	Eulaliæ, Virginis Emeritensis & Mart. *Commem* c. an. 288.
x	b	iij	11	Pauli, primi Narbon. Episc. *Semiduplex*, c. med. III. sec.
ix	c	Prid.	12	
viij	d	Idib.	13	Luciæ Virginis & Mart. *Commemoratio*, an. 304.
vij	e	xix	14	
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
*	e	xij	21	THOMÆ, APOST. *Dupl.majus*. 1.s. (*Officium hâc ipsâ die : Festum verò, nisi dies 21. in diem Dominicam inciderit, fit semper Dominicâ antecedente.*)
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia *cum jejunio*.
xxvj	b	viij	25	*NATALE DOMINI*, *Annuale*.
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI ET PROTOMART. *Solemne-minus*. an. 33. *Commem.* Octavæ.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.		Dies Mensis.	DECEMBER.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOST. ET EVANGELIST. *Duplex-majus*. an. 100. *vel* 104. *Commem*. Octavæ.
xxiij	e	v	28	Innocentium Martyrum, *Duplex-majus*, 1. f. *Commem*. Octavæ.
xxij	f	iv	29	De Octava Natalis Domini, *Semiduplex* : cum *Commem*. S. Thomæ Cantuariensis Episc. & Mart. an. 1170.
xxj	g	iij	30	De Octava Natalis Domini, *Semiduplex*.
19. xx	A	Prid.	31	De Octava Natalis Domini, *Semiduplex*.



Rubricæ in tres partes dividuntur.

In I. agitur de Officio in genere.

In II. de Horis Officii.

In III. de Horarum partibus.

PARS PRIMA.

De Officio in genere.

Officium quotidie fit, aut Annuale, aut Solemne-majus, aut Solemne minus, aut Duplex-majus, aut de Dominica, quæ omnia novem Lectionum sunt; aut Duplex-minus, aut Semiduplex, quæ sunt sex Lectionum; aut de Beatâ Mariâ in Sabbato; aut intra Octavas; aut Simplex; aut de Feria, quæ sunt trium Lectionum.

CAPUT I.

De Officio Annuali.

1. Officium fit Annuale in Pascha, & Pentecoste, in ipso die Dedicationis Ecclesiæ, in Festo Patroni Primarii, in Festo Titularis, & in Festis in quibus apponitur in Calendario hæc vox, *Annuale*.

2. De Annuali fit totum Officium à primis Vesperis, usque ad Completorium sequentis diei inclusivè; nisi aliter fieri debeat, propter concurrentiam Officii, de qua infrà, ante finem hujus Partis.

3. In primis Vesperis (exceptis Festis Paschæ & Pentecostes) Psalmi Feriales cum Antiphonis Festo propriis dicuntur; post Psalmos, Capitulum, & Responsorium, Hymnus cum Versiculo & Cantico *Magnificat*, post cujus Antiphonam omnia propriâ Oratione complentur; nisi facienda sit quædam Commemoratio; de qua posteà in Capite de Commemorationibus.

4. Completorium habet etiam Psalmos Feriales, & cætera ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

5. Officium Noctis, extra Tempus Paschale, habet tres Nocturnos; Tempore verò Paschali, unum dumtaxat.

6. Ante Psalmum *Venite*. Invitatorium bis dicitur, & post quemlibet Psalmi versum, integrum repetitur; post *Gloria* verò cum *Sicut erat* repetitur à medio, quod designatur per asteriscum *, & postea adhuc integrè dicitur.

7. In Nocturnis, Psalmi de Dominica dicuntur, nisi proprii notentur, ut semper fit in Festis Domini & B. Mariæ Virginis. Post Lectiones, ultimum Responsorium cujusque Nocturni resumitur, usque ad Versum exclusivè. Quid sit autem resumptio Responsorii, vide Part. III. C. 9. num. 8.

8. Ad Laudes Matutinas, Psalmi Dominicales, excepto Cantico *Benedicite*. cujus loco dicitur proprium si habeatur; & tunc dicitur etiam per Octavam, cum Psalmis de Feria, quando fit de Octava.

9. Ad Primam, Psalmi de Dominica; Capitulum & Responsorium breve, ut in Proprio notatur; cætera de Psalterio.

10. Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Psalmi de Dominica, ut ad Primam. In Responsoriis brevibus additur bis *Alleluia*. præterquam à Septuagesima ad Pascha.

11. Ad secundas Vesperas, Psalmi de Dominica, nisi proprii notentur.

12. Ad Completorium, Psalmi de Dominica; cætera ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

CAPUT II.

De Officio Solemni.

1. Officium Solemne, aliud majus, aliud minus.

2. Solemne-majus fit in Ascensione; in Festo Corporis Christi; in Anniversario Dedicationis in propria Ecclesia; in Festo Primario sancti Institutoris in proprio Ordine, & si quod in aliqua Congregatione instar ejus habetur, & in Festis in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Solemne-majus*.

3. Officium Solemne-majus fit ut Annuale: sed resumuntur tantùm sextum & nonum Responsorium.

4. Officium Solemne-minus fit in Dominica Sanctissimæ Trinitatis; in Festo Patroni Secundarii; & in Festis in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Solemne-minus*.

5. Officium illud fit ut Solemne-majus, si exceperis non repeti Invitatorium integrum ad quemlibet Versum Psalmi *Venite*. sed tantùm ante Psalmum bis dicitur, deinde alternatim repetitur integrum & ab asterisco; & in fine adhuc integrè repetitur. Et sic in omnibus aliis Officiis, tam de Sanctis, quàm de Feriâ. In toto Officio dicuntur Psalmi Feriales, nisi aliter notetur. In Solemni-minore resumitur nonum Responsorium.

CAPUT III.

De Officio Duplici.

1. Officium Duplex, aliud majus, aliud minus.

2. Duplex-majus fit in Feriis ij. & iij. Paschæ, & Pentecostes; Dominicâ in Albis; in die Octava Ascensionis, & Corporis Christi; in Festis Secundariis Patroni principalis, ac Titularis; in Festo Sancti cujus habentur insignes Reliquiæ cum concursu populi; in die Octava Festi Annualis; & in diebus in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Duplex-majus*.

3. Officium Duplex-majus fit ut Solemne-minus, excepto quòd non resumitur ultimum Responsorium, & quòd in Responsoriis brevibus Horarum, extra Tempus Paschale, non dicitur *Alleluia*, nisi aliter notetur.

4. Duplex-minus fit in diebus quibus in Calendario apponitur, hæc vox, *Duplex-minus*.

5. Officium Duplex-minus fit ut Duplex-majus; si tamen exceperis Officium No-

cturnum, quod sic ordinatur.

6. Dicuntur tres Antiphonæ & tres Psalmi tantùm in primo Nocturno.

7. In secundo præter tres Antiphonas & tres Psalmos dicitur Versus, deinde tres Lectiones de Scriptura occurrente & tria Responsoria, aut propria, aut de secundo Nocturno Communis.

8. In tertio Nocturno tres dicuntur Psalmi & tres Antiphonæ, &c. ut in Duplici-majori, quarta & quinta Lectio de Sancto, vj. Homilia, & si sit Lectio vij. dicitur post sextum Responsorium; deinde sine Responsorio *Te Deum*.

CAPUT IV.

De Officio Semiduplici.

1. OFficium fit Semiduplex in diebus quibus apponitur hæc vox, *Semiduplex*.

2. Illud Officium non transfertur; & si occurrat cum Officio novem Lectionum, fit tantùm de eo commemoratio ad utrasque Vesperas & ad Laudes, & non legitur de Sancto: quod etiam observatur cùm occurrit cum Festo Duplici-minore.

3. Officium Semiduplex fit ut Duplex minus, excepto quòd non dicitur ad primas Vesperas Responsorium, & fiunt Suffragia communia ad utrasque Vesperas & ad Laudes, sed non dicuntur Preces Feriales ad Primam & ad Completorium.

4. Ad Officium Nocturnum tres Psalmi primi Nocturni dicuntur sub una Antiphona è tribus ejusdem primi Nocturni juxta Feriam; ita, prima dicatur Feriâ secundâ & quintâ, secunda dicatur Feriâ tertiâ & sextâ, tertia dicatur Feriâ quartâ & Sabbato.

5. Sic quoque dicuntur sub una Antiphona occurrente juxta Feriam, tres Psalmi secundi Nocturni; quâ dictâ dicuntur Versiculus & tria Responsoria ejusdem secundi Nocturni, & Lectiones de Scriptura occurrente.

6. In tertio Nocturno dicuntur pariter tres Psalmi sub una ejusdem tertii Nocturni Antiphona juxta Feriam occurrente; quâ dictâ, Versus & tria Responsoria ejusdem tertii Nocturni recitantur cum tribus Lectionibus, quarta & quinta de Sancto; sexta, Homilia. Post sextum Responsorium dicitur septima Lectio si occurrat; deinde sine Responsorio *Te Deum*.

CAPUT V.

De Officio Festi Simplicis.

1. OFficium fit Simplex, quando ita apponitur in Calendario, vel in Proprio Sanctorum.

2. Non transfertur illud Officium; sed de eo fit die quo occurrit. Et si impediatur per Officium Semiduplex aut superius, vel etiam per Officium de Beata in Sabbato, fit de Simplici commemoratio ad primas Vesperas & Laudes: ad Nocturnum autem, in Officio quidem novem Lectionum, non dicitur de Simplici Lectio; at in Officio Dupli-ci-minore, Semiduplici, de

Beatâ in Sabbato, & Feriis majoribus, post ultimum Responsorium dicitur Lectio de Festo Simplici cum Benedictione, *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia*, & non dicitur Responsorium, sed statim *Te Deum*. si dicendum sit.

3. Officium Simplex incipit die præcedenti, à Capitulo Vesperarum, post quod non dicitur Responsorium.

4. Ad Vesperas dicuntur Suffragia, & ad Completorium Preces.

5. Ad Officium Nocturnum ut in Festo Semiduplici, exceptis quæ sequuntur. Dicuntur novem Psalmi Feriæ, & unum Nocturnum de Communi juxta Feriam occurrentem. Tres Antiphonæ, unaquæque super tres Psalmos. Versus ejusdem Nocturni, tria Responsoria, prima Lectio de Scriptura occurrente, ex duabus prioribus fit prima, tertia fit secunda; Lectio verò de Sancto erit tertia Officii Simplicis: deinde si occurrat Lectio de Sancto, de quo fiat Commemoratio, dicitur ut in Semiduplici; & sine Responsorio inchoatur *Te Deum*.

6. Ad Laudes Psalmi & Canticũ dicuntur sub una Antiphona, quæ est quarta de Communi: Suffragia dicũtur.

7. Ad Primam dicuntur Preces.

8. Officium Simplex terminatur ad Nonam inclusivè.

Caput VI.

De Dominicis.

1. Dominicæ omnes in tres classes dividuntur. Prima classis est earum quæ excludunt quæcumque Festa etiam Annualia; & sunt octo sequentes: Prima Adventûs, prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, Paschæ & in Albis, Pentecostes, & Trinitatis.

2. Secunda earum est quæ Annualia, Solemnia-majora & minora admittunt, cætera excludunt; & sunt novem: secunda, tertia, & quarta Adventûs; Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ; secunda, tertia, & quarta Quadragesimæ. Dominicæ omnes supradictæ dicuntur privilegiatæ.

3. Tertia classis continet cæteras anni Dominicas quæ Dominicæ communes & per annum vocantur, & cedunt Duplicibus-majoribus tantùm, non aliis, nisi celebrentur ritu Duplicis-majoris.

Officium Dominicæ fit ritù Duplicis, ità ut cedat Duplicibus-majoribus, non minoribus, Responsorium tamen non habeat ad primas Vesperas, nisi in Dominicis privilegiatis Adventûs, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, Pentecostes, & Trinitatis. Ad Primam & ad utrumque Completorium non dicuntur Preces; ad utrasque Vesperas & ad Laudes fit tantùm commemoratio de Beata; & si non sit Patrona Ecclesiæ, additur Commemoratio Patroni. De Festo Semiduplici aut Simplici occurrente, fit

Commemoratio ad Vesperas & Laudes: non dicitur Lectio ad Nocturnum.

4. Si die Sabbati aut Feriâ secundâ celebretur Festum Duplex-majus, Vesperæ sunt de Festo Duplicis-majoris, & fit Commemoratio de Dominica.

5. Officium Nocturnum ut in Duplicibus - majoribus. Tempore Paschali unum habetur Nocturnum.

6. Dominicale Officium non transfertur; si occurrat Duplex-majus fit de Dominica Commemoratio ad Vesperas & Laudes, & dicto nono Responsorio Duplicis - majoris, legitur Homilia Dominicæ occurrentis, & sine Responsorio dicitur *Te Deum*.

7. Si Vigilia Natalis Domini & Epiphaniæ in Dominicam inciderint, fiet ut in propriis locis notatur.

8. Si Nativitas Domini, Festa SS. Stephani, Joannis, Innocentium, inciderint in Dominicam, hoc anno nulla fit Commemoratio Dominicæ occurrentis ad Vesperas, Laudes, & Nocturnum. Si Festum Innocentium celebretur die Sabbati, Vesperæ dicuntur de Festo, & fit commemoratio de Dominicâ per Antiphonam, Vers. & Orationem. De Octava non fit Commemoratio.

9. De Dominica ipso die Circumcisionis occurrente nihil fit; de Officio occurrente inter Circumcisionem & Epiphaniam fit juxta regulas occurrentiæ.

10. De Dominica occurrente in die Octava Epiphaniæ nihil fit; & intra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Domini non fit Commemoratio de Octava. Intra alias verò Octavas totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio & Proprio, cum Commemoratione Octavæ.

CAPUT VII.

De Officio Feriali.

1. Officium Feriale incipit ubi desinit Officium Festi præcedentis, & terminatur ubi Officium diei sequentis incipit.

2. In Officio Noctis unicum habet Nocturnum, quod extra Tempus Paschale constat Psalmis, aut Psalmorum divisionibus novem, sub tribus Antiphonis, cum uno Versiculo, utì disponuntur in Psalterio; & tribus Lectionibus, cum tribus Responsoriis, ut notatur in Proprio de Tempore, & non dicitur *Te Deum*. Tempore verò Pascali dicuntur tantùm tres Psalmi sub una Antiphona, ut notatur in Proprio de Tempore, & dicitur *Te Deum*.

3. In singulis Feriis à Præsentatione Domini ad Dominicam Passionis, & à Trinitate ad Adventum, Commemoratio de Cruce præmittitur cæteris Suffragiis. Tempore autem Paschali, sola fit Commemoratio de Cruce, ut suo loco notatur.

4. Hæ regulæ per totum annum servandæ in omni Officio Feriali. Sunt verò quædam aliæ, quæ servantur pro diversitate Feriarum.

5. Feriæ aliæ sunt majores, aliæ minores; & inter majores, aliæ sunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ.

6. Feriæ majores privilegiatæ sunt, Vigilia Natalis Domini, Feria iv. Cinerum, Feriæ omnes à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, & à Vigilia Pentecostes inclusivè usque ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis. Horum dierum seu Feriarum Officium nulli cedit Officio, nequidem Annuali; & in his diebus Officium ordinatur, ut in proprio loco notatur.

7. Feriæ majores non privilegiatæ, sunt Feriæ Adventûs quæ non cedunt nisi Semiduplici; & Feriæ Quadragesimæ, Feriæ Rogationum, Feria vj. post Octavam Ascensionis Domini. Feriæ Quatuor Temporum, & omnes Vigiliæ, quæ non cedunt nisi Officio Duplici, aut superiori; & si de iis non fiat Officium propter Festum occurrens, fit Commemoratio in Officio Nocturno, si habeant Evangelium proprium, & etiam in Laudibus & Vesperis, exceptis Feriis Rogationum, quarum Commemoratio fit in Officio Nocturno, & in Laudibus tantùm. De Semiduplici, si quod occurrat, fit tantùm Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. Festa autem superioris ordinis quæcumque non festivantur à populo, transferuntur, si excipiantur Festa S. Joseph, & Compassionis B. Mariæ.

8. In omni Feria majore (nisi aliter notetur) Preces dicuntur flexis genibus ad omnes Horas, non excepto Nocturno, in quo cùm Laudes immediatè non sequuntur, dicuntur eæ quæ habentur ad Tertiam, cum Oratione congrua. Majores verò Preces dicuntur ad Laudes & ad Vesperas, si sint de Feria, exceptis tamen quæ occurrunt Tempore Paschali, ut sunt dies. Litaniarum sive Rogationum, in quibus non dicuntur Preces nisi ad Primam & ad Completorium, & non flectuntur genua.

9. In Feriis Quadragesimæ, Vesperæ dicuntur in Choro ante comestionem.

10. In Vesperis, quando dicuntur de Feria, diebus Quatuor Temporum, vel Rogationum, non dicitur Oratio de Laudibus, sed Oratio de Dominica. In Feriis verò Quadragesimæ, Oratio propria posita est ad Vesperas cuique diei, quæ dicitur etiam quando tantùm fit Commemoratio de Feria, quæ Commemoratio numquam omittitur. In Feriis autem Adventûs & Temporis Paschalis, Oratio semper sumitur de Dominica, ubi propria non ponitur.

11. In hoc differunt Feriæ majores à minoribus, quòd in Feriis minoribus, non dicuntur Preces ad Laudes & Vesperas, & non flectuntur genua in Precibus consuetis ad Primam, & ad Completorium, nec habent umquam Orationem sibi propriam.

sed Orationem de Dominica; & si fieri contingat Officium de digniori, nulla fit Commemoratio de Feria minori, sed ejus Officium omninò omittitur.

11. Non convenit incipere Officium quod persequi non licebit: & ideo cùm de Festo Simplici in Feriam majorem incidente fiat tantùm Commemoratio, si in die præcedenti Feriam majorem fiat de Feria minori, vel de Festo alio Simplici quod terminatur ad Nonam, Vesperæ non erunt à Capitulo de Festo Simplici sequente, ne inceptum Officium videatur postea dimitti; sed Vesperæ erunt Feriales de Feria minore, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Commemoratione de Festo Simplici; nec ideò Vesperæ erunt quasi primæ Vesperæ de Feria majore: Feria enim quæcumque numquam habet primas Vesperas.

CAPUT VIII.

De Officio Vigiliarum.

1. DE Vigilia fit Officium pridie Ascensionis, & Pentecostes, & in diebus in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Vigilia.*

2. Vigiliæ ad tres ordines revocantur, juxta triplicem scilicet Officiorum differentiam in hoc positam; quòd quædam nihil habent præter Missam, aut Commemorationem in Missa: quædam cum Missa habent propriam expositionem Evangelii in Officio Nocturno: quædam verò cum Missa & expositione, proprium habent Officium, incipiendo à Nocturno usque ad Nonam.

3. Vigiliæ quæ nihil habent præter Missam aut Commemorationem in Missa, jam nullæ sunt, præter eas quæ occurrunt in Adventu, aut Quatuor Temporibus. De iis enim quæ in Adventum incidunt extra Quatuor Tempora, Missa integra dicitur, etsi de illis nihil fiat in Officio. De iis autem quæ in Feriis Quatuor Temporum eveniunt, sola fit in Missa Commemoratio.

4. Si quædam ex Vigiliis secundi & tertii Ordinis occurrat in Dominica, vel in Festo Solemni-majori, & suprà, anticipatur die præcedenti: si verò occurrat in Duplici, aut Solemni-minore, fit Commemoratio de Vigilia in Nocturno per Homiliam Vigiliæ quæ post ultimũ Responsorium legitur, & in Laudibus per Antiphonam ad *Benedictus.* cum Versiculo Feriæ occurrentis ex Psalterio, & Oratione propriâ Vigiliæ.

5. Vigiliæ tertii & supremi generis sunt quæ à Solemnitate sua numquam divelluntur, & habent integrum Officium jam ad crastinam Solemnitatem aliquo modo pertinens; cujusmodi sunt Vigiliæ Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Pentecostes. Hæ duæ posteriores fixis hebdomadæ diebus semper illigantur: prior scilicet, quartæ Feriæ Rogationum; altera, Sabbato post Octavam Ascensionis. Non item, duæ priores de quibus fit quà

cumque die etiam Dominicâ, si in ipsas incidant, ut in propriis locis notatur.

6. De Festo quocumque etiam Annuali, occurrente in Vigiliis Natalis Domini, & Pentecostes nihil fit. Preces flexis genibus in Vigilia Pentecostes (quia Tempus est Paschale) in nullo Officio dicuntur. In Vigilia autem Natalis Domini dicuntur ad Nocturnum si separetur à Laudibus, nisi sit dies Dominica. Ad alias autem Horas non dicuntur, quia ad Laudes Officium est Semiduplex, & ad Horas diurnas Duplex-minus.

7. Vigilia Epiphaniæ, quia fit pariter in die Dominica, omnia Festa quæ Dominicâ die celebrari non possunt, similiter excludit; eaque anticipantur aut transferuntur, si talia sint quæ anticipari possint aut transferri. Quòd si neutrum fieri possit, ut si sit dies Octava, fit tantùm Commemoratio illius in Laudibus Vigiliæ. Quòd si Festum tale sit de quo in Dominica fieri possit Officium, fit de eo; & in Officio Nocturno post ultimum Responsorium legitur Evangelium Vigiliæ cum Homilia, nec quocumque prætextu anticipatur Vigilia.

8. Vigilia Ascensionis, etsi excludit tantùm Semiduplicia, suo die pariter fiet, nec anticipabitur propter aliquod Festum Duplex aut suprà, si in ea contingat; sed de ea fiet tantùm Commemoratio in Nocturno, & Laudibus; & cætera observabuntur quæ in loco proprio notantur.

CAPUT IX.

De Officio Octavarum.

1. Octavæ aliæ aliis sunt solemniores, & ad quatuor ordines revocantur.

2. Ad primum pertinent Octavæ trium Festorum Annualium majorum, scilicet Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes. Intra Hebdomadas Paschæ & Pentecostes primum triduum est Duplex, ultimum Semiduplex. Intra Octavam quoque Natalis Domini, in primo triduo non fit de ullo Festo (ne quidem Annuali,) præterquam sanctorum Stephani, & Joannis Evangelistæ, & Innocentium. De quocumque autem Festo etiam Annuali intra Octavam hanc fiat, Vesperæ usque ad Capitulum exclusivè dicuntur de Natali Domini.

3. Officium hebdomadarum Paschæ & Pentecostes cum ritu sibi proprio terminatur ad Nonam in Sabbato sequenti; Officium quoque Natalis Domini, quale fit per Octavam, desinit ad Nonam die 31. Decembris, & Vesperæ sunt propriæ de Officio Circumcisionis, nisi ubi fit de aliquo Festo Annuali aut Solemni-majori die 31. Decembris: tunc enim Psalmi & Antiphonæ sunt de Natali Domini, ut reliquis diebus Octavæ; Capitulum verò, & reliqua de Festo, cum Commemoratione Circumcisionis tantùm.

4. Ad secundum ordinem pertinent Octavæ Festorum Domini, sive Annualia sint,

sed Orationem de Dominica; & si fieri contingat Officium de digniori, nulla fit Commemoratio de Feria minori, sed ejus Officium omninò omittitur.

11. Non convenit incipere Officium quod persequi non licebit: & ideo cùm de Festo Simplici in Feriam majorem incidente fiat tantùm Commemoratio, si in die præcedenti Feriam majorem fiat de Feria minori, vel de Festo alio Simplici quod terminatur ad Nonam, Vesperæ non erunt à Capitulo de Festo Simplici sequente, ne inceptum Officium videatur postea dimitti; sed Vesperæ erunt Feriales de Feria minore, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Commemoratione de Festo Simplici; nec ideò Vesperæ erunt quasi primæ Vesperæ de Feria majore: Feria enim quæcumque numquam habet primas Vesperas.

CAPUT VIII.

De Officio Vigiliarum.

1. DE Vigilia fit Officium pridie Ascensionis, & Pentecostes, & in diebus in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Vigilia*.

2. Vigiliæ ad tres ordines revocantur, juxta triplicem scilicet Officiorum differentiam in hoc positam; quòd quædam nihil habent præter Missam, aut Commemorationem in Missa: quædam cum Missa habent propriam expositionem Evangelii in Officio Nocturno: quædam verò cum Missa & expositione, proprium habent Officium, incipiendo à Nocturno usque ad Nonam.

3. Vigiliæ quæ nihil habent præter Missam aut Commemorationem in Missa, jam nullæ sunt, præter eas quæ occurrunt in Adventu, aut Quatuor Temporibus. De iis enim quæ in Adventum incidunt extra Quatuor Tempora, Missa integra dicitur, etsi de illis nihil fiat in Officio. De iis autem quæ in Feriis Quatuor Temporum eveniunt, sola fit in Missa Commemoratio.

4. Si quædam ex Vigiliis secundi & tertii Ordinis occurrat in Dominica, vel in Festo Solemni-majori, & suprà, anticipatur die præcedenti: si verò occurrat in Duplici, aut Solemni-minore, fit Commemoratio de Vigilia in Nocturno per Homiliam Vigiliæ quæ post ultimũ Responsorium legitur, & in Laudibus per Antiphonam ad *Benedictus*. cum Versiculo Feriæ occurrentis ex Psalterio, & Oratione propriâ Vigiliæ.

5. Vigiliæ tertii & supremi generis sunt quæ à Solemnitate sua numquam divelluntur, & habent integrum Officium jam ad crastinam Solemnitatem aliquo modo pertinens; cujusmodi sunt Vigiliæ Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Pentecostes. Hæ duæ posteriores fixis hebdomadæ diebus semper illigantur: prior scilicet, quartæ Feriæ Rogationum; altera, Sabbato post Octavam Ascensionis. Non item, duæ priores de quibus fit quà-

moria Simplicis aut Semiduplicis, vel alicujus Feriæ majoris, facienda per Lectionem, fit post tertium Responsorium, & dictâ Lectione inchoatur *Te Deum.* Ad Laudes Canticum dicitur ut in die Festo, si sit proprium; Psalmi verò dicuntur sub una Antiphona, quæ vel propria est, vel quarta de Laudibus Festi. In Vesperis similiter Psalmi dicentur sub unica Antiphona quæ prima est è II. Vesperis, nisi aliter notetur. Cætera ut in die, nisi quòd intra Octavas quarti ordinis non dicitur *Alleluia* ad ℣℣. brevia. Tempore autem Paschali ad Officium Noctis dicuntur tantùm tres Psalmi, ut notatur in Proprio de Tempore.

10. A Vesperis diei 15. Decembris inclusivè usque ad Natale Domini, & à Nocturno Feriæ quartæ Cinerum usque ad Pascha, nullæ fiunt Octavæ, neque fit aliquid ampliùs de Octavis nondum absolutis; quod & observatur à Vigilia Pentecostes usque ad Trinitatem.

11. Si dies Octava, quæ ritu Duplici minori solet celebrari quando per hebdomadam occurrit, incidat in Dominicam privilegiatam, tunc non fit de ea nisi Commemoratio in Vesperis Sabbati ante Dominicam occurrentem, ut in primis Vesperis Festi, nisi sit aliquid proprium: fit etiam Commemoratio ad Laudes & secundas vesperas tantùm, non ad Officium nocturnum.

12. Si Festum Octavam habens occurrerit Feriâ iv. post Sexagesimam, tunc Feriâ tertiâ sequenti, quæ præcedit diem Cinerum, Vesperæ eodem planè modo ac ritu dicuntur quo celebratæ sunt reliquis diebus in quibus factum est de Octava, sumendo Versiculum & Antiphonam ad *Magnificat* ex secundis Vesperis Festi; similiter & Completorium dicitur cum propriis Antiphonis, si quas habuit per Octavam; & postea nihil fit ampliùs de Octava.

13. Intra quascumque Octavas non fiunt Suffragia, neque dicuntur Preces ad Primam & ad Completorium, nisi fiat Officium de Feria majori, cum sola Commemoratione diei intra Octavam.

14. De diebus intra Octavas quæ celebrantur in Adventu, cujuscumque sint gradûs, sola fit Commemoratio, & Preces integræ dicuntur flexis genibus ad omnes Horas; & si occurrat Semiduplex, non transfertur, sed fit de eo, cum Commemoratione Adventûs & Octavæ, omissis in Prima & Completorio Precibus. Dies Octava est Duplex minus, aut majus, secundùm gradum Festi, cujus celebratur Octava; sed Officium ejus, ut dictum est, numquam fit in Dominica, sed Commemoratio tantùm.

CAPUT X.

De Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

1. IN omnibus Sabbatis per annum, præterquam in

Adventu, Quadragesimâ, Vigiliis cujuscumque Festi, tam occurrentibus quàm anticipatis, intra Octavas quascumque, vel nisi fieri debeat de Feria propter Quatuor Tempora, vel propter Officium Dominicæ Sabbato anticipandum (ut in Rubricis de Dominicis dictum est;) vel nisi occurrat Festum Semiduplex aut suprà, fit Officium Simplex, de beata Maria in Sabbato, ut circa finem Breviarii disponitur: primæ Vesperæ dicuntur ritu Semiduplici. De Festo autem Simplici Sabbato occurrente, fit tantùm Commemoratio, sine Lectione.

2. Officium istud incipit Feriâ Sextâ ad Vesperas, quæ dicuntur more Semiduplici cum Antiphonis notatis: non dicitur Responsorium. Post Commemorationem de Simplici, si occurrat, fiunt Suffragia de Sanctis. Ad Completorium ut notatur in eodem Officio de Beata.

3. Nocturnum quod unicum est tum Tempore Paschali, tum extrà, dicetur ut in Festis Simplicibus ut notatur pro quolibet mense post Commune, cum *Te Deum*, in utroque Tempore. Reliqua ut in Officio B. M. in Sabbato assignantur. Officium terminatur ad Nonam.

4. Quando non fit Officium de Beata Maria in Sabbato propter Festum superioris gradûs occurrentis, nulla fit in Officio Commemoratio de B. Maria in Sabbato. Circa Missam servetur Rubrica Missalis.

CAPUT XI.

De Commemorationibus.

1. Commemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei, dictis *Dominus vobiscum* vel *Domine, exaudi* & *Benedicamus Domino* in Vesperis dicitur Antiphona quæ posita est ad *Magnificat*, & in Laudibus quæ posita est ad *Benedictus*. In Officio de quo fit Commemoratio, sive in Proprio extet, sive de Communi sumatur, post Antiphonam dicitur Versiculus inde sumendus unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum, aut Laudum; deinde dicitur Oratio.

2. Si Sanctus de quo fit Commemoratio sit ejusdem conditionis ac ille de quo fit Officium: puta, si in Festo Martyris proprium Officium non habentis, occurrat Commemoratio facienda de alio Martyre; tunc pridie in Vesperis pro ejusmodi memoriâ sumitur Antiphona quæ in Communi habetur ad *Benedictus*, cum Versiculo Laudum, & Oratione, quæ ibidem notantur. Ad Laudes verò sumitur Antiphona quæ in Communi assignatur ad *Magnificat* secundarum Vesperarum, cum Versiculo & Oratione Officii, nisi Sanctus ille de quo fit Officium, aut ille de quo fit memoria, propriam habeant Orationem; tunc enim vel utraque, vel alterutra, de Proprio sumitur.

3. Si de Dominica, Vigilia, aut Feria, fiat Comme-

moratio, Antiphona, Versiculus & Oratio, nisi aliter notetur, sumuntur è Proprio de Tempore. Si Versiculus defecerit, aut etiam Antiphona, sumuntur de Psalterio.

4. Quando contingit plures fieri Commemorationes, semper Commemoratio Festi de quo fieret Officium, præcedit Commemorationem ejus de quo facienda tantùm esset memoria.

5. In Officio novem Lectionum numquam ad Nocturnum Officium fit Commemoratio Simplicis aut Semiduplicis occurrentis per Lectionem, nisi sit Feria major aut Dominica; tunc enim post nonum Responsorium legitur Evangelium & Homilia Dominicæ aut Feriæ majoris.

6. In Officio trium aut sex Lectionum, si occurrat Lectio de Sancto, tunc post tertium aut sextum Responsorium legitur, & sine Responsorio inchoatur *Te Deum*. excepto tamen Officio de Beata in Sabbato, in quo non legitur Lectio Festi Simplicis occurrentis, ut dictum est suprà Capite X. n. 1.

CAPUT XII.

De Concurrentia Officii.

1. Concurrere dicuntur duo Officia quando alterum antè incipit, quàm alterum terminari extra concursum debeat, quod nisi in Vesperis non accidit. Sic autem concurrunt Officia, vel æqualia gradu & dignitate, vel inæqualia in utroque, vel in alterutro.

2. Gradus in Festis & Officiis attenditur secundùm denominationem Solemnitatis. Sic Festum Annuale habet gradum superiorem respectu Solemnis, & Solemne respectu Annualis inferiorem; & sic de cæteris. Dignitas attenditur ab eo cujus est Officium: sic inter Festa æqualis gradûs, Officium Festorum Domini dignius est Officio Festorum quorumcumque quæ non sunt Domini.

3. Non potest concurrere Festum Simplex cum Festo Simplici, quia Officium Festi Simplicis terminatur ad Nonam; neque Feria potest concurrere cum Feria, quia Feria numquam habet primas Vesperas.

4. Si in crastinum Festi Simplicis fiat de Feria, Vesperæ erunt Feriales, non quòd Feria habeat primas Vesperas, sed quia Officium Feriæ ibi incipit, ubi præcedens Officium definit. Si verò duo Festa Simplicia invicem subsequantur, cùm præcedentis Officium terminetur ad Nonam, & Officium sequentis incipiat tantùm à Capitulo Vesperarum, sumentur Psalmi & Antiphonæ Feriales ut in Psalterio, usque ad Capitulum.

5. Semiduplici autem cum sequente Semiduplici, aut die intra Octavam concurrente, Vesperæ sunt de præcedente usque ad Capitulum exclusivè: à Capitulo autem sunt de sequente, cum Commemoratione præcedentis.

6. Idem est de Duplici-minore cum sequente Duplici-minore : & sic de aliis, quæ sunt æqualis inter se gradûs.

7. Excipiuntur ab hoc ordinario Festa Apostolorum, quæ ratione dignitatis, in æquali gradu super aliorum Sanctorum Festa, etiam Evangelistarum : Festa S. Joannis-Baptistæ, quæ super Apostolorum, adeoque aliorum : Festa Angelorum, quæ super S. Joannis-Baptistæ & Apostolorum, cum aliis Festis B. Mariæ, quæ super omnium præcedentium ; & Festa Domini, quæ super quæcumque Vesperas habent integras. Festa Crucis, & similia, itéque Dedicatio Ecclesiæ, Annuntiatio, Præsentatio Domini, & Visitatio B. M. inter Festa Domini numerantur.

8. Quando dies Octava Paschæ cum Inventione Crucis concurrit, & dies Octava Corporis Christi cum Visitatione B. M. Vesperæ dicuntur integræ de utraque Octava cum Commemoratione de sequenti, quamvis sint hæc Festa ejusdem gradûs & dignitatis ; quia Octavæ illæ ritu quasi Solemni celebrantur.

9. De Annuali verò concurrente cum Epiphania, Præsentatione, Annuntiatione, Ascensione Domini, aut Festo Corporis Christi, fit sola Commemoratio, sive in primis, sive in secundis Vesperis.

10. Semiduplici autem concurrente cum sequente Simplici, aut Duplici cum sequente Semiduplici vel Simplici, aut Duplici-majore cum sequenti Duplici-minore & infrà ; Vesperæ sunt de præcedente. Contrà, Semiduplici concurrente cum sequente Duplici, aut Duplici-minore cum sequente Duplici-majore, Vesperæ sunt de sequente, & sic de aliis quæ sunt inæqualis inter se gradûs.

11. Quid faciendum sit in Vesperis, quando Dominica quævis concurrit cum Festo, dictum est suprà, Cap. VI. n. 4.

CAPUT XIII.

De occurrentia Officii.

1. Occurrentia attenditur inter Officia quæ simul eodem die occurrunt : sæpe fit enim ut uno eodemque die occurrant duo Festa, vel Festum & aliqua Dominica ; aut Feria vel Octava, quorum unum excludit aliud ideoque necesse est illud quod excluditur, in alium diem transferri, vel saltem anticipari, si quidem sit translationis aut anticipationis capax, vel de eo solam Commemorationem fieri, vel nihil omnino, quod etiam quandoque contingit.

2. Festum itaque Simplex quod numquam transfertur, occurrens in Annuali aut Solemni-majore, prætermittitur.

3. De Simplici occurrente in Solemni-minore fit Commemoratio ad Laudes ; in aliis verò gradûs inferioris, ad primas Vesperas. Et si Fe-

ctum Simplex habeat Lectionem propriam, hæc legitur, ut dictum est, Cap. XI. n. 5. & 6.

4. Numquam pariter transfertur Festum Semiduplex, sed prætermittitur occurrens in Annuali, aut in Solemnibus - majoribus Domini, quæ gaudent privilegiis Annualium; Epiphania videlicet, Præsentatione, Annuntiatione, & Ascensione, aut in Festo Corporis Christi. De Semiduplici autem occurrente in aliis Solemnibus - majoribus fit Commemoratio, sed in Laudibus tantùm.

5. Festi Semiduplicis occurrentis in Solemni - minore, Duplici quocumque, Dominicâ, & in die intra Octavam secundi ordinis, fit Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus: & duæ ejus Lectiones (si duas habeat,) in unam junctæ ponuntur post sextum Responsorium; in Dominicis & Duplicibus - majoribus, omittitur Lectio. Quando autem occurrit in die intra Octavam tertii & quarti ordinis, fit de eo Officium & Commemoratio Octavæ.

6. Festum Duplex occurrens in Festo superioris gradûs, transfertur in proximū diem Festo Semiduplici & suprà, non impeditum. De Duplicibus-majoribus fit Officiū quando occurrunt in Dominicis quæ vocantur Communes & per annum: de quibus vide quæ dicta sunt cap. 6. huius Partis, n. 3.

7. Si Festum Duplex-majus festivatum per universam Diœcesim occurrat in die Octava secundi & tertii ordinis, fit Officium de eo, & in utrisque Vesperis & Laudibus Commemoratio Octavæ, sine Lectione.

8. Festum Duplex - minus occurrens in die Octava quarti ordinis transfertur, & fit Officium de Octava.

9. Duplex - minus occurrens in Vigilia Annualis, anticipatur. De Duplici verò majore & suprà, fit Officium cum ultima Lectione & Commemoratione Vigiliæ.

10. De Dominica quacumque, vel de die Octava secundi & tertii ordinis, vel de Feria majore occurrentibus in Festo superioris gradûs, etiam Annuali, fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. Hæ Commemorationes dicuntur privilegiatæ.

11. Excipiuntur Dominicæ intra Octavas Natalis Domini & Epiphaniæ, quarum, cùm prior occurrit 31. Decembris, & posterior 12. Januarii, Officium terminatur ad Nonam. De Feriis etiam Quatuor Temporum & Rogationum non fit Commemoratio ad Vesperas.

12. In primis Vesperis Annualium, præter Commemorationes privilegiatas (si quæ occurrant) non fit alia, nisi de Duplici - majore concurrente, & suprà. Quid autem sit faciendum quando concurrunt Festa annualia Sanctorum cum Solemnibus-ma-

joribus Domini, vide Cap. 12. *de concurrentia Officii*, n. 9.

13. In Laudibus Annualium fit Commemoratio de die Octava Duplici-minore, & de die intra Octavam secundi & tertii ordinis, si occurrant. In secundis verò Vesperis, de concurrente Festo Duplici & suprà, vel de die intra Octavam secundi & tertii ordinis, aut etiam de Festo Semiduplici, si postridie de eo fiat Officium, ut contingere potest in Adventu.

14. In primis Vesperis Solemnium-majorum fit Commemoratio de Duplici-minore concurrente, & de die Octava Duplici pariter minore, seu concurrente, seu postridie occurrente, ac de die intra Octavam secundi & tertii ordinis. In Laudibus autem, tam de die Octava, quàm de diebus intra Octavas quascumque, aut alio Semiduplici, si occurrat. In secundis denique Vesperis fit Commemoratio Festi gradûs cujuslibet inferioris, non excepto Simplici, modò postridie de eo fiat Officium: itemque dierum intra Octavas quascumque, aut Semiduplicis alterius, licèt horum die sequenti fiat tantùm memoria, propter Dominicam quæ occurrat, aut Festum Duplex.

15. In primis Vesperis Solemnium-minorum fit Commemoratio Semiduplicis cujuscumque, & suprà: in Laudibus etiam Simplicis, & similiter in secundis Vesperis, licèt de Simplici fiat postridie tantùm memoria.

16. In Duplicibus-majoribus & infrà, ac in Dominicis, fit Commemoratio cujuscumque Officii gradûs inferioris vel minùs digni, quod eâ die nec celebrari, nec transferri, nec anticipari debet.

17. A Feria iv. Cinerum inclusivè ad Feriam iv. majoris Hebdomadæ, de Simplicibus & Semiduplicibus fit tantùm Commemoratio secundùm rubricam generalem: eorum Lectiones (quamvis proprias habeant) non leguntur in Dominicis.

18. Duplicia à populo non Feriata, quæ occurrunt in Quadragesima, transferuntur in aliud tempus, excepto S. Joseph & Compassionis Officio. Quòd si Officium Compassionis occurrat die 24. Martii, terminatur ad Nonam; si die 25. nulla fit de eo memoria illo anno.

19. Quodcumque Festum etiam Annuale occurrens in Dominicâ primâ Adventûs, Feriâ quartâ Cinerum, Dominicâ primâ Quadragesimæ, Dominicâ Passionis, à Dominica Palmarum inclusivè ad Dominicam in Albis inclusivè, & à Vigilia Pentecostes inclusivè ad Festum Trinitatis inclusivè, transfertur; idque in proximum diem Solemni-majori vel suprà non impeditum, si translatum sit Annuale aut Solemne majus; secùs verò, in primum diem Festo Semiduplici & suprà non impeditum. A Vesperis Feriæ quartæ post Do-

minicam Palmarum inclusivè, ad Dominicam in Albis exclusivè, tam Simplicium quàm Semiduplicium in his diebus occurrentium omittitur Commemoratio. Item à primis Vesperis Pentecostes ad Feriam quartam sequentem nulla Commemoratio. Triduo autem post hanc Feriam de Simplici & Semiduplici fit memoria, excepto quòd in primis Vesperis Festi SS. Trinitatis nihil fiat de Semiduplici occurrente in Sabbato.

20. Si contigerit transferri Festum Vigiliam habens; tunc fit die proximè sequenti, etiam si occurrat illo die Festum Semiduplex & suprà, & nisi sit Solemne. Quando autem dies proximè sequens festivatur à populo, aut est Solemne, Festum Vigiliam habens transfertur secundùm generalem rubricam.

21. Festum Annuntiationis occurrens in Dominica primæ classis, transfertur (etiam in propriâ Ecclesiâ) in Feriam secundam, etiam si eo die occurrat alicubi Festum Annuale, de quo fiet primâ die non impeditâ secundùm superiorem rubricam. Si verò transferatur post Pascha, de eo fiet Feriâ secundâ post Dominicam in Albis quocumque Festo etiam Annuali in ea occurrente, de quo fiet primâ die non impeditâ secundùm generalem rubricam.

22. Si Festum S. Marci evenerit in Dominica, abstinentia à carnibus cum Litaniis fit Feriâ secundâ sequente: Si vero idem Festum occurrerit in hebdomada Paschæ, abstinentia cum Litaniis fit Feriâ secundâ post Dominicam in Albis, quocumque Festo in ea ocurrente: Officium verò S. Marci fit primâ die non impeditâ Festo Semid. & suprà post Dominicam in Albis secundùm generalem rubricam.

23. Festum SS. Philippi & Jacobi Sabbato aut Dominicâ in Albis occurrens, transfertur in 4. Maii; quo die non feriatur.

24. Si plura Festa transferantur, priùs fit de digniori & inter plura Duplicia priùs de Majori; alioquin si sint ejusdem gradûs, de iis fiet eo ordine quo occurrunt in Calendario, exceptis Festis Apostolorum & suprà, quæ aliis inferioris gradûs, etiam Festis Evangelistarum, præferuntur.

25. Si Festum Simplex vel Semiduplex occurrat in die in quo fieri tantùm possit de eo Commemoratio, fit etiam tantùm Commemoratio de eo in Vesperis præcedentis diei, etiam si dicantur de Feria. Si autem in die in quo nihil possit fieri de eo, nihil etiam fiet in Vesperis præcedentibus.

26. Cùm Festum habens Octavam transfertur, non transfertur ejus Octava, sed semper suo die terminatur; ita ut, verbi gratiâ, si aliquo anno Festum celebraretur eo die, qui si non transferretur esset ejus dies sexta, postri-

die fieret de die septima, sequenti verò die de die Octava: si verò celebraretur post diem in qua incidit Octava, eo anno nullam haberet Octavam.

17. De diebus intra Octavas quæ celebrantur in Adventu, dictum est suprà, Cap. *de Octavis* in fine.

PARS SECUNDA.

De Horis Officii.

OFficium est Nocturnum, vel Diurnum.

1. Officium Nocturnum, quod etiam Vigiliarum nomine nuncupatur, institutum est ut celebretur noctu ad exemplum Davidis, qui mediâ nocte surgebat ad confitendum nomini Domini; nunc quia in plerisque locis ex consensu Ecclesiæ manè persolvitur, dicitur vulgato nomine Matutinum.

2. Officium Diurnum (sic nuncupatum quòd per diem celebrari soleat, ad exemplum ejusdem Davidis, qui septies in die laudem dicebat Domino) in septem Horas dividitur, quæ sunt; Laudes, sic dictæ à Psalmis Laudum qui hâc horâ Deo cantantur; olim Matutinæ, quòd manè persolverentur appellatæ: Prima, quæ orto sole ante Officium Capituli: Tertia, quæ inter ortum solis, & meridiem: Sexta, quæ meridiè ante Prandium: Nona, quæ inter meridiem, & occasum solis: Vesperæ, quæ occidente sole, sive advesperascente die, ante Cœnam: Completorium denique, quod completo die, ante cubitum Deo persolvitur; sicque omne Officium consummatur.

3. De his octo Horis singillatim agendum.

CAPUT I.

De Officio Nocturno.

1. AD Officium Noctis hæc per ordinem regulariter dicuntur, nisi aliter quibusdam diebus notetur, *Pater. Ave. Credo.* secretò: deinde altâ voce Celebrans dicit: *Domine*, *labia*, &c. pollice signando sibi os signo Crucis. Tum manu extensâ, signando se à fronte ad pectus, & à sinistro humero ad dextrum, (quod servatur initio omnium Horarum) dicit *Deus*, *in adjutorium*, &c. dicto *Alleluia*, vel *Laus tibi, Domine*, &c. dicitur Invitatorium conveniens, cum Psalmo *Venite*, modo infrà præscripto in Capite I. tertiæ Partis. Posteà dicitur Hymnus.

2. Hymnum sequuntur Psalmi & Lectiones, sed diversâ ratione, pro diversitate Officii. Nam si sit Duplex-majus & suprà (extra Tempus Paschale) dicuntur novem Psalmi cum totidem Antiphonis, tribus Versiculis, novem Lectionibus ac Responsoriis, per tres Nocturnos distinctis hoc modo:

3. In I. Nocturno dicuntur tres Psalmi, cum tribus Antiphonis, scilicet post singulos Psalmos Antiphona una; Antiphonam tertiam sequitur Versiculus, post quem dicitur secretò, *Pater noster.*

usque ad *Et ne nos*, &c. quod clarâ voce pronuntiatur, (quod & in aliis Horis observatur in Choro, quando in ipsis dicitur Oratio Dominica;) sequitur Absolutio; deinde tres Lectiones: quamlibet præcedit Benedictio; & post singulas, dicitur Responsorium. (Absolutiones & Benedictiones habentur post Psalterium.) Lectiones desumuntur ex sacra Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt, (nisi aliæ propriæ de Scriptura assignentur, quod fit in majoribus tantùm Solemnitatibus.) Responsoria verò dicuntur ut in Proprio de Tempore, si Officium fiat de Tempore; si verò de Sancto, ut in Proprio vel in Communi Sanctorum, etiamsi Lectiones fuerint de Tempore; in fine Responsorii tertii cujusque Nocturni, dicitur *Gloria Patri*. cum reclamatione Responsorii, nisi aliter in propriis locis notetur.

4. In II. Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, cum totidem Antiphonis, Versiculus alius, *Pater*. Absolutio, Lectiones iterùm de Scriptura, vel de aliquo Sermone aut Tractatu Sancti alicujus, pro Officiorum qualitate; aut de Vita illius Sancti de quo fit Officium; & post quamlibet Lectionem, unum Responsorium.

5. In III. Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, Versiculo, *Pater noster*, &c. ut suprà. Leguntur duæ Lectiones iterùm de Scriptura; ultima autem de Homilia in Evangelium de Tempore, vel de Festo, secundùm qualitatem Officii. Post singulas Lectiones unum dicitur Responsorium. Si occurrat Homilia Feriæ majoris aut Dominicæ occurrentis, post ultimum Responsorium legitur Post hoc Responsorium, vel post decimam Lectionem, si occurrat, dicitur *Te Deum*. nisi aliter notetur.

6. Excipiuntur, ab hoc ordinario Officia tridui ante Pascha, & Defunctorum, in quibus in tertio Nocturno non legitur de Evangelio, nec de Homilia, sed tres hujus Nocturni Lectiones de Apostolo sunt.

7. In Festis Duplicibus minoribus, Semiduplicibus, & Simplicibus, Officium fit ut in prima parte notatum est, c. 3. & sequentibus. Dicitur *Te Deum*.

8. In Officio Feriæ (extra Tempus Paschale) Invitatorium & Hymnus, si non sint in Proprio de Tempore, de Psalterio sumentur, deinde novem Psalmi, sub tribus Antiphonis, cum Versiculo, ut in Psalterio. Post Versiculum, *Pater noster*. Absolutio, & tres Lectiones, quæ erunt de Scriptura occurrente, in Proprio de Tempore, nisi pro ultima Lectione legatur Evangelium cum sua Homilia, tunc enim duæ priores Lectiones in unam coalescunt. Post singulas Lectiones dicitur Responsorium, ut notatur in Proprio de Tempore.

9.

5. Post *Te Deum.* vel, quando non dicitur, post ultimum Responsorium, (aut post decimam, septimam vel quartam Lectionem, si habeatur.) communiter inchoantur Laudes, ut infrà. Si verò non dicantur continuò, dicitur, cum integra conclusione, Oratio; & antè & pòst, dicitur *Dominus vobiscum.* deinde in fine, *Benedicamus Domino.* In Feriis majoribus (extra Tempus Paschale) ante Orationem, & *Dominus vobiscum.* dicuntur flexis genibus Preces positæ ad Tertiam.

CAPUT II.

De Laudibus.

1. AD Laudes (dictis *Pater.* & *Ave.* si separentur ab Officio præcedenti; si verò non separentur, post *Te Deum.* vel quando non dicitur, post ultimum Responsorium, vel post quartam, aut septimam, aut decimam Lectionem, si occurrat (Hebdomadarius absolutè dicit Versum Sacerdotalem, deinde *Deus, in adjutorium,* ut suprà, & dicuntur Psalmi & Canticum, cum Antiphonis Officio convenientibus, ut habetur in Psalterio pro unoquoque hebdomadæ die, vel ut notatur in Proprio de Tempore, vel de Sanctis.

2. In Semiduplicibus & suprà, dicuntur quinque Antiphonæ; quæ si non adsint propriæ, sumuntur de Communi. At in Festis Simplicibus, Psalmi dicuntur sub quarta Antiphona de Laudibus illius Communis de quo fit Officium: intra Octavas, sub quarta Antiphona de Laudibus Festi, nisi propria assignetur aut aliter notetur.

3. Post Psalmos (nisi aliter notetur) dicitur Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Benedictus.* cum Antiphona, & Oratione; omnia pro qualitate Officii.

4. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Benedictus.* Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi.* & *Oremus.* Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum.* deinde dicitur *Benedicamus.* & secretò Versiculus *Fidelium animæ.* & *Pater noster.*

5. Si Commemorationes sunt faciendæ, fiunt post *Benedicamus.* & post ultimam Orationem dicitur iterùm *Benedicamus.* cætera ut suprà.

CAPUT III.

De Prima.

1. AD Primam, (dictis *Pater.* & *Ave.* secretò, si separetur ab Officio præcedenti,) dicitur *Deus, in adjutorium.* & Hymnus *Jam lucis.* Post Hymnum imponitur Antiphona conveniens: quod fit etiam ad cæteras Horas ante intonationem Psalmorum, ut habetur infrà, Parte III. Cap. V. *de Antiphonis.* Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad Horas diei, ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermissâ. In Feriali verò Officio sumuntur Antiphonæ quæ notantur in Psalterio,

vel in Proprio de Tempore, pro unaquaque Hora. Psalmi tres in Festis Annualibus, ac Solemnibus - majoribus, iidem sunt qui pro die Dominica in Psalterio notantur. In omni alio Officio, tam de Tempore, quàm de Sanctis, aut de Feria, Psalmi Feriales sumuntur ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

2. Post Psalmos, dictâ ad longum Antiphonâ, dicitur Capitulum, quod variatur pro qualitate Officii; deinde ℟. br. *Christe, Fili.* cujus Versus quoque variatur pro diversitate Temporis ac Festorum. Post ℟. br. ℣. *Exurge.* Deinde *Kyrie.* cum Oratione Dominica, Symbolo Apostolorum, Versiculis & Confessione: verùm ii omittuntur in Dominicis & in Festis Semiduplicibus quibuscumque & suprà, intra Octavas quascumque, in triduo post Circumcisionem, Vigiliâ Epiphaniæ, & biduo ante Pentecosten. Ad *Adjutorium.* Quilibet signat se signo Crucis, in Confessione ad *meâ culpâ.* ter percutitur pectus. Qui autem solus recitat, semel tantùm dicit *Confiteor.* omissis his vocibus, *& tibi, Pater, & vobis, fratres; & te, Pater, & vos, fratres.* & similiter semel *Misereatur.* in quo dicit *nostrî, peccatis nostris, perducat nos.* quod etiam servatur ad Completorium.

3. In Feriis verò quæ Preces habent ad Laudes, in Precibus ad Primam, adjiciuntur Versiculi *Eripe me.* & qui sequuntur ante Confessionem, & post Versus qui sequuntur Confessionem, *Domine, exaudi.* deinde Versus *Dominus vobiscum.* Oratio, ac rursùs *Dominus vobiscum.* ultimò *Benedicamus.*

4. Excipitur ab hoc Ordinario Prima Feriæ quintæ in Cœna Domini, tum novem sequentium dierum, & Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in quibus dicitur prout notatur propriis locis.

Caput IV.

De Officio Capituli.

1. Post Primam sequitur Officium Capitulare, quod tribus constat partibus.

2. Primò, Lectione Martyrologii, cum Versiculo *Pretiosa.* & Oratione *Sancta Maria.*

3. Secundò, Precibus ad opera diurna, scilicet *Deus, in adjutorium.* ter, cum Versu *Respice.* & Oratione *Dirigere.*

4. Tertiò, Lectione Canonum, de Vita Clericorum, cum ℣. *Adjutorium.* & Benedictione.

Caput V.

De Horis, Tertia, Sexta, & Nona.

1. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam (dictis secretò, *Pater.* & *Ave.* si separentur ab Officio præcedenti) dicitur *Deus, in adjutorium.* & Hymnus, deinde Psalmi per Ferias distributi, (præterquam in omnibus Festis Annualibus, ac in Festis Domini & B. Mariæ Solemnibus, in quibus dicuntur Psalmi de Domini-

ci;) quibus dictis cum Antiphona, dicuntur Capitulum & Responsorium breve pro qualitate Officii. Post Responsorium breve, & Versiculum (nisi dicendæ sint Preces) dicitur *Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi.* & Oratio quæ habetur in Proprio de Tempore; aut si fiat de Sancto, in Proprio, vel in Communi Sanctorum.

2. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum.* & dicitur *Benedicamus.* & secretò, *Fidelium animæ.* deinde *Pater.*

3. Excipiuntur ab hoc ritu Horæ tridui ante Pascha, ac sequentis hebdomadæ, & Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; quibus diebus dicuntur prout notatur propriis locis.

Caput VI.

De Vesperis.

1. AD Vesperas, (dictis secretò, *Pater.* & *Ave.* si separentur ab Officio præcedenti) dicitur *Deus, in adjutorium.* deinde quinque Psalmi cum quinque Antiphonis (nisi aliter notetur;) posteà Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Magnificat.* cum sua Antiphona, & Oratio cum *Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi.* antè & pòst; & in fine, *Benedicamus.* ac secretò, *Fidelium.*

2. Excipiuntur Vesperæ à Feria quarta majoris Hebdomadæ inclusivè, ad Sabbatum in Albis exclusivè, & Vesperæ Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quæ dicuntur ut suo loco notantur.

3. Excipiuntur pariter Vesperæ Officii Pentecostes, in quibus tres tantùm Psalmi sub totidem Antiphonis dicuntur.

4. Item excipiuntur primæ Vesperæ Duplicium-minorum & suprà, in quibus post Capitulum dicitur Responsorium ante Hymnum.

5. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Magnificat.*

6. Quando autem fiunt Commemorationes, sive propriæ, sive communes, quæ Suffragia dicuntur, fiunt post *Benedicamus.*

Caput VII.

De Completorio.

1. AD Completorium absolutè dicitur *Converte nos.* signando pollice pectus, tum *Deus, in adjutorium.* faciendo signum Crucis. Psalmi tres distributi per Ferias; Antiphona, vulgò communis, de Psalterio; Hymnus, Capitulum, Responsorium *In manus.* Versiculus, Canticum *Nunc dimittis.* cum sua Antiphona, ut habetur in Psalterio, nisi aliter notetur.

2. Precum Versiculi (qui diebus Dominicis, ac Festis Semiduplicibus & suprà, intra Octavas quascumque, à Circumcisione ad Epiphaniam, & Feriâ sextâ ante Pentecosten omittuntur) cæteris diebus dicuntur ut habentur in Psalterio, tum Oratio *Visita.* aut altera designata pro varietate Festi aut Tem-

poris, cum *Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi.* antè & pòst; & in fine, *Benedicamus.*

3. Finito Completorio, dicitur secretò *Benedicat*, &c. & *Fidelium.* tum si sit usus locorum, una ex Antiphonis beatæ Mariæ ad devotionem. Post completum Officium dicitur secretò, *Pater. Ave. Credo.*

4. Excipitur ab hoc ordinario Completorium Feriæ iv majoris Hebdomadæ, & sequentium dierum, usque ad Sabbatum in Albis exclusivè, in quibus dicitur prout notatur propriis locis.

PARS TERTIA.

De Horarum Partibus.

Singulæ Horæ (nisi aliter notetur) inchoantur per *Deus, in adjutorium.* præmisso ad Officium Nocturnum, *Domine, labia.* ad Laudes, Versu Sacerdotali; & ad Completorium, *Converte nos.*

CAPUT I.

De Invitatorio.

1. Invitatorium dicitur regulariter in omni Officio Nocturno, cum Psalmo *Venite.* sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio, Proprio de Tempore, ac in Proprio & Communi Sanctorum.

2. Variatur quoque pro modo, & ordine quo dicitur; de quo vide quæ dicta sunt, I. Parte, & Cap. 1. *de Officio Annuali*, Cap. 2. *de Officio Solemni* & aliis.

3. Tempore Paschali, in fine Invitatorii additur
cum, *Alleluia.*

4. Non dicitur Invita
rium in Epiphania Domi
nec triduo ante Pascha,
in Officio Defunctorum,
dicantur tria Nocturna.

CAPUT II.

De Hymnis.

1. Hymnus dicitur in q
libet Hora, præ
quàm à Vesperis Feriæ
majoris Hebdomadæ us
ad Nonam Sabbati in Al
inclusivè, & præterquàm
Officio Defunctorum.

2. Ad Officium No
Hymnus dicitur post Ps
mum *Venite.* Ad Laudes p
Capitulum, & ad Ho
diei, post *Deus, in adju*
rium. Ad Vesperas post R
ponsorium, si dicatur; al
quin, post Capitulum;
Completorium, post A
phonam Psalmorum.

3. Dicuntur autem Hy
ni in Officio de Tempo
ut in Psalterio, quando p
prii Hymni in Proprio
Tempore non adsunt:
Officio de Sanctis, dicun
ut in Communi, nisi pro
in Proprio Sanctorum
beantur.

CAPUT III.

De Psalmis.

1. Psalmi eo modo &
dine quo sunt in Ps
terio distributi, dicuntur
gulis diebus ad omnes H
ras, tam Diurnas, qu
Nocturnas, non solùm
Officio de Tempore,
etiam in Officio de Sanc
Ab hoc ritu, ne Festa q
dem Annualia & Solem

majora excipiuntur quantùm ad primas Vesperas (in quibus, & in Completorio Psalmi Feriales dicuntur,) sed solùm quantùm ad Officium diei Festi, in quo ad omnes Horas, Diurnas & Nocturnas, dicuntur Psalmi de Dominica, nisi alii assignentur. Excipitur etiam Officium tridui ante Pascha, in quo Psalmi dicuntur ut propriis locis notantur: Tempore Paschali dicuntur tantùm tres Psalmi ad Nocturnum, prout in Proprio de Tempore notantur.

2. In fine Psalmorum, & ad quamlibet Psalmorum divisionem semper dicitur, *Gloria Patri*, &c. & *Sicut erat*, &c. præterquàm in triduo ante Pascha; tunc enim in fine Psalmorum nihil dicitur, & in Officio Defunctorum, post Psalmos & Cantica, loco *Gloria Patri.* dicitur *Requiem.*

CAPUT IV.

De Canticis.

1. Cantica dicuntur in Officio, tam de Tempore quàm de Sanctis, ad Laudes, Vesperas & Completorium, ut in Psalterio distribuuntur, nisi alia in Proprio tam de Tempore, quàm de Sanctis assignentur.

2. Canticum quod post tres Psalmos priores dicitur in Laudibus, variatur secundùm diversitatem Officii, Festa Domini Annualia & Solemnia, & Festa beatæ Mariæ Virginis etiam non festivata à populo, atque etiam Festum Dedicationis Ecclesiæ, habent suum Canticum, ut in proprio loco notatur, tam in die, quàm per Octavam, quoties fit de Octava.

3. Suum etiam habent Canticum, Officium Defunctorum, & Officium parvum beatæ Mariæ Virginis, ac Officium tridui ante Pascha.

4. In cæteris Officiis de Sanctis, inde sumitur Canticum, unde sumuntur Psalmi Laudum.

5. In Annualibus & Solemnibus, cùm dicantur semper Psalmi de Dominica, dicitur & Canticum de Dominica, nisi aliud assignetur.

6. In aliis Festis, cùm dicuntur semper Psalmi Feriales, dicitur & Canticum ibi notatum pro Festis. In Officio verò Feriali, dicitur Canticum Feriale.

7. In fine omnium Canticorum dicitur *Gloria Patri*, & *Sicut erat*. Excipitur Canticum *Benedicite*. in cujus fine, loco *Gloria Patri.* & *Sicut erat*. dicitur, *Benedicamus Patrem*. & *Benedictus es*, ut ibidem ponitur. In Officio autem tridui ante Pascha, post Cantica ut post Psalmos, nihil dicitur; & in Officio Defunctorum, omisso *Gloria Patri*. dicitur *Requiem.*

CAPUT V.

De Antiphonis.

1. Ad omnes Horas, Nocturnas & Diurnas, semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una, vel plures, pro diversitate Officii & Horarum.

2. Si de Tempore fiat Officium, putà de Dominica, aut de Feria, dicuntur in omnibus Horis Nocturnis vel Diurnís, Antiphonæ post Psalmos, ut in Psalterio habentur nisi aliter notetur.

3. In Festis Semiduplicibus, & suprà, Antiphonæ quinque dicuntur ad Laudes & Vesperas, sive ex Proprio, sive ex Communi Sanctorum. In Simplicibus, & in diebus intra Octavas, secundi, tertii, aut quarti ordinis, Psal. dicuntur sub unica Antiphona propria, vel de Cōmuni, quæ ad Laudes est quarta Laudum. In Semiduplicibus & suprà, ad Horas similiter, tam in Proprio de Tempore, quàm de Sanctis, quando propriæ habentur in Laudibus Antiphonæ, & aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus hoc ordine: Ad Primam, prima; ad Tertiam, secunda; ad Sextam, tertia, & ad Nonam, quinta.

4. Antiphonæ in quocumque Officio eodem semper modo dicuntur, videlicet inchoantur tantùm ante Psalmos, & Cantica: & post Psalmos & Cantica, integræ dicuntur.

5. Excipiuntur ab hac regula Antiphonæ-majores in Adventu, quæ *O.* vocantur. Hæ enim ter repetuntur integræ; primò scilicet, ante *Magnificat.* secundò, ante *Gloria Patri.* tertiò, post *Sicut erat.* Vel si pro sola Commemoratione dicantur, ter etiam hoc modo: Primò, ante *Gloria.* secundò interl *ria.* & *Sicut.* tertiò, post *Si*

6. In Officio quod absc cantu recitantur, Psalmi Cantica inchoantur abs Antiphonarum impositior

7. Quando aliqua fit Co memoratio, semper dici Antiphona cum Versic ante Orationem, quæ sui tur ex Officio quod conve ei de quo fit Commemo tio, ita ut in Vesperis matur Antiphona quæ a gnatur ad *Magnificat.* & Laudibus, quæ ad *Benedict* cum Versiculis qui haben post Hymnum, nisi ali notetur.

CAPUT VI.

De Versiculis.

1. VErsiculus semper d tur post Antiphon quæ sequitur ultimum P mum cujusque Nocturni: Laudes & Vesperas, dici post Hymnum: ad Prim & ad reliquas Horas, Responsorium breve.

2. A Vesperis Feriæ majoris Hebdomadæ inc sivè, ad Nonam Sabbati Albis inclusivè, non dici tur Versiculi, nisi in Noct nis.

3. In Officio trium Lec num ad Nocturnum, si matur ex Officio novem ctionum, Versiculus I. I cturni dicitur Dominicâ, riâ secundâ & quintâ; V siculus II. Nocturni, Fe tertiâ & sextâ; & Versicu III. Nocturni, Feriâ qua & Sabbato.

CAPUT VII.

De Absolutionibus & Benedictionibus ante Lectiones.

1. Absolutiones & Benedictiones dicuntur, ut in fine Psalterii disponuntur; scilicet, post Versiculum, dicto *Pater noster*. fit Absolutio & dantur Benedictiones, ut ibi; præterquam triduo ante Pascha, & in Officio Defunctorum.

2. Variantur hæ Benedictiones pro diversitate Officiorum, ut ibidem, id est, post Psalterium notatur.

3. In Officio trium Lectionum de Sanctis, Absolutio sumitur secundùm Feriam; Benedictiones verò, ut notantur.

4. Lector petens Benedictionem in Choro, dicit *Jube, domne*. (apud Moniales Lectrix dicit *domna*.) qui verò solus recitat, dicit *Domine*. & dicit Benedictionem.

5. Quando Dominus Episcopus Lectionem lecturus est, postquam ipse præmisit ex more *Jube, domne*, dignior post ipsum, dicit illi: *Ora pro nobis, Pater*: ipse autem Episcopus dicit Benedictionem & Lectionem. Idem observatur ubi unicus est Presbyter, & cùm privatim Officium recitat Sacerdos cum aliis Clericis, inter quos non est alius ab ipso Sacerdos.

6. Ad Absolutiones & Benedictiones semper respondetur, *Amen*.

CAPUT VIII.

De Lectionibus.

1. Lectiones leguntur in quolibet Nocturno post Psalmos, præmisso semper, *Pater noster*, &c.

2. In Duplicibus-majoribus & suprà, (extra Tempus Paschale,) leguntur novem Lectiones, tres scilicet in quolibet Nocturno: In Festis Duplicibus-minoribus & Semiduplicibus, sex: in Festis autem Simplicibus, in Feriis, ac intra Octavas, & toto Tempore Paschali, in quo Nocturnum unum dicitur, tres Lectiones leguntur. In Officio novem Lectionum non additur decima Lectio, nisi sit Homilia; additur quarta & septima, quando occurrit vel de Sancto cujus fit Commemoratio, vel Homilia Feriæ.

3. In Officio novem Lectionum, in primo Nocturno leguntur tres Lectiones ex Sacra Scriptura, quæ per ordinem & suâ quâque die in Officio de Tempore occurrunt legendæ, nisi aliæ suis locis assignentur. In secundo & tertio Nocturno leguntur ut in Proprio assignantur.

4. In Officio trium Lectionum, ordinabuntur Lectiones ut sequitur. Si Festum unam habuerit Lectionem propriam, prima & secunda erunt de Scriptura, tribus in duas redactis, tertia de Festo. Quod etiam servatur in Officio de Beata Maria in Sabbato, in quo, si Commemoratio alicujus Sancti occurrat, omittitur ejus Lectio. In Feriali verò Officio tres Lectiones erunt de Scriptura, nisi legenda sit Homilia pro tertia Lectione; tunc enim

tres Lectiones de Scriptura contrahentur in duas.

5. Quando duæ tantùm leguntur Lectiones de Scriptura, quæ prima assignatur, eo die legitur cum secunda.

6. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo Libri de quo sumuntur (nisi aliter in propriis locis notetur.) Lectiones etiam secundi Nocturni quando sunt ex Scriptura, vel ex aliquo Sermone, Tractatu, Epistolâ, aut alio quovis libro Sanctorum Patrum, leguntur cum titulo & nomine autoris, aliàs minimè; & similiter in tertio Nocturno, ubi etiam legitur nomen autoris cujus est Homilia.

7. Ante quamlibet Lectionem, nisi aliter notetur, Lector petit Benedictionem per verba solemnia *Iube, domne.* de quibus dictum est Cap. præced. & ita concludit quamlibet, dicens: *Tu autem, Domine, miserere nostri,* & respondetur, *Deo gratias;* prætterquam in triduo ante Pascha, ubi tamen in primo Nocturno, loco *Tu autem.* dicitur *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum;* & nihil respondetur. In secundo autem & tertio non dicitur *Tu autem.* nec quidquam aliud; sicut nec in Nocturnis Officii Defunctorum. Eâdem clausulâ *Jerusalem.* terminantur omnes Lectiones de Jeremia, à Dominica Passionis usque ad Feriam IV. majoris Hebdomadæ inclusivè. In Adventu ad Lectiones de Isaia, etiam in Officio de Sanctis, loco *Tu autem.* dicitur *Hæc dicit Dominus Deus, Convertimini ad me, & salvi eritis;* & sic terminantur, nihil respondendo; aliæ verò Lectiones de Prophetis more solito terminantur.

Caput IX.
De Responsoriis.

1. Post quamlibet Nocturni Lectionem, ac etiam post Capitulum primarum Vesperarum Duplicium (exceptis Sabbatis per annum, quando Vesperæ dicuntur de Officio Dominicæ) dicitur Responsorium.

2. Sumuntur autem Responsoria in Officio de Tempore, ex eo loco ubi primò sunt posita.

3. In Officio autem de Sanctis, sumuntur ex Proprio, aut ex Communi Sanctorum.

4. In Officio trium Lectionum, cujus Responsoria ex Officio novem Lectionum sumenda sunt, sumuntur hoc ordine: Feriâ secundâ & Feriâ quintâ, è I. Nocturno; Feriâ tertiâ & sextâ, è II. Nocturno; Feriâ quartâ & Sabbato, è III. Nocturno.

5. In Feriali Officio (extra Tempus Paschale) Responsoria sumuntur ex Dominica præcedenti, nisi aliter notetur, aut propria Responsoria huic Feriæ assignentur. Sumuntur autem alternatim ex tribus Nocturnis, hoc ordine: Feriâ secundâ & quintâ ex I. Nocturno; Feriâ tertiâ & sextâ, ex II. Nocturno; Feriâ quartâ, & Sabbato (si fiat de Feriâ,)

ex III. Nocturno. Cùm autem Responsoria propria cuidam Feriæ assignantur, & eâ die dici non possunt, propter Festum occurrens, de quo eâ die fiat Officium, hæc Responsoria propria huic Feriæ non resumuntur in alia Feria, sed omittuntur eo anno. In Feriis Temporis Paschalis, Responsoria dicuntur ut ibidem notatur.

6. In Responsoriis tres partes distingui solent, quarum prima Initium, secunda Reclamatio, tertia Versus dicitur. Reclamatio distinguitur ab Initio per Asteriscum, * & semper post Versum integra repetitur.

7. Præterea post Versum & Reclamationem additur *Gloria Patri.* ad ultimum cujusque Nocturni Responsorium, & ad Responsorium primarum Vesperarum in Duplicibus (præterquam in Officiis Defunctorum, in Compassione beatæ Mariæ Virginis, & in omni Officio de Tempore, à Dominica Passionis ad Pascha;) & post *Gloria Patri.* iterùm repetitur Reclamatio; vel si divisionem habeat, ejus ultima pars quæ hâc notulâ † signatur.

8. In Annualibus, tertium, sextum, & nonum Responsorium resumuntur, id est, fit repetitio ab initio usque ad Versum: in Solemnibus-majoribus sextum & nonum resumuntur; in Solemnibus-minoribus, resumitur tantùm ultimum seu nonum Responsorium.

9. In Festis Semiduplicibus, Dominicis per annum, & Officio quocumque superiori, ac etiam in Feriis Tempore Paschali, post ultimum Responsorium dicitur *Te Deum.* In Dominicis verò, & Duplicibus in quibus *Te Deum.* non dicitur, statim in ultimo Responsorio, post ultimam Reclamationem resumitur Responsorium usque ad Versum exclusivè.

10. At in Dominicis Passionis, & Palmarum, ac in Officio Compassionis, & tridui ante Pascha, in ultimo cujusque Nocturni Responsorio, & in Responsoriis primarum Vesperarum, statim post Reclamationē quæ Versum sequitur fit Resumptio; eo enim Tempore, non dicitur *Gloria Patri.*

11. In Officio Defunctorum, in ultimo cujusque Nocturni Responsorio, loco *Gloria Patri.* dicitur *Requiem.* cum Reclamatione; & in ultimo seu nono Responsorio post ultimam Reclamationem fit Resumptio.

12. In aliis Feriis, etsi *Te Deum* non dicatur, non resumitur Responsoriū ultimū Nocturni.

CAPUT X.

De Cantico Te Deum.

IN omni Festo Simplici & suprà, & intra quamcumque Octavam per annum, ac in Officio de beata Maria in Sabbato, ac per omne Tempus Paschale, post ultimum Responsorium dicto *Gloria.* cum ejus Reclamatione, vel post Resumptionem in Solemnibus & Annualibus, vel

post Lectionem occurrentem propter Commemorationem aut propter Feriam majorem, dicitur *Te Deum.* exceptis Dominicis Adventûs, & à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha; nec non Festo Compassionis beatæ Mariæ, cujus Officium pro Quadragesimali habetur, ac, ipso Tempore Paschali, Feriâ secundâ Rogationum.

CAPUT XI.

De Collecta, seu Oratione.

1. ORatio in Nocturnis, si Laudes iis non jungantur, dicitur post *Te Deum.* vel, quando non dicitur, post ultimum Responsorium, nisi dicendæ sint Preces, quæ tunc ante Orationem dicuntur: in Laudibus & Vesperis, post Antiphonam ad *Benedictus.* & ad *Magnificat.* nisi quando dicendæ sunt Preces quæ dicuntur post Antiphonam; & in fine illarum, Oratio: ad Horas diei, post Versiculum qui Responsorium breve sequitur, nisi dicendæ sint Preces; tunc enim Oratio dicitur post ultimum Versiculum Precum: ad Primam & Completorium, post Preces, nisi aliter notetur.

2. Ad Primam non mutatur Oratio quæ habetur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Ad Completorium variatur Oratio pro diversitate Temporis, & Festorum. In aliis Horis dicitur Oratio quæ assignatur in Proprio.

3. Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur.

4. In Quadragesima, Quatuor Temporibus & Feriis Rogationum, Oratio quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam & Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fiat de Feria, dicitur, vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis.

5. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum.* non tamen ab eo qui solus recitat, nec ab eo qui non est saltem in ordine Diaconatûs, nec à Diacono, præsente Sacerdote, nisi de illius licentia, nec à Monialibus, etiam consecratis; sed ab iis omnibus ejus loco dicitur *Domine, exaudi.* deinde *Oremus.* In fine Orationis, postquam responsum fuerit *Amen.* repetitur *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi.* postea *Benedicamus.* & respondetur *Deo gratias.* quod semper servatur in fine primæ Orationis sive unica, sive plures dicantur. Quòd si plures Orationes dicendæ sint (ratione Commemorationum,) ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona, & Versiculus, deinde *Oremus.* & post ultimam Orationem, iterùm repetitur, *Domine, exaudi.* vel *Dominus vobiscum.* & *Benedicamus.* & statim secretò dicitur Versus, *Fidelium animæ.* si aliud Officium non

sequatur. Ad Primam non dicitur, etsi sæpiùs immediatè non succedit Tertia, si saltem Officium Capituli sequitur. Similiter nec post aliam Horam quamcumque cui subjiciuntur, vel Officium parvum B. Mariæ, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Statio, aut Processio, aut Missa, aut Concio, aut Psalmus, sive Canticum pro Rege, aut pro aliqua necessitate, aut aliud ejusmodi.

6. Quando Oratio dirigitur ad Patrem, sic concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* Si ad Christum; per, *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula*, &c. Si in principio vel serie Orationis, fiat mentio Filii, dicitur: *Per eumdem Dominum nostrum*, &c. Si in fine Orationis, dicitur: *Qui tecum vivit & regnat in unitate*, &c. Si fiat mentio Spiritûs sancti, dicitur: *In unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus*, &c. In Orationibus pro Defunctis, nisi aliter notetur, dicitur: *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.* ℟. *Amen.*

7. Quando plures Orationes dicendæ sunt, prima tantùm & ultima dicuntur cum magna conclusione, *Per Dominum nostrum*, &c. vel aliter, ut suprà; intermediæ autem sic concluduntur: *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* vel: *Per eumdem Christum*, &c. vel: *Qui vivis & regnas Deus.* ℟. *Amen.* vel: *Qui tecum vivit & regnat Deus.* ℟. *Amen.*

8. Notandum autem quòd unicuique Orationi præmittitur *Oremus*, & levis pausa, præterquam in Officio Defunctorum, & in Litaniis, cùm plures Orationes dicuntur conjunctim, sub uno *Oremus*.

9. In Orationibus, & Versiculis in quibus notatur N. pronuntiatur nomen Baptismale ejus de quo fit mentio.

Caput XII.

De Oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ.

1. Oratio Dominica *Pater.* & Salutatio Angelica *Ave.* dicuntur secretò ante Horas quaslibet, excepto Completorio, post cujus finem dicuntur. Si Hora jungatur præcedenti Officio, non dicuntur ante ejus initium.

2. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus, dicitur secretò usque ad *Et ne nos.* quod altâ voce profertur. Id quoque observatur in medio cujusque Nocturni, præterquam triduo ante Pascha, quo tempore *Pater.* dicitur totum secretò.

3. In fine uniuscujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto submissiori voce, *Fidelium animæ.* dicitur etiam secretò, *Pater noster.*

post Lectionem occurrentem propter Commemorationem aut propter Feriam majorem, dicitur *Te Deum.* exceptis Dominicis Adventûs, & à Dominica in Septuagesima usque ad Pascha; nec non Festo Compassionis beatæ Mariæ, cujus Officium pro Quadragesimali habetur, ac, ipso Tempore Paschali, Feriâ secundâ Rogationum.

CAPUT XI.

De Collecta, seu Oratione.

1. ORatio in Nocturnis, si Laudes iis non junguntur, dicitur post *Te Deum.* vel, quando non dicitur, post ultimum Responsorium, nisi dicendæ sint Preces, quæ tunc ante Orationem dicuntur: in Laudibus & Vesperis, post Antiphonas ad *Benedictus.* & ad *Magnificat.* nisi quando dicendæ sunt Preces quæ dicuntur post Antiphonam; & in fine illarum, Oratio: ad Horas diei, post Versiculum qui Responsorium breve sequitur, nisi dicendæ sint Preces; tunc enim Oratio dicitur post ultimum Versiculum Precum: ad Primam & Completorium, post Preces, nisi aliter notetur.

2. Ad Primam non mutatur Oratio quæ habetur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Ad Completorium variatur Oratio pro diversitate Temporis, & Festorum. In aliis Horis dicitur Oratio quæ assignatur in Proprio.

3. Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur.

4. In Quadragesima, Quatuor Temporibus & Feriis Rogationum, Oratio quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam & Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fiat de Feria, dicitur, vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis.

5. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum.* non tamen ab eo qui solus recitat, nec ab eo qui non est saltem in ordine Diaconatûs, nec à Diacono, præsente Sacerdote, nisi de illius licentia, nec à Monialibus, etiam consecratis; sed ab his omnibus ejus loco dicitur. *Domine, exaudi.* deinde *Oremus.* In fine Orationis, postquam responsum fuerit *Amen.* repetitur *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi.* postea *Benedicamus.* & respondetur *Deo gratias.* quod semper servatur in fine primæ Orationis sive unica, sive plures dicantur. Quòd si plures Orationes dicendæ sint (ratione Commemorationum,) ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona, & Versiculus, deinde *Oremus.* & post ultimam Orationem, iterùm repetitur, *Domine, exaudi.* vel *Dominus vobiscum.* & *Benedicamus.* & statim secretò dicitur Versus, *Fidelium animæ.* si aliud Officium non

sequatur. Ad Primam non dicitur, etsi sæpiùs immediatè non succedit Tertia, si saltem Officium Capituli sequitur. Similiter nec post aliam Horam quamcumque cui subjiciuntur, vel Officium parvum B. Mariæ, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Statio, aut Processio, aut Missa, aut Concio, aut Psalmus, sive Canticum pro Rege, aut pro aliqua necessitate, aut aliud ejusmodi.

6. Quando Oratio dirigitur ad Patrem, sic concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* Si ad Christum; per, *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula,* &c. Si in principio vel serie Orationis, fiat mentio Filii, dicitur: *Per eumdem Dominum nostrum,* &c. Si in fine Orationis, dicitur: *Qui tecum vivit & regnat in unitate,* &c. Si fiat mentio Spiritûs sancti, dicitur: *In unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus,* &c. In Orationibus pro Defunctis, nisi aliter notetur, dicitur: *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.* ℟. *Amen.*

7. Quando plures Orationes dicendæ sunt, prima tantùm & ultima dicuntur cum magna conclusione, *Per Dominum nostrum,* &c. vel aliter, ut suprà; intermediæ autem sic concluduntur: *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* vel: *Per eumdem Christum,* &c. vel: *Qui vivis & regnas Deus.* ℟. *Amen.* vel: *Qui tecum vivit & regnat Deus.* ℟. *Amen.*

8. Notandum autem quòd unicuique Orationi præmittitur *Oremus*, & levis pausa, præterquam in Officio Defunctorum, & in Litaniis, cùm plures Orationes dicuntur conjunctim, sub uno *Oremus*.

9. In Orationibus, & Versiculis in quibus notatur N. pronuntiatur nomen Baptismale ejus de quo fit mentio.

CAPUT XII.

De Oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ.

1. ORatio Dominica *Pater.* & Salutatio Angelica *Ave.* dicuntur secretò ante Horas quaslibet, excepto Completorio, post cujus finem dicuntur. Si Hora jungatur præcedenti Officio, non dicuntur ante ejus initium.

2. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus, dicitur secretò usque ad *Et ne nos.* quod altâ voce profertur. Id quoque observatur in medio cujusque Nocturni, præterquam triduo ante Pascha, quo tempore *Pater.* dicitur totum secretò.

3. In fine uniuscujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto submissiori voce, *Fidelium animæ.* dicitur etiam secretò, *Pater noster.*

4. Salutatio Angelica sola dicitur ante Officium parvum beatæ Mariæ Virginis, quando non jungitur Officio Canonico.

CAPUT XIII.

De Symbolo Apostolorum, & Symbolo Quicumque.

1. SYmbolum Apostolorum *Credo in Deum.* dicitur integrum secretò post *Ave.* ante Officium Nocturnum, & post finem Completorii. Dicitur etiam secretò post *Pater.* ad Preces Primæ, & Completorii; sed in fine altâ voce profertur, *Carnis resurrectionem.*

2. Symbolum *Quicumque.* dicitur ad Primam post Psalmos, omnibus Dominicis in quibus Officium fit de Dominica ut in Psalterio, etiam Tempore Paschali, & in Festo Trinitatis, ac in ejus Octava iis in locis ubi celebratur, non autem intra Octavam. In fine illius dicitur *Gloria Patri.* ut in fine Psalmorum.

CAPUT XIV.

De Capitulis & Canone

1. CApitula dicuntur ad Vesperas, Laudes, & alias Horas post Psalmos, & Antiphonas; ad Completorium verò, post Hymnum.

2. Nullum legitur Capitulum ad Laudes Natalis Domini, neque in toto Officio à Vesperis Feriæ quartæ majoris Hebdomadæ inclusivè, ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè.

3. Capitula Primæ & Completorii dicuntur ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

4. In Horis omnibus ad Capitulum quodcumque fit, respondetur *Deo gratias.*

5. Ad Primam Canon de quo dictum Parte II. Cap. 4. *de Officio Capituli*, legitur eâ die quæ occurrit, nisi alius assignetur in Proprio Sanctorum pro quibusdam Festis: tunc enim Canon qui eâ die occurrit in Proprio de Tempore, omittitur. In triduo ante Pascha legitur Canon, sed nec petitur, nec datur Benedictio, nec in fine dicitur *Tu autem.* nec ℟. *Amen.*

CAPUT XV.

De Responsoriis brevibus.

1. REsponsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Horas minores tantùm, id est, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium, præterquam in Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibus diebus non dicuntur.

2. Quando fit Officium de Dominica aut Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio; in Adventu autem, Quadragesimâ, Tempore Passionis, & Paschali, quibus Capitula de Psalterio mutantur; mutantur etiam Responsoria brevia, & dicuntur ut in propriis locis notantur. In Festis, si propria desint, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

3. A Dominica Passionis inclusivè usque ad Pascha,

in Responsoriis brevibus, Officii cujuscumque de Tempore, *Gloria Patri.* non dicitur; sed post Versum, & ejus reclamationem, repetitur ab initio Responsorium breve usque ad Versum.

4. In Responsorio brevi ad Primam, *Christe.* ℣. *Qui sedes.* qui dicitur per annum, mutatur aliquando in Officio, sive de Tempore, sive de Sanctis, prout in propriis locis notatur.

5. In omnibus Festis Solemnibus, & Annualibus, (præterquam à Septuagesima ad Pascha,) & à Natali Domini ad Octavam Epiphaniæ, & toto Tempore Paschali, & intra Octavas Annualium & Corporis Christi, in fine Responsoriorum brevium Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ante Versum dicuntur duo *Alleluia.* quæ etiam post dictum Versum pro Reclamatione repetuntur. Responsoria brevia Primæ & Completorii numquam mutantur; nec *Alleluia* iis umquam additur, nisi Tempore Paschali. Ad Versiculum qui post *Gloria Patri.* & repetitionem integram cujuscumque Responsorii brevis, subjicitur, numquam dicitur *Alleluia.* nec ad responsionem ejus, etiam Tempore Paschali.

CAPUT XVI.
De Precibus.

1. PReces constant aliquot Versiculis qui sive pluribus, sive paucioribus, pro dierum diversitate, dicuntur ante Orationem, præmisso *Kyrie, eleison.* & *Pater noster.* cui additur *Credo.* ad Primam & ad Completorium.

2. Preces hæ non dicuntur in Dominicis & Semiduplicibus quibuscumque, & suprà; nec à Vigilia Natalis Domini inclusivè, ad Octavam Epiphaniæ, nec à Feria quarta majoris Hebdomadæ inclusivè, ad Dominicam in Albis. nec ab Ascensione ad Trinitatem, nec intra quascumque Octavas, nisi intra eas quæ occurrunt in Adventu, intra quas fit Officium de Feria.

3. Preces Feriales ad Laudes & Horas diei dicuntur in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & IV. Temporum, exceptis IV. Temporibus Pentecostes; ac etiam in Vigiliis, exceptis majoribus, de quibus dictum est Parte I. Cap. 8. *de Officio Vigiliarum.*

4. Dicuntur etiam ad Vesperas in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & IV. Temporum, dummodò Vesperæ sint de Feria, præterquam in illis Feriis Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ *O.*

5. Quotiescumque autem ad Laudes & ad Vesperas Preces dictæ sunt, tunc Preces ad Primam & ad Completorium dicuntur flexis genibus; aliàs flexis genibus non dicuntur, nequidem in ultimis Feriis Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ O. & ad Completorium ritus Semiduplex adhibetur.

6. Quando dicuntur Preces flexis genibus, cæteris genua flectentibus, & conversis ad

Altare, Celebrans solus genua flectit conversus ad Chorum, & incipit *Kyrie.* & in eodem ritu cætera prosequitur usque ad *Dominus vobiscum.*

7. In Precibus Laudum & Vesperarum, ad Versiculum *Oremus pro Pastore nostro N.* addit nomen DD. Episcopi.

8. Quotiescumque dicit *Confiteor.* ad Primam aut ad Completorium, observat quæ dicta sunt suprà, Parte II. Cap. 3. *de Prima*, n. 2. circa varietatem vocum *vobis, fratres*; *& vos, fratres.*

9. Ad ℣. *Dominus vobiscum.* surgit, & elevat vocem, ac pronuntiat Orationem, cæteris usque ad finem Orationis Officii remanentibus genuflexis, & ad Altare conversis.

CAPUT XVII.

De Suffragiis.

1. IN primis Vesperis Dominicæ cujusvis per annum, in Laudibus & in secundis Vesperis ejusdem Dominicæ per annum, quando non occurrit intra Octavam aut in die Octavæ & fit Officium de Dominica, fit Commemoratio consueta de Beata, deinde de Patrono Ecclesiæ titulari, excepto tamen à Dominica prima Adventûs, usque ad Festum Purificationis, & à Dominicâ Passionis usque ad Dominicam tertiam post Pentecosten exclusivè.

2. In Feriis & aliis Simplicibus, Suffragia, seu Commemorationes communes de Beata & de Sanctis, dicuntur in fine Laudum & Vesperarum ab Octava Natalis Domini ad Dominicam Passionis, & à Trinitate ad Adventum exclusivè, eo modo qui sequitur.

3. Commemoratio de Beata, quæ habetur in Psalterio, Parte Hiemali, quotidie fit à secunda die Januarii, (exceptis Festo & Octavâ integrâ Epiphaniæ) usque ad Præsentationem Domini exclusivè, etiam in Duplicibus majoribus, non autem in Solemnibus quibuscumque ac Annualibus. In Simplicibus verò & Feriis ejusdem Temporis, alia Suffragia non dicuntur.

4. Commemoratio de Cruce, cum cæteris quæ in Psalterio sequuntur, fit tantùm in Feriis à Præsentatione Domini ad Dominicam Passionis, & à Trinitate ad Adventum. A Dominica verò in Albis ad Ascensionem, in Feriis, ac etiam in Festis Simplicibus, fit memoria de Cruce, prout habetur in Proprio de Tempore post Dominicam in Albis; tuncque non fiunt aliæ Commemorationes.

5. Commemoratio de Beata, posita in Psalterio, non fit Sabbatis in quibus fit Officium de ea, nec ubi ejus Officium parvum dicitur.

6. Commemoratio de Patrono ac Titulari fit post Commemorationem vel Officium de Beata Quòd si Ecclesia sub titulo SS. Trinitatis, aut alicujus ex Personis divinis dedicata fit, tunc fit ante Com-

memorationem Crucis : si autem sub titulo alicujus ex Mysteriis Christi Domini, fit de iis quæ Passionem ejus præcesserunt, ante Commemorationem Crucis ; post ipsam verò, de iis quæ subsecuta sunt.

7. Si dicatur Officium parvum beatæ Mariæ, post Laudes & Vesperas diei fit tantùm Commemoratio de Cruce : aliæ Commemorationes communes fiunt post Laudes & Vesperas Officii parvi, nisi Commemoratio fieri debeat de SS. Trinitate aut Mysteriis Christi ; tunc enim fit in Officio diei secundùm ordinem suprà enuntiatum.

8. Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis, fit ante ipsa Suffragia, etiam ante Commemorationem de Cruce.

CAPUT XVIII.

De Officio parvo beatæ Mariæ, & Antiphonis de eadem in fine Officii.

1. OFficium parvum beatæ Mariæ dicitur in Simplicibus & Feriis, secundùm usum Ecclesiarum.

2. Antiphonæ autem de eadem positæ in fine Psalterii, post Completorium variantur pro temporis diversitate, ut ibidem annotatur.

3. Dicuntur autem ad devotionem tam in Choro, quàm extra Chorum, & juxta consuetudinem locorum & Ecclesiarum.

4. Illæ Antiphonæ non dicuntur in triduo ante Pascha.

CAPUT XIX.

De Psalmis Pœnitentialibus, & aliis usque ad finem Breviarii.

1. PSalmi Pœnitentiales dicuntur in Choro Feriâ quartâ Cinerum post Sextam, ac Feriâ quintâ in Cœna Domini post Nonam, ut habetur in Missali.

2. De Officio Defunctorum, & Commendationibus, de Benedictione mensæ, ac Itinerario, habentur suis locis propriæ Rubricæ, circa finem Breviarii.



SERIES TITULORUM,

Sub quibus ordinantur Canones Conciliorum in toto Breviario distributi.

1. DE ſcientia Sacrarum Scripturarum & Canonum, necnon de autoritate Conciliorum Generalium : *Hebd. I. Adventûs.*

2. De inſtitutione Miniſtrorum Eccleſiæ & eorum dignitate : *Hebd. II. Adventûs.*

3. De Ordinatione & Ordinibus in genere : *Hebd. III. Adventûs.*

4. De Jejunio IV. Anni Temporum : *in ſingulis Feriis quartis eorumdem IV. Temporum.*

5. De Ordinandorum delectu, & precibus ad Deum fundendis, ut digni ordinentur : *in ſingulis Feriis ſextis & Sabbatis IV. Temporum.*

6. De ſanctitate Cleri, & de vocationis neceſſitate : *Hebd. IV. Adventûs.*

7. De Clericatu, ubi & de Tonſura, & Clericorum coma, habitu & cultu : *à Feſto S. Joannis 27. Decembris ad Epiphaniam Domini 6. Januarii.*

8. De Sacramento Matrimonii : *à die 7. Januarii ad Dominicam II. poſt Epiphaniam.*

9. De Ordinibus in ſpecie : *à Dominica II. poſt Epiphaniam ad Domin. IV.*

10. De virtutibus quibus pollere debent Eccleſiæ Miniſtri, ac vitiis à Clero vitandis ; ubi de caſtitate, & mulierum frequentatione ; de ſobrietate, & ebrietate ; de paupertate, & avaritia ; de humilitate, & animi jactantia ; de zelo, prudentia ; de ludis, ſpectaculis &c. *à Dominica IV. poſt Epiphaniam ad Feriam quartam Cinerum.*

11. De jejunio & obſervantia Quadrageſimali : *à Feria IV. Cinerum ad Dominicam I. in Quadrageſima.*

12. De Sacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus ; de officio & dotibus Confeſſariorum, necnon de caſibus reſervatis : *à Dominica I. in Quadrageſima ad Dominicam in Ramis Palmarum.*

13. De Communione Paſchali & ſancto Euchariſtiæ uſu : *à Dominica in Ramis Palmarum ad Dominicam in Albis depoſitis.*

14. De mediis ad obtinendam ſtatûs Clericalis perfectionem, ubi de oratione, Sacramentorum frequentatione, piiſque lectionibus & exercitiis : *à Feria II. poſt Dominicam in Albis ad Dominicam III. poſt Paſcha.*

15. De ſcientia Clericis neceſſaria & ſancto temporis uſu : *à Dominica III. poſt Paſcha ad Dominicam V.*

16. De

16. De Rogationibus & Litaniis: *à Dominica V. post Pascha ad Ascensionem exclusivè.*

17. De Sacramento Baptismi, Patrinis, & Baptisatorum obligationibus: *à crastino Ascensionis Domini ad ejus diem Octavam.*

18. De Sacramento Confirmationis: *à Feria VI. post Octavam Ascensionis ad Festum SS. Trinitatis.*

19. De Extrema-Unctione: *à Feria II. post Festum SS. Trinitatis ad Solemnitatem SS. Eucharistiæ.*

20. De Sacramento SS. Eucharistiæ & Sacerdotio Christi: *in Solemnitate SS. Eucharistiæ & per totam ejus Octavam.*

21. De Sacrificio Missæ ritè celebrando & audiendo: *à Feria VI. post Octavam SS. Eucharistiæ ad Dominicam V. post Pentecosten.*

22. De sanctificatione diei Dominicæ & Festorum: *in singulis Dominicis à Dominica III. post Pentecosten ad Adventum.*

23. De muniis ab Episcopo obeundis, & Synodis ab eodem cogendis: *à Dominica V. post Pentecosten ad Dominicam VII.*

24. De vita, moribus & officiis Canonicorum; ubi de recitatione publica Officii Divini, de Cantu Ecclesiastico, de Cantoribus, de reformatione Breviarii, de fundationibus, de reverentia in Ecclesiis: *à Dominica VII. post Pentecosten ad Dominicam XIII.*

25. De vita, moribus & officiis Parochorum & Vicariorum; ubi etiam de verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione, aliisque eorumdem muneribus; de fidelium sepultura, de residentia, de privata Officii Divini recitatione, &c. *à Dominica XIII. post Pentecosten ad Dominicam XVIII.*

26. De Beneficiorum collatione, eorumdemque pluralitate; de bonorum Ecclesiæ usu, de Simonia: *à Dominica XVIII. post Pentecosten ad Dominicam XX.*

27. De Cæremoniis, de Organis; de Campanis & earum benedictione: *à Dominica XX. ad Dominicam XXI.*

28. De Oratoriis & Sacellis domesticis; de Altaribus, eorumque Ornamentis: *à Dominica XXI. post Pentecosten ad Dominicam XXII.*

29. De Cœmeteriis, sepulturâ & exequiis Defunctorum: *à Dominica XXII. post Pentecosten ad Dominicam XXIII.*

30. De Sanctorum invocatione, Reliquiis & Imaginibus; de Miraculis & Indulgentiis: *à Dominica XXIII. post Pentecosten ad Dominicam XXIV.*

31. De Clericorum conversatione cum Laïcis & Monialibus: *à Dominica XXIV. post Pentecosten ad Dominicam XXV.*

32. De Privilegio Cleri; de abstinendo à judicibus criminalibus, de litibus vitandis & componendis: *à Dominica XXV. post Pentecosten*

Verna. Carc.

ù

ad Dominicam XXVI.

33. De subjectione Clericorum sub Episcopo: *à Dominica XXVI. post Pentecosten ad Dominicam XXVII.*

34. De Excommunicatione & Excommunicatis: *à Dominica XXVII. post Pentecosten ad Dominicam XXVIII.*

35. De formandis junioribus Clericis, ubi de Seminariis: *à Dominica XXVIII. post Pentecosten ad finem Hebdomadæ.*

Hac in Canonum serie non comprehenduntur Solemnitates, Festa & dies quæ proprios habent Canones ratione Mysteriorum aut peculiaris disciplinæ.

FORMA ABSOLUTIONIS

Cum Precibus ante & post eam à Sacerdote dicendis.

MIsereátur tuî omnípotens Deus, & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

DOminus noster Jesus Christus qui est summus Sacerdos te absolvat. Et Ego autoritáte ipsíus te absólvo; primùm ab omni vínculo Excommunicatiónis, (*si Pœnitens sit Clericus, additur*, Suspensiónis) & Interdícti, in quantum possum & índiges: deindè, Ego te absólvo à peccátis tuis in nómine † Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti. Amen.

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis & ómnium Sanctórum, & quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, in augmentum grátiæ & præmium vitæ ætérnæ. Amen.



PSALTERIUM

PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM.
PARS VERNA.

DOMINICA,
AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur secretò :

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum : advéniat regnum tuũ : fiat volúntas tua sicut in cœlo & in terra : panem nostrum quotidiánum da nobis hódie : & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris : & ne nos indúcas in tentatiónem ; sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum : benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ : Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrũ : qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine : passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepultus : descendit ad ínferos : tértiâ die resurrexit à mórtuis : ascendit ad cœlos, sedet ad déxterã Dei Patris omnipotentis : inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicã, Sanctórum communiónẽ, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam æternam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur :

DOmine, lábia mea apéries ; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50. 17.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto :

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

Ante Pascha, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *Post Pascha, loco* Laus tibi, *dicitur*, Allelúia. *Sic etiam ad alias Horas.*

PSALMUS 94.

Christus Rex; ipsi parendum.

VEníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntiũ ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dñus Deus noster; nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diẽ tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas: quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Beátus vir.

*Asteriscus hic * notat mediationem & pausam.*

PSALMUS I.

Beatitudo justorum, malorum calamitas.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decursus aquárum, * quod fructum suũ dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur.

Non sic ímpii, non

sic: * sed tamqua pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

Hi versus Glória, & Sicut erat, *dicuntur in fine Psalm. Divis. & Cantic. nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum; sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

Ant. 2. D. Beáti omnes.

PSALMUS 2.

Christo frustrà principes populique adversantur.

QUare fremuérũt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptũ ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. 8. G. Dicunt.

PSALMUS 3.

Pia Justi in pœnis querimonia.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum: * & exurrexi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; ſalvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa; * dentes peccatórum contrivíſti.

Dómini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus; tu autem, Dómine; ſuſceptor meus es.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; ℟. Et cuſtodívi legem tuam. *Pſ.* 118. 55.

Poſt Verſiculum cujuſlibet Nocturni, dicitur ſecretò: Pater noſter: *ſed altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Abſolutiones & Benedict. habentur poſt Pſalterium.

Lectiones cum Reſponſoriis, ut in Proprio.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Díligam te.

PSALMUS 17.

Gratiarum actio, pro victoriâ de Chriſti & Eccleſiæ inimicis habitâ.

Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus, * & ſperábo in eum.

Protector meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam: * & clamor meus in conſpectu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt, & contrémuit terra: * fundamenta móntium conturbáta ſunt, & commóta ſunt; quóniam irátus eſt eis.

Aſcendit fumus in ir-

ejus, & ignis à fácie ejus exarsit : * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descendit : * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, & volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum ; in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam : * grando & carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundamenta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea, firmamentum meum, & refúgium meum.

Ant. 4. E. Ero immaculátus.

Divisio Psalmi 17.

MIsit de summo [Dóminus,] & accépit me, * & assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ ; * & factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo, * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocente ínnocens eris ;

Et cum electo electus eris, * & cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum

Húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Ero immaculátus cum Deo meo, & observábo me ab iniquitáte mea.

Ant. 7. a. Déxtera tua.

Altera divisio Psal. 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protector est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & super excelsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuisti, ut arcum æreum, bráchia mea,

Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ: * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem: * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatasti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehendam illos: * & non convertar donec defíciant.

Confringam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtúte ad bellum, * & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedisti mihi dorsum, * & odientes me disperdidisti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus: * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, & subdis pó-

pulsos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, & fáciens misericórdiam christo suo David, * & sémini ejus usque in séculum.

Ant. Déxtera tua suscépit me, Dómine; & disciplína tua ipsa me docébit.

℣. Legem tuam, Dñe, non sum oblítus : ℟. Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi. *Ps.* 118. 61. 62.

Pater noster.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. In Deo.

PSALMUS 27.

Petit Justus ne cum impiis pereat.

AD te, Dómine, clamábo : Deus meus, ne síleas à me : * nequando táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus ; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me :

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónū ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini : & in ópera mánuum ejus * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protector meus : * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Ant. In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; & ex voluntáte mea confitébor ei.

Ant. 7. d. Ad te, Dómine.

PSALMUS 29.

Post multa pericula, gratiarum actio: Resurrectio Christi.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanasti me.

Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus:

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitisti decóri meo virtútem.

Avertisti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misertus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meū, & circumdedisti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar: * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Ant. Ad te, Dómine, clamábo, & ad Deum meum deprecábor.

Ant. 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

Deus laudandus adorandusque propter innumera ejus beneficia.

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo: Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super fílios hóminū,

Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso,

Qui dominátur in virtúte sua in æternum; óculi ejus super gentes respí-

ciunt ; * qui exásperant, non exaltentur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum ; * & auditam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probasti nos, Deus ; * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

Induxisti nos in láqueum, posuisti tribulatiónes in dorso nostro ; * imposuisti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam ; * & eduxisti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuã in holocaustis ; * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso aríetum ; * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

Ant. Veníte, audíte, & narrábo quanta fecit ánimæ meæ.

℣. Deũ exquisívi mánibus meis nocte ; ℟. Et non sum deceptus. *Ps. 76. 3.*

Pater noster.

Post ultimum Responsorium dicitur Te Deum, *si dicendum sit.*

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli, & univérsæ potestátes ;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant :

Sanctus,
Sanctus,
Sanctus,
Dñs Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * immensæ majestátis :

Venerandum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe:

Tu Patris * sempiternus es Fílius :

Tu, ad liberandum suscептúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum :

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum :

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo, quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac * cum sanctis tuis in glóriâ numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extolle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te ;

Et laudámus nomen tuum in séculum, * & in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi ; * non confúndar in ætérnum.

Si non continuò sequantur Laudes, hîc dicitur : Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *deinde Oratio propria, cum integra conclusione. Et tunc ante Laudes dicitur secretò* Pater *&* Ave.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. ut in Proprio.*

DEus, in adjutórium meũ inténde : ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69. 2. Glória.

Antiph. habentur in Proprio.

PSALMUS 62.

Ecclesiæ solatium, in deserto hujus seculi.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea,

* & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuisti adjútor meus;

Et in velamento alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meã; introíbunt in inferióra terræ, * tradentur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

PSALMUS 69.

Justus sibi opem precatur.

DEus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, & revereantur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

PSALMUS 99.

Ad Dei laudes & cultum adhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in æternum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Cantic. trium puerorum. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino; * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis im-

ber & ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, universa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino; * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael, Dómino; * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

Hîc, loco Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem, & Filium, cum sancto Spíritu; * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es, Dómine, in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

PSALMUS 148.

Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.

LAudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus: * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætернum, & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra: * dracónes, & omnes abyssi:

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus:

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri:

Béstiæ, & univérsa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ:

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ:

Júvenes & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * fíliis Israël, pópulo appropinquanti sibi.

Capitulum, Hymnus & Versiculus ut in Proprio.

Cantic. Zachariæ. Luc. 1.

BEnedictus Dñs Deus Israel, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et erexit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testamenti sui sancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrũ, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in via pacis.

Glória Patri.

Ant. & Oratio, ut in Proprio; posteà dicitur:

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Fit commemoratio de semiduplici aut simplici, si occurrat.

Deinde de Beata.

Ant. Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Orémus.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & Beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula sæculórum.

℟. Amen.

Sic terminatur Oratio prima & ultima.

Ubi Sancta Maria non est Patrona, fit de Patrono Ecclesiæ titulari commemoratio per Ant. ℣. *& Orationem.*

Deinde repetitur Dóminus vobíscum, &c. *&* Benedicámus, &c.

Post quamlibet Horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò: Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen.

Deinde Pater noster.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Præsens benigno númine,
Nostros ut actus dírigat.

NIL lingua peccet, nil manus;
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.

INCŒPTA dùm fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.

TU spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium:
Te, prosequámur, áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Ante Pascha.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

QUEM suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi, laus, Spíritus.
Amen.

Antiph. ut in Proprio.

PSALMUS 117.

Gratias agit Ecclesia, quòd post tot rerum discrimina, salutem & Christum sit consecuta.

CONfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum,* & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dñi quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingressus in eas, confitébor Dómino; * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene

prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi ; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salutem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

Mandata Dei menti semper obversanda.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas !

Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis ; * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam ; * non me derelinquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam ? * in custodiendo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abscondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine : * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor ; * non oblivíscar sermónes tuos.

Divisio Psalmi 118.

REtríbue servo tuo, vivífica me ; * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra, * non abscondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpasti supérbos : * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contemptum ; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur : * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit pavimento ánima mea, * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudiſti me : * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárũ ínſtrue me:* & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi,*judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

Quando ſit Officium de Dominica, niſi aliter notetur, dicitur Symbolum ſequens.

QUicumque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem ;

Quam niſi quiſque íntegram inviolátamque ſerváverit, * abſque dúbio in æternum peribit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur ;

Neque confundentes perſónas, * neque ſubſtántiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt divinitas, * æquális glória, coæterna majeſtas.

Qualis Pater,talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Fílius,* immenſus Spíritus ſanctus.

Æternus Pater, ætérnus Fílius, * æternus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres ætérni, * ſed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immenſi, * ſed unus increátus, & unus immenſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus ſanctus ;

Et tamen non tres omnipotentes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio, * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres: unus Fílius, non tres filii: * unus Spíritus sanctus, non tres spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne subsistens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licet Deus sit & homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro, unus est homo; * ita Deus & homo unus est Christus,

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad ínferos, * tértiâ die resurrexit à mórtuis;

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

Ant. Capit. ℟. *br. cum Versículo, ut in Proprio.*

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Domine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño. ℟. Deo grátias.

Ad Offic. Capituli.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur, sed statim Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps. 115. 6.*

Sancta María, & omnes sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps. 69. 2.*

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dñe, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super

nos, & opus mánuum noſtrárũ dírige. *Pſ.* 89.16.17. Glória Patri.

Orémus.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

Lector, Jube, domne, benedícere. *Bened.* Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8.10.

Tunc fit lectio Canonis qui pro ſingulis diebus habetur ſuo loco, in cujus fine dicitur: Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

Poſt Lectionem, Hebdomadarius dicit: Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Submiſſiori voce dicit: Benedícite. *Lector verſus ad eum:* Deus. *Hebdomadarius:* Dñs nos benedícat, & ab omni malo defendat, & perdúcat ad vitam æternam. *Lector.* Amen.

Secretò. Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus,
O dulce lumen méntium;
Sacras refúſus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui cháritas & vínculum,
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Fac ſancta jungant víncula.

Ante Paſcha.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos fovet,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paſchali.

Quem ſuſcitátum crédimus,
Jeſu, tibi ſit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Antiph. ut in Proprio.

EX PSALMO 118.

Vitia per legem fugienda.

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum, * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intellectum, & ſcrutábor legem tuam; *

& custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secundùm elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque, * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuã semper, * in séculum, & in séculum séculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * & exercébar in justificatiónibus tuis.

Divisio Psalmi 118.
Habenda legis divinæ memoria.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant usquequáque; * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à século, Dómine; * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me *, pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi, * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine: * dixi custodíre legem tuã.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo; * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuã non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra; * justificatiónes tuas doce me.

Divisio Psalmi 118.

Dei benignitas.

BOnitátem fecisti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquam humiliárer, ego delíqui; * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuã meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri & argenti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intellectum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur, * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliasti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Capit. ℟. br. Versic. & Orat. ut in Proprio. Sic etiam ad Sextam & Nonam.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

JAm solis áureum jubar
Pleno coruscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refulge sénsibus.

O DUX salútis & via!
O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perennis gáudia.

Ante Pascha.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

QUEM suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

EX PSALMO 118.

De sincera divinæ legis veritate.

DEfécit in salutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuũ supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes, Quando consolá-beris me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulò minùs consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm misericórdiam tuam vivífica me, * & custódiam testimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundasti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ persevérat dies, * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, * tunc fortè periissem in humilitáte mea.

In æternũ non oblivíscar justificatiónes tuas, * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac, * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intellexi.

Omnis consummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

Divisio Psalmi 118.

QUómodo dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudentem me fecisti mandáto tuo, * quia in ætermum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi, * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuisti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum, * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

Divisio Psalmi 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam dilexi.

Adjútor & susceptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte à me, maligni: * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam; * & non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero; * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ: * ideo dilexi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: *

da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideo dilexi mandáta tua * super aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

RECEDIT inclínans dies,
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supernam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

DA, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui;
Fac lucis usúræ brevi
Ætema succédat dies.

Ante Pascha.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Temp. Pasch. QUEM suscitátum, *&c. ut sup. p.* 14.

EX PSALMO 118.

Meditationes eloquiorum Dei.

MIrabília testimónia tua: * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * & intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, & attraxi spíritum, * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secundùm elóquium tuum; * & non dominétur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum; * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandasti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus, * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * & servus tuus dilexit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contemptus; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætemum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in æternum: * intellectum da mihi, & vivam.

Divisio Psalmi 118.

CLamávi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi, * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * & secundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti: * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Prope es tu, Dñe, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitátem meã, & éripe me; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuũ vivífica me.

Longè à peccatóribus salus, * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dñe: * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, & tríbulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricantes, & tabescébam, * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

Divisio Psalmi 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratìs, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropínquet depre-

cátio mea in conspectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuū, Dómine, * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit; * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

Antiphonæ habentur in Proprio.

PSALMUS 109.

Christus ad dextram Dei sedens: ipsius generatio, regnum & sacerdotium.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dn̄s à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

PSALMUS 110.

Laus Dei, quòd tot in Ecclesiam beneficia contulerit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini; * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testaménti sui: * virtú-

tem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

PSALMUS III.

Timor Domini, gloria est & securitas justorum.

BEátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, & miserátor, & justus.

Jucundus homo, qui miserétur & cómmodat, dispónet sermónes suos in judício, * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit justus; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus, * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispersit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in séculum séculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur, déntibus suis fremet & tabescet; * desidérium peccatórum períbit.

PSALMUS 112.

Deus excelsus; ipsi omnia cordi.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

PSALMUS 113.

Dei potentia : ipse solus Deus: idolorum vanitas.

IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit & fugit ; * Jordánis conversus est retrorsùm.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugisti ; * & tu, Jordánis, quia conversus es retrorsum ?

Montes, exultastis sicut aríetes, * & colles sicut agni óvium ?

À fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob:

Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis ; * sed nómini tuo da glóriam,

Super misericórdia tua & veritáte tua : * nequando dicant gentes, Ubi est Deus eórum ?

Deus autem noster in cœlo ; * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum :

Os habent, & non loquentur ; * óculos habent, & non vidébunt :

Aures habent, & non áudient ; * nares habent, & non odorábunt :

Manus habent, & non palpábunt ; pedes habent, & non ambulábunt ; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino ; * adjútor eórum & protector eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino ; * adjútor eórum & protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino ; * adjútor eórum & protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * & benedixit nobis.

Benedixit dómui Israel ; * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super filios vestros.

Benedicti vos à Dño, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino ; * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus,

nem suam usque ad vésperum.

Divisio Psalmi 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti: impléta est terra possessióne tuâ:

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus; * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusilla cum magnis; * illic naves pertransíbunt.

Draco iste quem formásti ad illudendum ei; * ómnia à te expectant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte:

Avertente autem te fáciem, turbabuntur; * aúferes spíritum eórum, & deficient, & in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, & creabuntur; * & renovábis fáciem terræ.

Altera divisio Psalmi 103.

SIt glória Dómini in séculum: * lætábitur Dñs in opéribus suis;

Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iniqui, ita ut non sint; * bénedic, anima mea, Dómino.

Ant. Omnia in sapiéntia fecísti, Dñe: impléta est terra possessióne tuâ.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Ipse Dóminus.

PSALMUS 104.

Beneficia Israëlitis collata enumerantur.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit; * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus; * filii Jacob, electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes:

Quod dispósuit ad Abra-

ham, * & juramenti sui ad Isaac:

Et státuit illud Jacob in præceptum; * & Israel in testamentum ætemum,

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, * paucíssimi & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis, * & corrípuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári.

Divisio Psalmi 104. Et

VOcávit [Dóminus] famem super terram; * & omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúndatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus;

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex, & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ,

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehementer; * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus; * & dolum fácerent in servos ejus.

Altera divisio Psalmi 104.

MIsit [Dñs] Móysen servum suum, * Aaron quem elégit ipsum:

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit: * & non exacerbávit sermónes suos.

Convertit aquas eórum in sánguinem; * & occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía, & cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburentem in terra ipsórum:

Et percussit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum:

Dixit, & venit locusta

Altera divisio Psalmi 105.

NOn disperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt filios suos * & filias suas dæmóniis:

Et effudérunt sánguinem innocentem, sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum; * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium, * & domináti sunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularentur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit testamenti sui, * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ:

Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster; * & cóngrega nos de natiónibus:

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dñs Deus Israel à século, & usque in séculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Vísita nos in salutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

℣. Benedictus Dóminus Deus Israel, ℟. A século, & usque in séculum. *Ps.* 40. 14.

Pater noster.

Lectiones cum ℟℟. *habentur in Prop. de Temp. & sic in sequentibus Feriis.*

Non dicitur Te Deum *in Feriis, nisi Temp. Pasch.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exultábit cor meum in salutári tuo:

℟. Cantábo Dño qui bona tribuit mihi. *Ps.* 12. 6.

℣. Deus, in adjutórium.

Tempore Paschali, Ant. ut in Proprio, & sic in aliis Feriis.

Ante Pascha, Ant. 5. 2. Bonum est.

fuit nostrî, & redémit nos ab inimícis nostris.

Quando fit Officium de Feria, dicitur Canticum sequens.

Ant. 7. ♂. Quis símilis tuî ?

Cantic. Moysi. Exod. 15.

CAntémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est, * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens, nomen ejus; * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Electi príncipes ejus submersi sunt in mari Rubro, abyssi operuérunt eos; * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percussit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos.

Misisti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam, * & in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendisti manum tuam, & devorávit eos terra; * dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemisti:

Et portasti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine; * donec pertránseat pópu-

lus tuus iste quem possedisti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dñs regnábit in ætérnum, & ultrà:

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare, * & reduxit super eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Quis símilis tuî, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília?

[*In Festis, loco superioris Cantici, dicitur sequens.*

Canticum. Eccli. 39.

COllaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum vestrórum, & in cánticis labiórum, & cítharis;

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini univérsa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * & in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcepto ipsíus placor fit, * & non est minorátio in salúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * & non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A século usque in séculũ réspicit, * & nihil est mirábile in conspectu ejus.]

Ant. 3. c. Dómine.

PSALMUS 134.

Israel beneficiis cumulatus: idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum:

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo, & in terra; * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus:

Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte; * in Pharaónem,& in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan; * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in æternum:* Dñe,memoriále tuum in generatiónem & generatiónem:

Quia judicábit Dóminus pópulum suum,* & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum & aurum,* ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non videbunt:

Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dño.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Dómine, nomen tuum in æternum.

Capit. Hymnus, Versic. Ant. ad Benedíctus, *ut in Proprio; & sic in sequentibus Feriis.*

Preces, quando dicuntur, & suffragia, habentur infra post Complet. Sabbati.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam lucis. *infrà post Completorium Sabbati; Ant. autem in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 8.

Christi gloria, & potestas.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuũ in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecisti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronasti eum: * & constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 76.

Consolatio spiritualis ex operibus Dei sumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum; & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * & annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut oblivíscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

Divisio Psalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; * redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob, & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ; * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis mul-

tis; * & vestígia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aaron.

Capitulum, & ℟. breve, ut in Proprio.

Preces, quando dicuntur, habentur post Completorium Sabbati, & sic in aliis Feriis.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, O fons. *infrà post Complet. Sabbati.*

Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.

PSALMUS 24.

Justi oppressi, & opem poscentis humilis oratio.

AD te, Dómine, levávi ánimam meã: * Deus meus, in te confido, non erubescam:

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ & ignorántias meas * ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício; * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini, misericórdia & véritas * requiréntibus testamentum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Divisio Psalmi 24.

QUis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, * & testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt;

* de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meã, & labórem meum, * & dimitte universa delicta mea.

Réspice inimícos meos, quónia multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me : * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

Ecclesiæ, pro Christi adventu, canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos :

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli & exultet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Capitulum, ℟. *breve*, *&c. habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam solis. *infrà post Complетor. Sabb.*

Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.

PSALMUS 46.

Laudatur Deus, quòd omnes gentes in unum Christi regnum coëant.

OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dñs excelſus, terríbilis: * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elégit nobis hæreditátem ſuam, * ſpéciem Jacob quam diléxit.

Aſcendit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite; * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite ſapienter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti ſunt.

PSALMUS 97.

Chriſtus celebrandus, qui ſe ſit omnibus exhibiturus, & orbem judicaturus.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dño in cíthara, in cíthara, & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpectu regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

Chriſti poteſtas: ejus veſtigia adoranda: exempla patrum.

DOminus regnávit, iraſcantur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelſus ſuper omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

Exaltáte Dñm Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñm Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Capitulum, ℟. br, &c. habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus, Recédit, *infrà post Completor. Sabbati.*

Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.

PSALMUS 52.

Impiorum infinitus numerus: adventus Christi exoptatur.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meã ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quónia Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátẽ plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 72.

Improbi in hac vita felices: probi quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.

QUàm bonus Israel Deus, * his qui recto sunt corde!

Moi

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei;

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns;

Quia non eſt reſpectus morti eórum, * & firmamentum in plaga eórum;

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabuntur.

Ideo ténuit eos ſupérbia; * operti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum; * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt & locúti ſunt nequítiam, * iniquitátem in excelſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hîc; * & dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt: Quómodo ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excelſo?

Ecce ipſi peccatóres, & abundantes in ſéculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocentes manus meas.

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc: * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuiſti eis; * dejeciſti eos, dum allevarentur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem, ſúbitò defecérunt? * periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipſórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad níhilum redactus ſum, & neſcívi.

Ut jumentum factus ſum apud te, * & ego ſemper tecum.

Diviſio Pſalmi 72.

Tenuiſti [Dómine] manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxiſti me, * & cum glória ſuſcepiſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum: * Deus cordís mei, & pars mea, Deus, in æternum.

Quia ecce qui elongant ſe à te, períbunt; * perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion.

Ant. Capit. ℟. br. &c. habentur in Proprio ; & sic in sequentibus Feriis.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

Tempore Paschali, Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.

Ante Pascha, Ant. 2. D. Convértere.

PSALMUS 114.

Christus, mortis victor.

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & pericula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus ; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi ;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 8. G. Levávi.

PSALMUS 120.

Deus Ecclesiæ custos.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum ; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

Ant. Levávi óculos meos in montes : auxílium meum à Dómino.

Ant. 1. a. Adjutórium nostrum.

PSALMUS 123.

Ecclesia à periculis erepta: gratiarum actio.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos;

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Adjutórium nostrũ in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 5. a. Magnificávit Dóminus.

PSALMUS 125.

Apostolorum Martyrumque labores & patientia.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Ant. 6. F. Adhæreat.

PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum:

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus

canticum Dómini * in terra aliéna?
Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.
Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî.
Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.
Memor esto, Dñe, filiórũ Edom, * in die Jerúsalem.
Qui dicunt, Exinaníte, exinaníte * usque ad fundamentum in ea.
Fília Babylónis mísera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuã, quam retribuisti nobis.
Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.
Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non proposuéro Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.
Capit. Hymnus, Versic. Ant. ad Magníficat, *&c. habentur in Proprio; & sic in sequentibus Feriis.*
Preces, si dicendæ sint, & Suffragia, habentur infrà post Completorium Sabbati.

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos. Deus in adjutórium.
Temp. Pasch. Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.
Ante Pascha, Ant. 2. D. Justum.

PSALMUS 6.

Oratio pœnitentis, Dei misericordiam implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.
Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.
Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?
Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * salvum me fac propter misericórdiam tuam.
Quóniam non est in morte qui memor sit tuî; * in inferno autem quis confitébitur tibi?
Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meũ rigábo.
Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.
Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.
Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meã suscépit.
Erubescant & contur-

bentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7.

Salus justos manet ; malos, interitus.

DOmine Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis :

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua : * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus meus, in præcepto quod mandasti : * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secundùm justítiam meã, * & secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes, Deus.

Justum adjutórium meũ à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Divisio Psalmi 7.

DEus judex justus, fortis & pátiens : * numquid iráscitur per síngulos dies ?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum tetendit, & parávit illum :

Et in eo parávit vasa mortis ; * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum ; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus ; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus : * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Justum adjutórium meum à Dño, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7. 11.

Hymnus, Capitulum, ℟. *breve, Antiph. ad* Nunc dimittis, *&c. habentur in Proprio ; & sic in aliis Feriis.*

FERIA TERTIA AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Quis requiéscet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 18.

Deus tum ex operibus, tum ex sanctitate legis cognitus.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Divisio Psalmi 18.

LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit?

ab occultis meis munda me : * & ab aliénis parce servo tuo.

Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

Ant. Quis requiescet in monte sancto tuo, Dómine ? qui operátur justítiam, nec fecit próximo tuo malum. *Ps.* 14. 1. 2. 3.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

Christi regnum pacificum, amplum, felixque.

DEus, judícium tuũ regi da, * & justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum ; * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes ; * & inimíci ejus terram lingent.

Divisio Psalmi 71.

REges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent ; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ ; * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem à potente ; * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi, * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum ; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper ; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus ; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula ; * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dñs Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

PSALMUS 100.

Bene vivendi forma: fugiendi mali.

Misericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, & intélligam in via immaculáta,*quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum; * declinantem à me malignum non cognoscébam.

Detrahentem secrétò próximo suo * hunc persequébar.

Superbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non direxit in conspectu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operantes iniquitátem.

Ant. Non proponébam ante óculos meos rem injustam: detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Adjúvit.

PSALMUS 106.

Deus suos è variis periculis servare, & donis cumulare amat.

Confitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Dño, quos redémit de manu inimíci:*& de regiónibus congregávit eos,

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine, in inaquóso: * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esurientes, & sitientes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos:

Et deduxit eos in viam

rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedentes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendícitáte & ferro:

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consíliũ Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris, & umbrâ mortis, * & víncula eórum disrúpit.

Confiteantur Dño misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Divisio Psalmi 106.

SUscépit eos [Dóminus] de via iniquitátis eórum: * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum: * & appropinquavérunt usque ad portas mortis:

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et sacríficent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

Dixit, & stetit spíritus procellæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum eduxit eos.

Et státuit procellam ejus in auram; * & siluérunt fluctus ejus:

Et lætáti sunt quia siluérunt: * & deduxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteantur Dómino

misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminũ:

Et exaltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Altera divisio Psalmi 106.

POsuit [Dóminus] flúmina in desertum, * & éxitus aquárum in sitim;

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desertum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum:

Et collocávit illic esurientes, * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimis; * & jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia; * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia: vidébunt recti, & lætabuntur.

℣. Exortum est in ténebris lumen rectis: ℟. Miséricors, & miserátor, & justus. *Ps.* 111. 4.

Pater noster.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33. 4.

Ant. 4. a. Qui non accépit.

PSALMUS 23.

Imperium Christi; ipsius ad cœlos ascensus.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo:

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dño, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras ; & elevámini, portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dñs fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras ; & elevámini, portæ æternáles : * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónem à Dómino.

Ant. 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis; futura Verbi incarnatio.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam ; * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis ? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus, tu conversus vivificábis nos ; * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dñe, misericórdiam tuam ; * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem ; * & terra nostra dabit fructum suũ.

Justítia ante eum ambulábit ; * & ponet in via gressus suos.

Ant. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; quóniam loquétur pacem in plebem suam, & super sanctos suos.

Ant. 3. g. Tu Dóminus.

PSALMUS 96.

Christi regnum : ille solus adorandus.

DOminus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus ; * justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dñi, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus ; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine ;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dñm, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum ; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Tu Dñs altíssimus super omnem terram.

Ant. 7. *d.* Vivens.

In Feriis, Canticum Ezechiæ. Is. 38.

EGo dixi : In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi ; * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium : * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut à texente, vita mea ; dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sicut pullus hirúndinis sic clamábo, * meditábor ut columba.

Attenuáti sunt óculi mei, suspiciéntes in excelsum : * Dómine, vim pátior, responde pro me.

Quid dicam, aut quid respondébit mihi, * cùm ipse fécerit ?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima : * tu autem eruisti ánimam meam ut non períret :

Projecisti post tergum

tuū * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dñi.

Ant. Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, Dómine: pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

[*In Festis, Canticum.* Eccli. 36.

Miserére nostri, Deus ómnium, & réspice nos, * & ostende nobis lucem miseratiónum tuárum;

Et immitte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te, * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspectu nostro magnificáberis in eis;

Ut cognoscant te, * sicut & nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, & immúta mirabília: * glorífica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effunde iram: * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Festína tempus, & memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur; * & qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum; * & Israel, quem coæquasti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuū.]

Ant. 1. *D.* Laudáte.

PSALMUS 150.

Deus omni musicæ genere laudandus.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro:* laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus;laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum in sanctis ejus : laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

AD PRIMAM.

PSALMUS 34.

Christus ab hostibus liberari deprecatur.

JUdica, Dómine, nocentes me, * expugna impugnantes me.

Apprehende arma & scutum, * & exurge in adjutórium mihi.

Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui persequuntur me ; *, dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundantur & revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm & confundantur * cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti,* & ángelus Dñi coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum, * & ángelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui, * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat ; & cáptio quam abscondit, apprehendat eum, * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino ; * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dícent : * Dómine, quis símilis tibi ?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

Divisio Psalmi 34.

SUrgentes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam ; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam, * quasi lu-

gens & contristátus, sic humiliábar.

Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dñe, quando respícies? * restítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur, * & in iracúndia terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidisti, Dómine, ne síleas; * Dómine, ne discédas à me.

Altera divisio Psalmi 34.

Exurge, & intende judício meo, * Deus meus & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubescant & revereantur simul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confusióne & reveréntiâ, * qui magna loquuntur super me.

Exultent & læténtur qui volunt justítiam meá; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

AD TERTIAM.

Psalmus 25.

Puræ conscientiæ in conspectu Dei humilis inquisitio.

Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingressus sum, * & in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & cir-

cúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.

Pes meus stetit in directo; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

Non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus est: * & vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet: * Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardescet: * & in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desursùm, * & terram, discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos:

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárũ, * jumenta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli: * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Divisio Psalmi 49.

PEccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras justítias meas, & assúmis testamentum meũ per os tuum?

Tu verò odisti disciplínam,* & projecisti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo: * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris, & adversùs fílium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecisti, & tácui.

Existimasti iníquè quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum: * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illic iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

AD SEXTAM.

PSALMUS 36.

Bonorum malorumque status longè dispar.

NOli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter arescent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciente injustítias.

Désine ab ira, & derelinque furórem: * noli æmulári, ut malignéris.

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur; * sustinentes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusillùm, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabuntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum suum:

Ut dejíciant páuperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conterentur; * confirmat autem justos Dóminus.

Divisio Psalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundentur in témpore malo, & in diébus famis saturabuntur: *quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti; * deficientes, quemádmodum fumus, defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur, & tríbuet.

Quia benedicentes ei hæreditábunt terram; * maledicentes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui, * & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat, * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum, * & inhábita in séculum séculi:

Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos; * in ætérnum conservabuntur.

Injusti punientur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

Altera divisio Psalmi 36.

OS justi meditábitur sapiéntiã, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabuntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expecta Dñm, & custódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eũ, & non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem dispéribunt simul; * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino, * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

AD NONAM.

PSALMUS 108.

Christus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas, sibique salutem precatur.

DEus, laudem meã ne tacúeris: * quia os peccatóris, & os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me: * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódiũ pro dilectióne mea.

Divisio Psalmi 108.

COnstítue [Dómine] super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur filii ejus, & mendícent, * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus; * & diripiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor; * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum; * pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam;

Et persecútus est hóminem ínopem & mendícum, * & compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo;

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operítur, * & si-

cut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dñm,* & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

Altera divisio Psalmi 108.

LIbera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm delínat, ablátus sum; * & excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dñe Deus meus; * salvum me fac secundùm misericórdiã tuã.

Et sciant quia manus tua hæc: * & tu, Dómine, fecisti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces:* qui insurgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dño nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

AD VESPERAS.

Ant. 3. g. Multũ íncola fuit.

PSALMUS 119.

Christi mansuetudo & patientia.

AD Dñm, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

Ant. 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

Ecclesiæ concordia, pietas & justitia celebrantur.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dñi íbimus.

Stantes erant pedes no-

stri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israël, ad confitendum nómini Dñi.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

Ant. 7. d. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum, * habitáre fratres in unũ!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus; * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion:

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónẽ, * & vitam usque in séculum.

Ant. Quàm bonum, & quàm jucundum, habitáre fratres in unum!

Ant. 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

Lingua coercenda: in afflictionibus patientia.

DOmine, clamávi ad te, exaudi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusandas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicábo cũ electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum: * absorpti sunt juncti petræ júdices eórũ.

Audient verba mea, quóniam potuérunt; * sicut crassitúdo terræ erupta est super terram.

Dissipáta sunt ossa no-

ſtra ſecùs infernum:* quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; in te ſperávi, non áuferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. In miſericórdia juſtus increpábit me; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Ant. 6. F. Me expectant.

PSALMUS 141.

Humanâ ope destituta, contra inſectatores auxilium implorat Eccleſia.

VOce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum.

Effundo in conſpectu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio,

In deficiendo ex me ſpíritum meum; * & tu cognoviſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram,& vidébam,*& non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine: * dixi : Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo : * me expectant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expectant juſti, donec retríbuas mihi, Dómine.

AD COMPLETOR.

Ant. 7. c. Tu remiſiſti.

PSALMUS 12.

Animæ fidelis in adverſitate deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequo exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte : * nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero : * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo : cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & psallam nómini Dómini altíſſimi.

PSALMUS 31.

Pia adhortatio ut quiſque à peccatis ſe abſtrahat.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorū tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua : * converſus ſum in ærumna mea, dum confígitur ſpina.

Delictum meum cógnitum tibi feci ; * & injuſtítiam meam non abſcondi.

Dixi : Confitébor adversùm me injuſtítiam meam Dómino : * & tu remiſiſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me : * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac quâ gradiéris : * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum conſtringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagella peccatóris : * ſperantem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti ; * & gloriámini omnes recti corde.

PSALMUS 78.

Urbis vaſtitas ; pollutio templi ; perſecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jeruſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum, eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúſalem ; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine iraſcéris in finem, * ac

cendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus desolavérunt.

Ne mémineris iniquitátum nostrárum antiquárũ, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuũ:

Ne fortè dicant in géntibus: Ubi est Deus eórum? * & innotescat in natiónibus coram óculis nostris,

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * intróëat in conspectu tuo gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside filios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Tu remisisti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis sanctus. *Ps.* 31. 5. 6.

FERIA QUARTA AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. *à.* Sperent in te.

PSALMUS 9.

Impiorum eversor Deus, idemque pauperum defensor.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * psallam nómini tuo, Altíssime,

In convertendo inimícum meum retrorsùm; * infirmabuntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam fecisti judícium meum, & causam meam: * sedisti super thronum qui júdicas justitiam.

Increpasti gentes, & périit ímpius; * nomen eórum delesti in æternum, & in séculum séculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * & civitátes eórum destruxisti.

Périit memória eórum cum sónitu, * & Dóminus in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in

æquitáte

æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion;* annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Divisio Psalmi 9.

MIserére meî, Dñe: * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárũ comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge, Dómine, non confortétur homo: * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos: * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Altera divisio Psalmi 9.

UT quid, Dómine, recessisti longè? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dñm peccátor,* secundùm multitúdinẽ iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus, * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis, * ut interficiat innocentem,

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus, * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne oblivíscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum ? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas ; * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni : * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætemum, & in séculum séculi : * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupillo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Sperent in te, qui novérunt nomen tuum ; quóniam non dereliquísti quærentes te, Dómine.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Fílii.

PSALMUS 77.

Beneficia Judæis præstita.

ATténdite, pópule meus, legem meã ; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum, * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea ; * & patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis ; * ut cognoscat generátio áltera :

Fílii qui nascentur, & exurgent, * & narrábunt fíliis suis ;

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant ;

Ne fiant ficut patres eórum, * generátio prava & exáſperans:

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Divisio Pſalmi 77.

FIlii Ephrem intendentes & mittentes arcum, * converſi ſunt in die belli.

Non cuſtodiérunt teſtamentum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſtendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perduxit eos; * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo; * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et eduxit aquam de petra, * & deduxit tamquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre menſam in deſerto?

Quóniam percuſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torrentes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare, * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideo audívit Dóminus, & díſtulit: * & ignis accenſus eſt in Jacob, & ira aſcendit in Iſraël;

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórũ manducávit homo: * cibária miſit eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit [Dóminus] Auſtrum de cœlo, * & induxit in virtúte ſua Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis; & deſidérium eórum áttulit eis: * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant

in ore ipsórum, * & ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórũ,* & electos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * & Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non disperdet eos.

Ant. Fílii qui nascentur, narrábunt fíliis suis, ut ponant in Deo spem suam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. *d.* Abstulit.

Ex Psalmo 77. Et

ABundávit [Dóminus] ut avérteret iram suam, * & non accendit omnem irã suam.

Et recordátus est quia caro sunt; * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto; * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctũ Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíã, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ, * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepercit à morte animábus eórum, * & jumenta eórum in morte conclúsit;

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis la-

bóris eórum in tabernáculis Cham.

Divisio Psalmi 77. Et

ABstulit [Dñs] sicut oves pópulum suum, * & perduxit eos tamquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excelsum, * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & sprevit, * & ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórum non plorabantur.

Altera divisio Psal. 77. Et

EXcitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra; * oppróbrium sempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraim non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montē Sion quem dilexit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctificium suū in terra, * quam fundávit in sécula.

Et elégit David servum suum, & sústulit eum de grégibus óvium; * de post fœtantes accépit eum;

Páscere Jacob servum suum, * & Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui; * & in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos.

Ant. Abstulit Dóminus

ſicut oves pópulum ſuum, & deduxit eos in ſpe.

℣. Ecce non dormitábit, neque dórmiet,

℟. Qui cuſtódit Iſrael. *Pſ.* 120. 4.

Pater noſter.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo; ℟. Et laudabuntur omnes recti corde. *Pſ.* 63. 11.

Ant. 4. *E.* Omnes.

PSALMUS 5.

Maligni, malis; innocentes, bonis afficiendi.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniā non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus; * neque permanébunt injuſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſū abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuā; * adorábo ad templū ſanctum tuum in timóre tuo.

Dñe, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas, * cor eórum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dñe.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronaſti nos.

Ant. Omnes qui ſperant in te, Dómine, in æternum exultábunt; & habitábis in eis.

Ant. 5. a. In tégmine.

PSALMUS 35.

Iniquorum malitia: juſtitia Dei: gloria juſtorum.

Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóſè egit in

conspectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua: * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei;* judícia tua abyssus multa.

Hómines & jumenta salvábis, Dñe; * quemádmodum multiplicasti misericórdiam tuã, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátẽ: * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. In tégmine alárum tuárum sperábunt, Dómine; & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Ant. 3. à. Exaudi nos.

PSALMUS 64.

Dei in homines beneficentia: gentium conversio.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meã; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegisti, & assumpsisti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ; * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitasti terram, & inebriasti eam; * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parasti cibum illórum; * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus ; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ;* & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óviũ, & valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium fínium terræ.

Ant. 1. a. Ecce.

In Feriis, Cantic. Isaiæ. 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * conversus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris ; * & dicétis in die illa : Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excelsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit : * annuntiáte hoc in universa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî sanctus Israël.

Ant. Ecce Deus salvátor meus ; fiduciáliter agam, & non timébo.

[*In Festis, Canticum.* Tob. 13.

MAgnus es, Dómine, in æternum, * & in ómnia sécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, & salvas : dedúcis ad ínferos, & redúcis ; * & non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israël, * & in conspectũ géntium laudáte eum;

Quóniam ídeo dispersit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus ;

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras ; * & ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timóre & tremóre confitémini illi ; * Regémque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi ; * quóniam ostendit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, * credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam.

Ego autem & ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.]

Ant. 6. F. Beneplácitum est.

PSALMUS 146.

Deus ex sua in populum suum providentia laudatur.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat jumentis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Beneplácitum est Dómino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

AD PRIMAM.

PSALMUS 30.

Vox Christi, & fidelium se Deo in mœrore committentium.

IN te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt

mihi, * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spíritum meum : * redemisti me, Dómine Deus veritátis.

Odisti observantes vanitátes * supervácuè.

Ego autem in Dómino sperávi : * exultábo & lætábor in misericórdia tua:

Quóniam respexisti humilitátem meam, * salvasti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusisti me in mánibus inimíci ; * statuisti in loco spatióso pedes meos.

Divisio Psalmi 30.

MIserére meî, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt à me : * oblivióni datus sum tamquam mórtuus à corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónē multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul adversùm me : * accípere ánimam meā consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine ; * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

Illustra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua : * Dñe, non confundar, quóniam invocávi te.

Erubescant ímpii, & deducantur in infernum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquuntur adversùs justum iniquitátem, * in supérbia, & in abusióne.

Altera divisio Psalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondisti timéntibus te !

Perfecisti eis qui sperant in te, * in conspectu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudisti vocem oratiónis meæ , * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

AD TERTIAM.

PSALMUS 41.

Solatium justi, spes melioris vitæ, rerumque divinarum meditatio.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meã, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

AD meipsum ánima mea conturbáta est ; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Susceptor meus es ;

Quare oblítus es mei ? * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei ;

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : *

salutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

De spe in Deo habendâ in persecutionibus.

JUdica me, Deus, & discerne causam meã de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulisti? & quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

AD SEXTAM.

PSALMUS 20.

Christi regnum, potestas, & victoria.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & super salutáre tuum exultábit vehementer.

Desidérium cordis ejus tribuisti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum:

Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te, * & tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónẽ in séculum séculi, * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos; & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * & semen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

Deus prædicandus; innumerabilia ejus beneficia.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus;

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis, & multùm miséricors:

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur:

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis:

Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiá suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misertus est Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum:

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognoscet ampliùs locum suum:

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum;

Et justítia illíus in filios filiórum, * his qui servant testamentum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dño, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dño.

AD NONAM.

PSALMUS 81.

Injustè jura administrantibus exitium certum.

DEus stetit in synagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupillo; * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem, * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant:* movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * & filii Excelsi omnes.

Vos autē sicut hómines moriémini,* & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram;* quóniā tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

Deus superborum osor, & vindex.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur & loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupillos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipientes in pópulo; * & stulti, aliquando sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet; * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Divisio Psalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam, * &

hæreditátem suam non derelinquet;

Quoadusque justítia convertátur in judícium, * & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi advérsus malignantes? * aut quis stabit mecum advérsùs operantes iniquitátē?

Nisi quia Dñs adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dñe, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

Captábunt in ánimam justi, * & sánguinem innocentē condemnábunt.

Et factus est mihi Dñs in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum disperdet eos: * disperdet illos Dóminus Deus noster.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

Ecclesiæ oratio contra impiorum calumnias.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dominæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio superbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Ant. 5. a. Qui confidunt.

PSALMUS 124.

Fidelium, Deus ipse tutela: iniqui perituri.

QUi confidunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem:

Montes in circúitu ejus; * & Dóminus in circúitu pópuli sui ex hoc nunc, & usque in séculum:

Quia non relinquet Dñs virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dñs cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

Ant. Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. 8. c. Nisi Dóminus.

PSALMUS 126.

Vani hominum labores quibus Deus non opitulatur.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustrà vígilat qui custódit eam.

Ant. 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

Redemptio, pœnitenti per Christum promissa.

DE profundis clamávi ad te, Dñe: * Dñe, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dño.

Ant. 4. E. Speret.

PSALMUS 130.

Humilitas & modestia, gratum Deo sacrificium.

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei:

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dño, * ex hoc nunc & usque in séculũ.

Ant. Speret Israel in Dño.

AD COMPLETOR.

Ant. 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

Vox justi in Deo confidentis, ejusque judicia meditantis.

IN Dómino confido; quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminũ.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñs, & justítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia: justis, ex adventu Christi salus exoptatur.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonũ, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dñs in generatióne justa est; consíliũ ínopis confudistis, * quóniam Dñs spes ejus est.

Quis dabit ex Sion sa-

lutáre Israël ? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 15.

Pars justorum, Deus : resurrectionis spes.

CONserva me, Dñe, quóniam sperávi in te:* dixi Dño: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris ; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum : * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper : * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea ; * ínsuper & caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno:* nec dabis sanctum tuũ vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Conserva me, Dómine, quóniam sperávi in te. *Ps.* 15.

FERIA QUINTA AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Rectum est verbum Dómini.

PSALMUS 19.

Christi preces & sacrificium pro suis acceptari, plebs ejus poscit.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocaustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo, * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas:* nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis ; * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt ; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem ;* & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

Summa Dei creatoris in homines benignitas & providentia.

EXultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dño in cíthara,* in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum, * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdiâ Dñi plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt ; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet ; * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

Divisio Psalmi 32.

BEáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus, * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram ;

Qui finxit singillátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem ; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem ; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus :

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet

Dñm; * quóniam adjútor & protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide. *Ps.* 32.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Dóminus.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale, de Christi victoriis, & Ecclesiæ cursu.

EXurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; * & fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant; * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspectu ejus; * turbabuntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo; * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine; * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulchris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui; * cùm pertransíres in deserto,

Terra mota est; étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, * à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ; * & infirmáta est, tu verò perfecisti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum dilecti, dilecti; * & speciéi domûs divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros; pennæ columbæ deargentátæ, * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis; * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium; * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem, * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credentes * inhabitáre Dñm Deum.

Benedictus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capílli perambulántium in delictis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris:

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingressus tuos, Deus, * ingressus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

Altera divisio Psalmi 67.

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excessu.

Príncipes Juda, duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Díssipa gentes quæ bella volunt; vénient legáti ex Ægypto; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo; * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli, * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis; date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis; Deus Israël ipse dabit virtútẽ & fortitúdinẽ plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus: Deus Israël ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Dómine.

PSALMUS 88.

Promissiones Davidi factæ: Christum differri humilis querela.

MIsericórdias Dómini * in æternum cantábo;

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo:

Quóniam dixísti; In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo; * usque in ætérnum præparábo semen tuum:

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra; * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti;

Aquilónem & mare tu creásti; * Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt:

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua.

Justítia & judícium præparátio sedis tuæ; * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

Divisio Psalmi 88.

BEátus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum:

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & Sancti Isráël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in potente, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ;

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * & testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli;

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint, * & mandáta mea non custodíerint;

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testamentum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Altera divisio Psalmi 88.

SEmel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulisti & despexisti, * distulisti Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui, * profanasti in terra sanctuárium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus, * posuisti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeuntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis:

Exaltasti déxteram depriméntium eum: * lætificasti omnes inimícos ejus;

Avertisti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Destruxisti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies témporis ejus; * perfudisti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituisti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vi-

vet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suã de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dñe, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

Ant. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die, & in justítia tua exaltabuntur.

℣. Ténebræ non obscurabuntur à te, Dómine; ℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Psal.* 138. 12.

Pater noster.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Cognoscant quia nomen tibi, Dóminus: ℟. Tu solus Altíssimus in omni terra. *Psal.* 82. 19.

Ant. 4. *E.* Præceptum.

PSALMUS 80.

Festa piè celebranda: hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum; * psaltérium jucundum cum cíthara:

Buccináte in Neoménia tuba, * in insigni die solemnitátis vestræ:

Quia præceptum in Israël est, * & judícium Deo Jacob:

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terra Ægypti; * linguam, quam non nóverat, audívit:

Divertit ab onéribus dorsum ejus; * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocasti me, & liberávi te; * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis deum aliénum:

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israël non intendit mihi:

Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me, * Israel si in viis meis ambulasset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * & super tribulantes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei, * & erit tempus eórum in sécula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti; * & de petra, melle saturávit eos.

Ant. Præceptum in Israël est, & judíciũ Deo Jacob.

Ant. 1. g. Parátum.

PSALMUS 107.

Oratio Ecclesiæ, Dei auxilium adversus impios poscentis.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & psallam in glória mea.

Exurge, glória mea; exurge, psaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cœlos misericórdia tua; * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ut liberentur dilecti tui, * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

Ant. Parátum cor meũ, Deus; exurgam dilúculo: confitébor tibi, Dómine.

Ant. 6. F. Dómine,

Divisio Psalmi 107.

DEus locútus est in sancto suo: * exultábo, & dívidam Síchimam, & convallem tabernaculórum dimetiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manasses, * & Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi aliení genæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Dómine, vana salus hóminis: in Deo faciémus virtútem.

Ant. 8. c. Deus.

In Feriis, Canticum Annæ. 1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, *

quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te : * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriantes : * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum, Dóminus est,* & ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * & infirmi accincti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat filios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus páuperem facit, & ditat; * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * & de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticescent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium regi suo, * & sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Deus scientiárum, Dóminus est, & ipsi præparantur cogitatiónes.

[*In Festis, Cant.* I. Paral. 29.

BEnedictus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab æterno in æternum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt & in terra, * tua sunt :

Tuum, Dñe, regnũ,* & tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua est glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum.]

Ant. 5. a. Annúntiat Dñs.

PSALMUS 147.

Ecclesia ad laudem Dei invitatur, quòd ei abundè provisum sit.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum ; * benedixit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe frumenti sátiat te.

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas ; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emittet verbum suum,& liquefáciet ea ; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël ;

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Annúntiat Dñs verbum suum Jacob,& judícia sua Israël : non fecit táliter omni natióni.

AD PRIMAM.

PSALMUS 66.

Deus in toto orbe cognoscendus.

DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis ; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî :

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre suum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus ; * confiteántur tibi pópuli omnes :

Læténtur & exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos, Deus, Deus noster, benedícat nos Deus ; * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

Inanis & fugax hominum vita : ideo gratia Dei exoratur.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priusquam montes fierent, aut formarétur terra, & orbis, * à século & usque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem ; * & dixisti : Convertímini, filii hóminum :

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna quæ prætériit,

Et custódia in nocte : * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat & tránseat ; * véspere décidat, indúret & aréscat.

Quia defécimus in ira

tua, * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sǽculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt; * & in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabuntur; * dies annórum nostrórum in ipsis, septuaginta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámplius eórum, labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

Divisio Psalmi 89.

QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris:

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua; * & dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, * & opus mánuum nostrárum dírige.

AD TERTIAM.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo: æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea; & salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dñi ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meũ super inimícos meos,

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, & psalmum dicam Dño.

Divisio Psalmi 26.

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me ; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me ; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age,* & confortétur cor tuum, & sústine Dñm.

PSALMUS 83.

Supremæ beatitudinis desideria.

QUàm dilecta tabernácula tua, Dñe virtútum!* concupiscit & déficit ánima mea in átria Dñi.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum ; * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dñe ! * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te ; * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam ; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice, Deus ; * & réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus ; * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos

qui ámbulant in innocéntia : * Dñe virtútum, beátus homo qui sperat in te.

AD SEXTAM.

PSALMUS 22.

Pro beneficiis à Deo acceptis, gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit ; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tribulant me.

Impinguasti in óleo caput meum : * & calix meus inébrians quàm præclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

Soli Deo adhærendum, qui justorum defensor, malorum eversor est.

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum : * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini : * & fácies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum : * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt ; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

Divisio Psalmi 33.

VEníte, fílii, audíte me ; * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam ; * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam à malo ; * & lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum; * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dñs.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum;* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, * & non delinquent omnes qui sperant in eo.

AD NONAM.

Psalmus 79.

Christi adventus expostulatur.

Qui regis Israël, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, & Manasse:

Excita poténtiam tuam, & veni; * ut salvos fácias nos.

Deus, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris; * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos;* & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

Divisio Psalmi 79.

[Domine,] víneam de Ægypto transtulisti: * ejecisti gentes, & plantasti eam.

Dux itíneris fuisti in conspectu ejus; * plantasti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus; * & arbusta ejus cedros Dei.

Extendit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxisti macériam ejus, * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de sylva, * singuláris ferus depastus est eam.

Deus virtútum, con-

vértere : * réſpice de cœlo, & vide, & víſita víneam iſtam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & ſuper filium hóminis quē confirmaſti tibi.

Incenſa igni, & ſuffoſſa : * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ : * & ſuper filium hóminis quē confirmaſti tibi.

Et non diſcédimus à te, vivificábis nos ; * & nomen tuum invocábimus.

Dñe Deus virtútum, convérte nos ; * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

PSALMUS 92.

Dei, ſeu Chriſti, regnum & lex extollitur.

DOminus regnávit, decórē indútus eſt ; * indútus eſt Dñs fortitúdinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ ; * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc, * à ſéculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam.

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dñs.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis : * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

AD VESPERAS.

Ant. 2. D. Quid retríbuam.

PSALMUS 115.

Deus in periculis fida tutela.

CRédidi, propter quod locútus ſum ; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Cálicē ſalutáris accípiā, * & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus : * pretióſa in conſpectu Dñi mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus ; * ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti víncula mea ; * tibi ſacrificábo hóſtiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam in conſpectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dñi, in médio tuî, Jerúſalem.

Ant. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Ant. 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

Miſericordia & veritas Dei laudantur : ipſe à regibus adorandus.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde

meo; * quóniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuū, & confitébor nómini tuo,

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dn̄s, & humília réspicit, * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvū me fecit déxtera tua.

Dn̄s retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua & veritáte tua.

Ant. 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

Dei potentia, misericordia, providentia, benignitas.

EXaltábo te, Deus meus rex; * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculū séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dn̄s, & laudábilis nimis; * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítiâ tuâ exultábunt.

Ant. Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Ant. 4. a. Fidélis.

Divisio Psalmi 144.

MIserátor & miséricors Dóminus; * pátiens & multum miséricors.

Suávis Dn̄s univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur

Ut notam fáciant filiis

hóminum poténtiam tuā, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Ant. 8. c. Propè est Dñs.

Altera divisio Psal. 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * & omnes peccatóres disperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

Ant. Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

AD COMPLETOR.

Ant. 6. F. Tu, Dómine.

PSALMUS 11.

Justorum paucitas: Dei erga impios promissa urgentur.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suū: * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Disperdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt,* quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, & gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári, * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, & custódies nos * à

generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secundùm altitúdinem tuam multiplicasti filios hóminum.

PSALMUS 38.

Coërcenda lingua : mundi contemptus : vitæ brevitas.

DIxi : Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam : * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis : * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * & in meditatióne mea exardescet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * notum fac mihi, Dómine, finem meum;

Et númerum diérum meórum quis est ; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuisti dies meos, * & substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo : * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea ? nonne Dóminus ? * & substántia mea apud te est.

Divisio Psalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipienti dedisti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecisti : * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego defeci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuisti hóminem.

Et tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meã, Dómine, & deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lacrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrinus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquam ábeam, * & ámpliùs non ero.

Ant. Tu, Dñe, servábis nos, & custódies nos.

FERIA SEXTA AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Confitébor.

PSALMUS 51.

Impiis exitium proximum.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte ?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecisti dolum.

Dilexisti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, * & radicem tuá de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & dicent : * Ecce homo qui non pósuit Deũ adjutórem suum :

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * & præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei : * sperávi in misericórdia Dei in æternum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum, quia fecisti : * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu sanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

Deum, ut se à fictis amicis servet, obtestatur Christus.

EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam : * intende mihi, & exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * & formído mortis cecidit super me.

Timor & tremor venérunt super me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, * & volábo, & requiéscam ?

Ecce elongávi fúgiens, * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs, * & tempestáte.

Præcípita, Dñe, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátẽ & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas ; * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi : * sustinuissem útique.

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset : * abscondissem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus.

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos: * & descendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus salvábit me.

Divisio Psalmi 54.

VEspere, & mane, & merídie narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testamentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Molliti sunt sermónes ejus super óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætернum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, in séculum, quia fecisti. *Ps.* 51.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Deus susceptor.

PSALMUS 58.

Zelus Ecclesiæ adversùs impios.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus: * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum salva me:

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucurri, & direxi:

Exurge in occursum meum, & vide: * & tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Intende ad visitandas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam, & famem patientur

ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Divisio Psalmi 58.

DEus ostendet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequando obliviscantur pópuli mei.

Dísperge illos in virtúte tua: * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabuntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exultábo manè misericórdiam tuam;

Quia factus es suscéptor meus,* & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

Ecclesia ab insectatoribus oppressa: Christi regnum æternum.

EXaudi, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam: * dedisti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspectu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Deus susceptor meus es, Deus meus, misericórdia mea. *Ps.* 58.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. g. In multitúdine.

PSALMUS 68.

Christus, ob Religionis zelum multa passus, auxilium à Patre petit.

SAlvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profundi, * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempestas demersit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meũ.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratìs.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * & delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus filiis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meum cilícium;* & factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine; * tempus beneplácìti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar; * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

Divisio Psalmi 68.

EXaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua; * secundùm multitúdinem

miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam ; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam, * & reveréntiã meã.

In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me : * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel ; * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórũ, ne vídeant, * & dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta, * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt ; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátẽ super iniquitátẽ eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium ; * & cum justis non scribantur.

Altera divisio Psalmi 68.

Ego sum pauper & dolens : * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

Vídeant páuperes, & læténtur:* quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli & terra ; * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam ; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, Dómine, in veritáte salútis tuæ.

℣. Ego sum pauper & dolens : ℟. Salus tua, Deus, suscépit me. *Ps.* 68. 30.

Pater noster.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Laudans invocábo Dóminum ; ℟. Et

ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17. 4.

Ant. 1. a. Deus.

PSALMUS 53.

Oratio justi adversùs hostes auxilium deprecantis.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe verba oris mei:

Quóniam alieni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum:

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua dísperde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me, * & super inimícos meos despexit óculus meus.

Ant. Deus ádjuvat me, & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Ant. 7. ç. Salva me.

PSALMUS 70.

Ecclesia adversùs impios auxilium deprecatur.

IN te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum; * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut salvum me fácias.

Quóniam firmamentum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine, * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero, * de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantátio mea semper, * tamquam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * & cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me,

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unū.

Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à

me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundantur & defíciant detrahentes ánimæ meæ; * operiantur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Salva me, Dómine, esto mihi in Deum protectórem.

Ant. 5. à. Dómine, memorábor.

Divisio Psalmi 70.

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte meâ; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam & sénium, * Deus, ne derelinquas me:

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est;

Poténtiam tuam & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, & malas, & convérsus, vivificasti me, * & de abyssis terræ íterum reduxísti me?

Multiplicasti magnificéntiam tuam, * & convérsus, consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus, psallam tibi in cíthara, Sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam; * cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Ant. 8. G. Cùm irátus fúeris.

In Feriis, Canticum Habacuc. Cap. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus

ejus : * ibi abscóndita est fortitúdo ejus.
Ante fáciem ejus ibit mors ; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.
Stetit, & mensus est terram : * aspexit, & dissolvit gentes ; & contríti sunt montes séculi.
Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.
Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.
Numquid in fluminibus irátus es, Dómine ? * aut in fluminibus furor tuus ? vel in mari indignátio tua ?
Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio ;
Súscitans suscitábis arcum tuum : * juramenta tríbubus quæ locútus es.
Flúvios scindes terræ : vidérunt te, & doluérunt montes ; * gurges aquárum tránsiit.
Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.
Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.
In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies gentes.
Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.
Percussisti caput de domo ímpii ; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.
Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergendum me.
Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.
Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.
Audívi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.
Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat ;
Ut requiescam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.
Ficus enim non florébit ; * & non erit germen in víneis.
Mentiétur opus olívæ ; * & arva non áfferent cibũ.
Abscindétur de ovíli pecus ; * & non erit armentum in præsépibus.
Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.
Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quasi cervórum.
Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

[*In Festis, Canticum, Isaiæ 26.*

Urbs fortitúdinis nostræ Sion: * Salvátor ponétur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit: servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperastis in Dómino in sǽculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitantes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulandum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, & non discet justítiam: * in terra sanctórum iníqua gessit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundantur zelantes pópuli; * & ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.]

Ant. 4. A. Laudábo.

PSALMUS 145.

Non hominibus, nec principibus, sed Deo fidendum.

Lauda, ánima mea, Dóminum; laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in príncipibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sǽculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compe-

ctos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum disperdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion; * in generatiónem & generatiónem.

Ant. Laudábo in vita mea Dñm, qui facit judícium injúria patiéntibus.

AD PRIMAM.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati: ob Religionem cuncta sustinenda.

Deus, áuribus nostris audívimus, * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus quod operátus es in diebus eórum, * & in diébus antiquis.

Manus túa gentes dispérdidit, & plantasti eos; * afflixisti pópulos, & expulisti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me.

Salvasti enim nos de affligéntibus nos, * & odientes nos confudisti.

Divisio Psalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos: * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedisti nos tamquam oves escárum, * & in géntibus dispersisti nos.

Vendidisti pópulum tuũ sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est, * & confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos ; nec oblíti sumus te, * & iníquè non égimus in testamento tuo.

Et non recessit retrò cor nostrum, * & declinasti sémitas nostras à via tua.

Quóniâ humiliasti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera divisio Psalmi 43.

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad Deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge, quare obdormis, Dómine ? * exurge, & ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis ? * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos ; * & rédime nos propter nomen tuum.

AD TERTIAM.

PSALMUS 39.

Oratio Christi : ipse fiduciæ & obedientiæ typus.

EXpectans expectávi Dóminum, * & intendit mihi.

Et exaudívit preces meas : * & eduxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * & direxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt ; * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus : * & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifícium & oblatiónem noluisti : * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccáto non postulasti ; * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, & legem tuâ in médio cordis mei.

Divisio Psalmi 39.

ANnuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna ; * ecce lábia mea non prohibébo : Dñe, tu scisti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo ; *

veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam & veritátẽ tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericórdia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei: * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dñe, ad adjuvandũ me réspice.

Confundantur & revereantur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm, & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te; * & dicant semper, Magnificétur Dñs, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

Calumniatorum supplicia, bonorumque præmia Deum justum arguent.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis: * sicut áspidis surdæ, & obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocẽ incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decurrens: * intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priusquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, *

útique est Deus júdicans eos in terra.

AD SEXTAM.

PSALMUS 101.

Oratio ad Christum, quâ post calamitates, promissa salus exoratur.

DOmine, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuã à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant:

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dñe, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 101.

TU exurgens miseréberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebuntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam:

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & videbitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera; * & pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret filios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi;

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera divisio Psalmi 101.

INítio tu, Dñe, terram fundasti,* & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestimentũ veterascent:

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur; * tu autem idem ipse es; & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórũ habitábunt,* & semen eórum in séculum dirigétur.

AD NONAM.

PSALMUS 21.

Christus in cruce Patrem obsecrat, ut sibi adsit.

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquisti? * longè à salúte mea verba delictórum meórũ.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberasti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes videntes me, derisérunt me; * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * salvũ fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Divisio Psalmi 21.

[DEus meus,] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis; *

& in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos, * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meã.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Altera divisio Psalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despexit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem suam à me: * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabuntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscentur & convertentur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspectu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & semen meũ sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dño generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

AD VESPERAS.

PSALMUS 128.

Ant. 8. c. Dóminus.

Recentis Ecclesiæ prælia, & victoriæ.

SÆpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum;

* confundantur & convertantur retrorsùm, omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum,* quod priusquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit; * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Dóminus justus concídit cervíces peccatórum.

Ant. 3. à. Suscepisti.

PSALMUS 138.

Insignis Dei in nos à puero providentia.

DOmine, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexisti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meã, & funículum meum investigasti;

Et omnes vias meas prævidisti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia, novíssima & antíqua: * tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me; * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo?* & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades:

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tuæ dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: * suscepisti me de útero matris meæ.

Ant. Suscepisti me, Dómine, de útero matris meæ.

Ant. 6. F. Confitébor tibi.

Divisio Psalmi 138.

COnfitébor tibi, [Dómine,] quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meum à te, quod fecisti in occulto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribentur: * dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur: * exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dícitis in cogitatióne, * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfecto ódio óderam illos, * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum; * intérroga me, & cognosce sémitas meas:

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via æterna.

Ant. Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognoscit nimis.

Ant. 5. a. Custódi me, Dómine.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Christus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo, * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos, * abscondérunt supérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 7. c. Dómine, Dómine.

Divisio Psalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli;

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri;* cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes: in ignem dejícies eos; * in misériis non subsistent.

Vir linguósus non dirigétur in terra; * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo, * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne derelínquas me.

AD COMPLETOR.

Ant. 2. D. Dómine.

PSALMUS 37.

Mala vitæ sustinenda ad veniam peccatorum obtinendam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniã sagittæ tuæ infixæ suntmihi,* & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórũ.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum, * & sicut onus grave graváte sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum, * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Divisio Psalmi 37.

AMíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei: * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in fla-

gella parátus sum : * & dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo:* & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

Justus fide erectus, in Deo solatium quærit.

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die : * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscondent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuisti lácrymas meas in conspectu tuo.

Sicut & in promissióne tua : * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniã Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi :

Quóniam eripuisti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine viventium.

Ant. Dñe Deus meus, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

SABBATO

AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. à. In die.

PSALMUS 40.

Diligentium Christi paupertatem beatitudo.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem : * in die mala liberábit eum Dñs.

Dñs consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra : * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei : * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me ; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti, * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dñs Deus Israël à século, & usque in séculum : * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

Nil contra infernum prosunt opes : justitia sola ex eo eripit.

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum : * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcáneî mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua : * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit sapientes morientes : * simul insípiens & stultus períbunt.

Et relinquent aliénis divítias suas : * & sepulchra eórum domus illórum in æternum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt : * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutíno : * & auxílium eórum veterascet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Divisio Psalmi 48.

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm intérierit, non sumet ómnia : * neque descendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi cùm benefeceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum ; * & usque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Ant. In die malâ liberábit eum Dñs, qui intélligit super egénum & páuperem.

IN II. NOCTURNO,

Ant. 5. a. Tu reddes.

PSALMUS 61.

Frustra oppugnatur qui Deo subjectus in ejus tutela manet.

NOnne Deo subjecta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus, * susceptor meus, non movébor ámpliùs.

Quousque irrúitis in hóminem ? * interfícitis universi vos, tamquam paríeti inclináto, & macériæ depulsæ ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucurri in siti : * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea, * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus ; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum & glória mea : * Deus au-

filii mei ; & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra ; * Deus adjútor noster in æternum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi ; quia potestas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

Vana impiorum concilia: Evangelii prædicatio.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meã.

Protexísti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas ; * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt ; * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos ; * dixérunt, Quis vidébit eos.

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

Ad vitandum Dei judicium, humilitas colenda.

COnfitébimur tibi, Deus : * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníquè ágere ; * & delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum, * no-

líte loquí adversùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis móntibus: * quóniam Deus judex est:

Hunc humíliat, & hunc exaltat; * quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto;

Et inclinávit ex hoc in hoc, verúmtamen fæx ejus non est exinaníta, * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in séculum; * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * & exaltabuntur córnua justi.

Ant. Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera sua. *Ps.* 61.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Cogitátio.

PSALMUS 75.

Innumera Christi in Ecclesiam beneficia.

NOtus in Judæa Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnum suum; * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

Adversùs Ecclesiam bella: pœna persequentium.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium,

* & cogitavérunt adversùs ſanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, & diſperdámus eos de gente, * & non memorétur nomen Iſraël ultrà :

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * ſimul adversùm te teſtamentum diſpoſuérunt tabernácula Idumæórum & Iſmahelítæ :

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum :

Etenim Aſſur venit cum illis; * facti ſunt in adjutórium fíliis Loth.

Fac illis ſicut Mádian, & Síſaræ; * ſicut Jabin in torrente Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor ; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana ;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt : Hæreditáte poſſideámus ſanctuárium Dei.

Diviſio Pſalmi 82.

DEus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes :

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubeſcant & conturbentur in ſéculum ſéculi; * & confundantur, & péreant :

Et cognoſcant quia nomen tibi, Dóminus : * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, Dñe. *Pſ.* 75.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua ; ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

Pater noſter.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, ℟. Totâ die magnitúdinem tuã. *Pſ.* 70. 8.

Ant. 4. a. Pérfice.

PSALMUS 16.

Oratio Eccleſiæ ab hoſtibus exagitatæ.

EXaudi, Dómine, juſtítiam meam : * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte : * igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iníquitas.

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórũ ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveantur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Ant. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveantur vestígia mea.

Ant. 7. d. In justítia.

Divisio Psalmi 16.

INimíci mei ánimam meã circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dñe, præveni eum, & supplanta eum ; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. In justítia apparébo conspéctui tuo : satiábor cùm apparúerit glória tua.

Ant. 1. *f.* Parátum.

PSALMUS 56.

Contra inimicos opem implorat Christus, postea Dei laudes celebraturus.

MIserére meî, Deus, miserére meî : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo : * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, & liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam : * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum, dormívi conturbátus.

Fílii hóminũ, dentes eó-

rum arma & sagittæ : * & lingua eórũ gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus : * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo & psalmum dicam.

Exurge, glória mea, exurge, psaltérium & cíthara :* exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua : * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus : * & super omnem terram glória tua.

Ant. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meũ : cantábo, & psalmum dicam.

Ant. 5. a. Date magnificéntiam.

In Feriis, Cantic. Moysi. Deut. 32.

Audíte, cœli, quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea : * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo : * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia : * Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus.

Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus ; * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens ?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te ?

Meménto diérum antiquórum : * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi : * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat filios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus : * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum, & dócuit,* & custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans

ad volandum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expandit alas suas, & assumpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus:

Constítuit eum super excelsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de saxo duríssimo;

Bútyrum de armento, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan,

Et hircos cum medulla trítici; * & sánguinẽ uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * & recessit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit dereliquisti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiã concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui, & fíliæ.

Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * & infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis;

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succensus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorábitque terram cum gérmine suo, * & móntiũ fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala; * & sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum distuli, * ne for-

tè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus nostra excelsa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia; * útinam sáperent, & intellígerent, ac novíssima providérent!

Quómodo persequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo quia Deus suus véndidit eos,* & Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum;* & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum,uva fellis;* & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesauris meis?

Mea est últio; & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis, * & adesse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

Surgant, & opitulentur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus,* & non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo: * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in ætemum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóstibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo sagittas meas sánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Date magnificéntiam Deo nostro: Dei perfécta sunt ópera.

[*In Festis, Cant.* Judith. 16.

INcípite Dómino in tympanis : * cantáte Dómino in cymbalis.

Moduláмini illi psalmum novum : * exaltáte, & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella : * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne * in multitúdine fortitúdinis suæ :

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * & equi eórũ cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus féminæ, * & confódit eum.]

Ant. 3. g. Laudáte Dñm.

PSALMUS 116.

Deus à gentibus collaudandus ob Christum exhibitum.

LAudáte Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * & véritas Dómini manet in æternum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes pópuli : quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

AD PRIMAM.

PSALMUS 87.

Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, opem Dei implorat.

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea ; * inclína aurem tuam ad precem meã.

Quia repléta est malis ánima mea ; * & vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum ; * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormientes in sepulchris, quorum non es memor ámpliùs, * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus ; * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me ; * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar ; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómi-

ne, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulchro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me;

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

PSALMUS 142.

Oratio pœnitentis, Dei opem deprecantis.

DOmine, exaudi oratiónem meam, áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia:

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sǽculi, * & anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuã à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Divisio Psalmi 142.

ERipe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi; * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectã: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dísperdes inimícos meos :

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam , * quóniam ego servus tuus sum.

AD TERTIAM.

PSALMUS 28.

Gentium conversio verbi Dei efficaciâ.

AFferte Dómino, fílii Dei , * afferte Dño fílios aríetum.

Afferte Dño glóriam & honórem, afferte Dño glóriá nómini ejus : * adoráte Dñm in átrio sancto ejus.

Vox Dñi super aquas , Deus majestátis intónuit: *Dñs super aquas multas.

Vox Dñi in virtúte:* vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dñi confringentis cedros : * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani , * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis, vox Dómini concutientis desértum : * & commovébit Dñs desértum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos , & revelábit condensa ; * & in templo ejus omnes dicent glóriá.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit , * & sedébit Dñs rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale : Christi & Ecclesiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum , diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum , * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ , * intende, prósperè procéde , & regna.

Propter veritátem , & mansuetúdinem , & justítiam ; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ , pópuli sub te cadent , * in corda inimicórum regis.

Sedes tua , Deus , in séculum séculi : * virga directiónis , virga regni tui.

Dilexísti justítiam , & odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus,Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta , & cásia à vestiméntis tuis , à dómibus ebúrneis , * ex quibus delectavérunt te

filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam, * & oblivíscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

Et concupiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs, * in fimbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in séculum séculi.

PSALMUS 149.

Christus celebrandus, qui suis in gentes ultricem potestatem sit daturus.

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésia sanctórũ.

Lætétur Israël in eo qui fecit eum, * & filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano & psaltério psallant ei;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabuntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

AD SEXTAM.

PSALMUS 45.

Ecclesia Dei præsidio inconcussa.

DEus noster refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum, * con-

turbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dñi, quæ póſuit prodígia ſuper terram; * áuferens bella uſque ad finẽ terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Ex Jeruſalem in omnes terras delapſa ſalus.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univerſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt: * convenérunt in unum.

Ipſi videntes ſic admiráti ſunt, conturbáti ſunt, commóti ſunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturientis: * in ſpíritu vehementi cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in æternum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuũ, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus: * & diſtribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſéculum ſéculi: * ipſe reget nos in ſécula.

PSALMUS 86.

Laus Eccleſiæ: Fidelium infinitus numerus.

FUndamenta ejus in móntibus ſanctis: * dí-

ligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthiópum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum; * horum qui fúerunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

AD NONAM.

Psalmus 59.

Flebilis oratio Synagogæ.

DEus, repulisti nos, & destruxisti nos: * irátus es, & misertus es nobis.

Commovisti terram, & conturbasti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendisti pópulo tuo dura: * potasti nos vino compunctiónis.

Dedisti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberentur dilecti tui: * salvum fac dexterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, & partibor Síchimam, & convallem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manasses: * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

Psalmus 73.

De populi, templique calamitate, questus.

UT quid, Deus, repulisti in finem, * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedisti ab inítio.

Redemisti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem; *

quanta malignátus est inimícus in sancto?

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórũ secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum, * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórũ simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra,

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta; * & nos non cognoscet ámplius.

Divisio Psalmi 73.

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio sinu tuo in finẽ?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmasti in virtúte tua mare, * contribulasti cápita dracónũ in aquis.

Tu confregisti cápita dracónis, * dedisti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupisti fontes & torrentes, * tu siccasti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem & ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dño, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórũ ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totá die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum; * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

AD VESPERAS.

Ant. 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

Futuræ, præsentisque vitæ beatitudo timore Dei comparatur.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis ; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dñm.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion ; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 1. a. Surge, Dñe.

PSALMUS 131.

Oratio Ecclesiæ, Christum Davidi promissum exposcentis.

MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino,* votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eã in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam, * & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas fáciem christi tui.

Ant. Surge, Dómine, in réquiem tuam ; & sancti tui exultent.

Ant. 7. c. Sion réquies mea.

Divisio Psalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum : * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi ; * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David : * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Sion réquies mea in séculum séculi : sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ant. 3. a. Deus meus.

PSALMUS 143.

Victoria ab hostibus, Dei donum est.

BEnedictus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum ; * susceptor meus, & liberátor meus.

Protector meus, & in ipso sperávi ; * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuisti ei ; * aut filius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est ; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descende ; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos ; * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto ; éripe me, & líbera me de aquis multis ; * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * & déxtera eórũ, déxtera iniquitátis.

Ant. Deus meus, misericórdia mea, & susceptor meus.

Ant. 6. F. Beátus.

Divisio Psalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachordo psallam tibi :

Qui das salútem régibus ; * qui redemisti David servum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem ; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum filii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud :

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis ; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt : * beátus

tus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

AD COMPLETOR.

Ant. 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

Pœnitentis animi, humiles ac vivi sensus.

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuã.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor; * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua, * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te converteutur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses, sacrifícium dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri & Fílio, * & Spirítui Sancto:

Sicut erat, &c.

PSALMUS 85.

Oratio Christi pro fide gentium.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi;

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudisti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine, * & non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, vénient & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga potentium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére meî; * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me.

Ant. Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die. *Psalm.* 85.



IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES.

In Feriis Quadragesimæ, dicuntur flexis genibus Preces sequentes.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meî: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89. 13.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam; ℟. Et sancti tui exultent. *Psal.* 131. 9.

℣. Orémus pro Pastóre nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40. 3.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Psal.* 73. 2.

℣. Dómine, salvum fac Regem nostrum N. ℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in ætérnum. *Psal.* 27. 9.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalē: ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121. 6.

℣. Orémus pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124. 22.

℣. Pro infirmis, afflictis & captívis. ℟. Líbera, Deus, Isräel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24. 4.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

Deinde dicitur Psalmus De profundis, *qui habetur suprà in Vesperis Feria quarta; & in fine* Glória Patri.

[*In Vesperis, ejus loco dicitur Ps.* Miserére. 145. *cum* Glória Patri.]

Finito Psalmo, dicitur:

℣. Dómine Deus vir-

tútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Et dicitur Oratio conveniens.

Dicto Benedicámus, *si facienda sit commemoratio de aliquo Sancto, fit eo loco.*

Deinde fiunt suffragia, seu Commemorationes communes, ut sequitur.

DE S. CRUCE.

[*In Offic. Feriali tantùm.*]

Ant. Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. 1. *Petr.* 2. 24.

℣. Ipse rédimet Israël, ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Psal.* 129. 8.

Orémus.

PErpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es: Qui vivis & regnas, Deus.

℟. Amen.

[*Si sequatur Offic. parvum B. Mariæ, tunc fit integra conclusio:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias.

Deinde incipitur Officium parvum.

Ubi verò non dicitur, ejus loco fit Suffragium sequens.

De Beata Maria.

Ant. Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs sancti, sola sine exemplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Orémus.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea fit Commem. de Patrono Ecclesiæ; ac de Titulari, si à Patrono differat. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS.

Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alicujus ex Mysteriis Christi; ejusmodi Commemoratio fit post Orationem de Cruce ante Suffragium de Beata. Quòd si in honorem S. Crucis dedicata sit, suprà-scripta Commem. de Cruce fit etiam in Festis simplicibus. Si verò sub invocatione S. Mariæ, non fit alia Commemoratio de ea quàm quæ hîc habetur.

Deinde fit Commem. de omnibus SS. & speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7. 15.

℣. In æternum exultábunt, & habitábis in eis; ℟. Et gloriabuntur in te, Dómine. *Ps.* 5. 12.

In Oratione sequenti, extra Ecclesiam omittitur vox [hac].

Orémus.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, & ómnium Sanctórum, mérita gloriósa; ut eorúm intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ultimò, pro Pace, Ant. Deus qui fecit nobiscum secundùm suam misericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus nostris. *Eccli.* 50. 24. 25.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28. 11.

Orémus.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consilia & justa sunt ópera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut, & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum, *vel* Dómine, exaudi. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tempore Paschali, fit sola Commemorat. de Cruce, ut habetur in Proprio.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,

Præsens benigno númine,
Nostros ut actus dírigat.
Nil lingua peccet, nil manus;
Nil mens inàne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.
Incoepta dum fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.
Tu spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium:
Te, prosequámur, áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali dicetur hæc doxologia in omnibus Hymnis Horarum.

Quem suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

Per Octavam Ascensionis.

Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória, &c.

In Feriis & Festis, Psalmi dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur, nisi notetur aliter.

In Feriis autem temporis Quadragesimalis & Paschalis, Ant. Capitul. ℟. breve & Versic. habentur in Proprio.

In Festis verò Ant. sumitur de Proprio vel de Communi; Capit. autem ℟. br. & Versic. dicuntur de Proprio Quadrag. vel Paschali, nisi aliter notetur.

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.

In Semiduplicibus & intra Octavas omittuntur seqq. ℣℣.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. ℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam ætemam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Psalm.* 70. 8.

℣. Averte fáciem tuam

à peccátis meis ; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus ; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua ; ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. *Ps.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui ; ℟. Et spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50. 14.

[*Quando Preces dicuntur flexis genibus : adduntur seqq.* ℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo : ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus ; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58. 2.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem ; ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58. 3.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me ; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum intende : ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Reminíscere miserationum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino ; ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino ; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis ; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam ; ℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus. *Ps.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum ; ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102. 5.]

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens :

CONfiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [& vobis fratres ;] quia

peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [& vos, fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit:

Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius respondet:* Amen.

Deinde Chorus facit Confessionem; & ubi dictum est: vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit:* tibi, pater, *&* te, pater.

Mulieres in suis Conventibus, loco fratres, *&* pater, *dicunt*, soróres, *&* mater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:

MIsereátur vestrî omnípotens Deus; &, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit*, Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &, *ante voces* omnibus *&* omnes. *Deinde* Misereátur *semel, ad quod dicit*, nostrî, nostris, nos.]

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem dicit:

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecisti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus;

per ómnia sécula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si dicenda sit Prima de Officio parvo B. Mariæ, præponitur Officio Capit.

AD OFFIC. CAPITULI.

Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. 6.

Sancta María, & omnes sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivis & regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89. 16. 17. Glória Patri.

Orémus.

Dirígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

Lector, Jube, domne, benedícere. [*Lectrix dicit*, domna, *solus vel sola recitans*, Dómine.] *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8. 10.

Tunc fit lectio Canonica qui pro singulis diebus ha-

betur suo loco, in cujus fine dicitur : Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Post lectionem, Hebdomadarius dicit : Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

Submissiori voce dicit : Benedícite. *Lector versus ad eum :* Deus. *Hebdomadarius :* Dóminus nos benedícat, & ab omni malo defendat, & perdúcat ad vitam ætérnam. *Lector.* Amen.

Secretò. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde Pater noster.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

O Fons amóris Spíritus,
O dulce lumen méntium;
Sacras refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui cháritas & vínculum,
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Hac sáncta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

Quem suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Per Octavam Ascensionis.

Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória, &c.

In Feriis & Festis, Psalmi dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur, nisi notetur aliter.

In Feriis autem temporis Quadragesimalis & Paschalis, Ant. habetur in Proprio.

In Festis verò Ant. sumitur de Proprio vel de Communi.

Capitul. & ℟. br. sumuntur ubi sumitur Antiph. super Psalmos; & sic ad alias Horas.

PRECES.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces, tunc ad Tertiam, Sextam, & Nonam, dicuntur flexis genibus.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, Deus vir-

tútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

JAM solis áureum jubar
Pleno coruscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refulge sénsibus.

O DUX salútis & via!
O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perennis gáudia.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

QUEM suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Per Octavam Ascensionis.

QUI victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória, &c.

Ant. Psalmi, Capit. ℟. br. & Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

RECEDIT inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supernam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

DA, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui;
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Tempore Paschali.

QUEM suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Per Octavam Ascensionis.

QUI victor in cœlum redis,

Jesu, tibi sit glória, &c.

Ant. Psalmi, Capit. ℟. *br. & Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut suprà ad Tertiam.*

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Preces, si dicendæ sint, habentur suprà, 147. *In iis, loco Ps.* De profundis, *dicitur Ps.* Miserére.

SUFFRAGIA.

De S. Cruce.

[*In Offic. Feriali tantùm.*]

Ant. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6. 14.

℣. In Deo salutáre meum, ℟. Et glória mea. *Ps.* 61. 8.

Orémus.

Perpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es; Qui vivis & regnas, Deus.

℟. Amen.

[*Si sequantur Vesperæ de B. Maria, tunc fit integra conclusio*: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde incipitur Officium parvum.

Ubi verò non dicitur Officium parvum, ejus loco fit Suffragium sequens.]

De B. Maria.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósâ beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & æternâ pérfrui lætítiâ; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea fit Commem. de Patrono & Titulari, ut dictum est suprà, 148.

Deinde de omnibus SS. & speciatim de iis quorum Corpora, aut saltem Reliquiæ, habentur.

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in regno patris eórum. *Matth.* 13. 43.

℣. Justi confitebuntur nómini tuo, Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Psalm.* 139. 14.

Orémus.

Propitiáre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis

per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Ecclésia tua requiescunt, & ómnium Sanctórum mérita gloriósa; ut eórum intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Ultimò, pro Pace.

Ant. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua, ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Psalm.* 121. 7.

Orémus.

DEus, à quo sáncta desidéria, recta consília & justa sunt ópera: da servis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem; ut, & corda nostra mandátis tuis dédita, &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tempore Paschali, fit sola Commemoratio de Cruce, ut habetur in Proprio.

AD COMPLETOR.

COnverte nos, Deus salutáris noster:

℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84. 5.

℣. Deus, in adjutórium.

Antiph. & Psalmi convenientes.

Tempore Quadragesimali & Paschali, Hymnus, Capit. ℟. breve, & versic. habentur in Proprio.

Cantic. Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciem ómnium populórum:

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimali & Paschali, Ant. habetur in Proprio.

PRECES.

Quando dictæ sunt Preces in Vesperis, hæ dicuntur flexis genibus.

In Semidupl. & intra Octav. omittuntur seqq. ℣℣.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum.

℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum ; ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula. *Daniel.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum; ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Ibid.*

℣. Benedíctus es in firmamento cœli ; ℟. Et laudábilis, & gloriósus in sécula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster : ℟. Benedícat nos Deus. *Psalm.* 66. 7. 8.

Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens :

Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [& vobis, fratres,] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere : meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit :

Misereátur tuî omnípotens Deus ; &, dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius respondet :

℟. Amen.

Deinde Chorus facit Confessionem : & ubi dictum est : vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit :* tibi, pater, *&* te, pater.

Mulieres in suis Conventibus, loco fratres *&* pater, *dicunt*, soróres, *&* mater.

Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit :

Misereátur vestrî omnípotens Deus ; &, dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit*, Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &, *ante voces* ómnibus *&* omnes. *Deinde* Misereátur *semel, ad quod dicit* nostrî, nostris, nos.]

Indulgéntiam, absolutiónem, & remissió-

nem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostrì, Dómine: ℟. Miserére nostrì. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Tempore Quadragesimali & Paschali Oratio habetur in Proprio.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Finito Completorio, submissâ voce dicitur: Benedícat & custódiat nos omnípotens & miséricors Dóminus, Pater, & Fílius, & Spíritus sánctus.

℟. Amen.

Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

ANTIPHONÆ DE BEATA, AD DEVOTIONEM.

In Quadragesima, usque ad Feriam iij. majoris Hebdomadæ.

AVE, Regína cœlórum;
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix; salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude, Virgo glorióso,
Super omnes speciósa:
Vale, ô valdè decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Ora pro nobis, sáncta Dei génitrix:

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

CONcéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sánctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

A die sancto Pascha usque ad Sabbatum Dominicæ I. post Pentecosten exclusivè.

REGINA cœli, lætáre, allelúia;
Quia quem meruísti portáre, allelúia,

Resurrexit sicut dixit, allelúia:
Ora pro nobis Deum, allelúia.
℣. Gaude & lætáre, virgo María; ℟. Quia surrexit Dóminus verè.
Orémus.
DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus Genitrícem vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem.

Post completum Officium dicitur secretò, Pater, Ave, Credo.

ABSOLUTIONES ET BENEDICT.
ANTE LECTIONES.

DOMINICA.

IN I. NOCTURNO.

Et pro II. & V. Feria.

Absolutio.

EXaudi, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, & miserére nobis, qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Benedictióne perpétuâ benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen. *Sic respondetur* Amen *ad singulas Benedictiones.*
2. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere & adjuváre dignétur.
3. Spíritûs sancti grátia illúminet sensus & corda nostra.

IN II. NOCTURNO.

Et pro III. & VI. Feria.

Absolutio.

IPsíus píetas & misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius & clemens.
5. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.
6. Ignem sui amóris accendat Deus in córdibus nostris.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio.

A Vínculis peccatórum nostrórum absolvat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit & regnat.
8. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.
9. Evangélica léctio sit nobis salus & protéctio.

Si pro decima, aut pro septima, aut pro quarta Lectione legendum sit aliud Evangelium, tunc Benedictio erit: Per evangélica dicta deleantur nostra delicta.

Si tria legantur Evangelia, Benedictio ad tertium Evangelium erit: Verba sancti Evangélii dóceat nos Christus Filius Dei.

Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquam ipse præmisit ex more, Jube, domne, benedícere, *dignior post ipsum dicit illi,* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Episcopus dicit Benedictionem convenientem,* Evangélica lectio, *vel,* Per evangélica, *vel,* Verba sancti, &c. *Tumque Chorus respondet* Amen. *Idem observatur ubi unicus est Presbyter.*

Feria IV. & Sabbato, Absol. A vínculis, *ut sup.*

Benedictiones.

1. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit & regnat.
2. Divínum auxílium, &c.
3. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

In omni Feria, quando legitur Evangelium cum Homilia, semper dicuntur Benedict. tertii Nocturni de Domin. Absolutio autem secundùm Feriam.

Intra Octavas Paschæ & Pentecostes, & quoties tertia Lectio est Evangelium, fit ut in Feriis quibus legitur Evangelium.

Alias verò intra Octavas, Absolut. & Benedict. dicuntur secundùm Feriam, cùm fit de Octava.

In Festis sex Lectionum dicuntur Absolutiones & Benedictiones secundi & tertii Nocturni diei Dominicæ, & quinta Benedictio est octava Festorum novem Lectionum Cujus Festum, *vel* quorum, *vel* quarum.

In Festo simplici dicitur Absolutio secundùm Feriam.

Benedictiones verò:

1. Ille nos benedícat.
2. Cujus festum cólimus, ipse pro nobis intercédat ad Dóminum, *vel* Quorum festum cólimus, ipsi pro nobis intercédant ad Dóminum, *vel* Quarum, &c.
3. Ad societátem.

Si pro tertia Lectione legatur Evangelium cum Homilia, & lectum non sit aliud Evangelium, tertia Benedictio erit, Evangélica léctio, &c. *non autem,* Per evangélica.

In Festis B. Mariæ, penultima Benedictio erit, Cujus Festum cólimus, ipsa Virgo vírginum in-

tercédat pro nobis ad Dóminum.

Sabbato autem, quando fit de ea, dicitur: Alma Virgo virginum intercédat pro nobis ad Dñum.

At in ejus Officio parvo, Benedictiones sunt: Nos cum prole. Virginis Maríæ Filius, & Per Virginem, *ut proprio loco notantur.*

Si in Feriis Lectio quarta est de Sancto, aut si in Festis trium & sex Lectionum, quarta aut septima Lectio occurrat de Sancto aut de Sanctis, Benedictio erit, Ipse Deus pacis sanctíficet nos per ómnia.



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS VERNA.

SABBATO
Ante Dominicam primam Quadragesimæ.

AD VESPERAS.

Antiph. & Psalmi de Psalterio.

Capitulum. Ezechiel. 18. v. 30. 31.

COnvertímini, & ágite pœniténtiam ab ómnibus iniquitátibus vestris; & non erit vobis in ruínam iníquitas. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & fácite vobis cor novum & spíritum novum.

℟. Deo grátias.

℟. Scrutémur vias nostras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum; * Levémus corda nostra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Nos iniquè égimus, & ad iracúndiam provocávimus. * Levémus. ℣. Glória. * Levémus. *Thren.* 3. 40.-42.

Hymnus & Versiculus ut infrà in Feriis, p. 175.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. E. Fuit Móyses cum Dómino, quadraginta dies & quadraginta noctes; panem non comédit, & aquam non bibit. *Exod.* 34. 28.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui Ecclésiam tuam ánnuâ quadragesimáli observatióne puríficas; præsta famíliæ tuæ, ut, quod à te obtinére abstinendo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs.

Fit commemoratio de Beata & de Patrono.

AD COMPLETORIUM, *ut infrà ante Feriam secundam post Domin. I. Quadrag. p.* 175.

DOMINICA I. Quadragesimæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium & Hymnus, ut infrà in Feriis Quadragesimæ, p. 172.

Antiph. Psalmi, & Versiculi ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

De libro Deuteronómii.

Lectio I. *Cap. 9. v. 7.*

Duplex Moysis Quadragesima.

MEmento, Israël, & ne obliviscáris, quómodo ad iracúndiam provocáveris Dñm Deum tuum in solitúdine. Nam & in Horeb provocasti eum, & irátus delére te vóluit; quando ascendi in montem, ut accíperem tábulas lapídeas, tábulas pacti quod pépigit vobíscum Dóminus, & persevérávi in monte quadraginta diébus ac nóctibus, panem non comedens, & aquam non bibens. Cúmque transíssent quadraginta dies, & tótidem noctes, dedit mihi Dóminus duas tábulas lapídeas, tábulas fœderis. Cúmque de monte ardente descénderem, & duas tábulas fœderis utrâque tenérem manu, vidissémque vos peccásse Dómino Deo vestro, & fecisse vobis vítulum conflátilem, ac deseruisse velóciter viam ejus, quam vobis osténderat: projéci tábulas de mánibus meis, confregíque eas in conspectu vestro. Et prócidi ante Dñm sicut priùs, quadraginta diébus & nóctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter ómnia peccáta vestra quæ gessistis contra Dñm, & eum ad iracúndiam provocastis. Tímui enim indignatiónem & iram illíus, quâ adversùm vos concitátus, delére vos vóluit. Et exaudívit me Dóminus étiam hâc vice.

℟. j. Dómine, magna judícia tua; * Quia non égimus secundùm præcépta tua, & non ambulávimus sincériter coram te. *Tob.* 3. 5. ℣. Si dixérimus, quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus. 1. *Joan.* 1. 8. * Quia.

De libro tértio Regum.

Lectio II. *Cap.* 19. *v.* 1.

Elias per dies quadraginta ambulans.

NUntiávit autem Achab Jézabel ómnia quæ fécerat Elías, & quómodo occidísset univérsos prophétas gládio. Misítque Jézabel núntium ad Elíam, dicens: Hæc mihi fáciant dii, & hæc addant, nisi hâc horâ cras posúero ánimam tuam sicut ánimam uníus ex illis. Tímuit ergo Elías, & surgens ábiit quocúmque eum ferébat volúntas; venítque in Bersábee Juda, & dimísit ibi púerum suum, & perrexit in desértum, viam uníus

diéi. Cúmque venisset, & sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut moreretúr, & ait : Súfficit mihi, Dómine; tolle ánimam meam : neque enim mélior sum, quàm patres mei. Projecítque se, & obdormívit in umbra juníperi, & ecce Angelus Dómini tétigit eum, & dixit illi : Surge, & cómede; grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comédit & bibit, & ambulávit in fortitúdine cibi illíus, quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb. Cúmque venisset illuc, mansit in spelunca : & ecce sermo Dómini ad eum, dixitque illi : Quid hîc agis, Elía? At ille respondit : Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum; quia dereliquérunt pactum tuum filii Israël.

℟. ij. Obsecro, Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te : * Peccávimus, Dómine, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus, & declinávimus à mandátis tuis. *Dan.* 9. *v.* 4. 5. ℣. Júdicans das, Dómine, locum in peccátis pœniténtiæ. *Sap.* 12. *v.* 19. * Peccávimus.

De Jona Prophéta.

Jejunium quadraginta dierum Ninivitis annuntiatur à Jona, & convertuntur.

LECTIO III. *Cap.* 3. *v.* 1.

FActum est verbum Dómini ad Jonam, dicens : Surge, & vade in Níniven civitátem magnam : & prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Jonas, & ábiit in Níniven juxta verbum Dómini : & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus; & clamávit, & dixit : Adhuc quadraginta dies, & Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum : & prædicavérunt jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive : & surrexit de sólio suo, & abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis & príncipum ejus, dicens : Hómines, & jumenta, & boves, & pécora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant : & operiantur saccis hómines, & jumenta, & clament ad

Dóminum in fortitúdine; & convertátur vir à via sua mala, & ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur & ignoscat Deus: & revertátur à furóre iræ suæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus.

℟. *iij.* Non quasi homo, sic Deus comminábitur; neque sicut filius hóminis, ad iracúndiam inflammábitur: * Et ídeo † Humiliémus illi ánimas nostras. *Judith.* 8. *v.* 15. 16. ℣. Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. *Jac.* 4. 6. * Et ídeo. ℣. Glória Patri. † Humiliémus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis papæ. *Sermo 4. de Quadragesima.*

LECTIO IV.

PRædicatúrus vobis, dilectíssimi, sacratíssimum maximumque jejúnium, quo áptius utar exórdio, quàm ut verbis Apóstoli, in quo Christus loquebátur, incípiam; dicamque quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis? Quamvis enim nulla sint témpora quæ divínis non sint plena munéribus, & semper nobis ad misericórdiam Dei per ipsíus grátiam præstétur accessus: nunc tamen ómnium mentes majóri stúdio ad spirituáles profectus movéri, & amplióri fidúciâ oportet animári, quando ad universa pietátis officia, illíus nos diéi, in quo redempti sumus, recursus invítat; ut excellens super ómnia passiónis Domínicæ sacraméntum, purificátis & corpóribus & ánimis celebrémus.

℟. *iv.* Non rogávimus fáciem tuam, Dómine Deus noster, * Ut reverterémur ab iniquitátibus nostris, & cogitarémus veritátem tuam. *Dan.* 9. 13. ℣. Præcepta tua, Dómine, non audívimus, nec observávimus. *Dan.* 3. *v.* 3. * Ut reverterémur.

LECTIO V.

DEbebátur quidem tantis mystériis ita incessábilis devótio & continuáta reveréntia, ut tales permanerémus in conspectu Dei, quales nos in ipso Pascháli Festo dignum est inveníri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum est, & dum carnis fragilitáte austérior observántia relaxátur, dumque per várias actiónes vitæ hujus sollicitú-

do disténditur, necesse est de mundáno púlvere étiam religiósa corda sordéscere: magnâ divínæ institutiónis salubritáte provísum est, ut ad reparandam méntium puritátem, quadraginta nobis diérum exercitátio mederétur, in quibus aliórum témporum culpas, & pia ópera redímerent, & jejúnia casta decóquerent.

℟. v. Ne, quæsumus, Dómine, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, * Neque áuferas misericórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3. *v.* 34. 35. ℣. Tu, quia pius es, miserére nostrî. *Judith.* 7. *v.* 21. * Neque.

LECTIO VI.

INgressúri ígitur, dilectíssimi, dies mysticos, & jejuniórum remédiis consecrátos, præceptis Apostólicis obedíre curémus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spíritûs: ut castigátis colluctatiónibus quæ sunt inter utramque substántiam, ánimus, quem sub Dei gubernáculis constitútum, córporis sui decet esse rectórem, dominatiónis suæ obtíneat dignitátem; ut némini dantes ullam offensiónem, vituperatiónibus obloquéntium non simus obnóxii. Dignâ enim ab infidélibus reprehensióne carpémur, & nostro vítio linguæ impiæ in injúriam se religiónis armábunt, si jejunántium mores à puritáte perfectæ continéntiæ discrepárint. Non enim in sola abstinéntia cibi stat nostri summa jejúnii; aut fructuósè córpori esca subtráhitur, nisi mens ab iniquitáte revocétur.

℟. vj. Dómine, nunc séquimur te, & quærimus fáciem tuam, * Ne confundas nos; sed fac nobiscum † Juxta mansuetúdinem tuam. *Dan.* 3. *v.* 41. 42. ℣. Clamantes & dicentes: Dómine, miserére nostrî. *Matth.* 9. *v.* 27. * Ne confundas. ℣. Glória Patri. † Juxta.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECT. VII. *Cap.* 6. *v.* 1.

Accepta gratia non negligatur.

EXhortámur, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accepto exaudívi te, & in die salútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem,

ut non vituperétur ministérium nostrum: sed in ómnibus exhibeámus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in charitáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ à dextris & à sinistris; per glóriam, & ignobilitátem; per infamiam, & bonam famam; ut seductóres, & veráces; sicut qui ignóti, & cógniti; quasi morientes, & ecce vívimus; ut castigáti, & non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, & ómnia possidentes.

℟. *vij.* Loquar in amaritúdine ánimæ meæ; * Dicam Deo: Noli me condemnáre. *Job.* 10. *v.* 1. 2. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15. *v.* 18. * Dicam.

Mundani fideles.

Lectio VIII. *v.* 14.

Nolite jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ sociétas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Christi ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem consensus temploDei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos; & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis; & ego recípiam vos: & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in fílios & filias, dicit Dóminus omnípotens. Has ergo habentes promissiónes, charissimi, mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei.

℟. *viij.* Averte, Dómine, fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele: * Cor mundum crea in me, Deus, & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Psalm.* 50. *v.* 11. 12. ℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. * Cor mundum crea in me, Deus.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lect. IX. *Cap.* 4. *v.* 1.

Christus post jejunium quadraginta dierum, tentatoris victor.

IN illo témpore : Jesus ductus est in desertum à spíritu ut tentarétur à diábolo : & cùm jejunasset quadraginta diébus, & quadraginta nóctibus, póstea esúriit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 16. *in Evang. hab. in Basil. sancti Joannis Lateran. Domin.* I. *Quadrages.*

DUbitári à quibusdam solet, à quo spíritu ductus sit Jesus in desertum, propter hoc quod súbditur : Assumpsit eum diábolus in sanctam civitátem : & rursùm ; Assumpsit eum in montem excelsum valdè. Sed verè & absque ulla quæstióne convenienter accípitur, ut à sancto Spíritu in desertum ductus credátur, ut illùc eum suus spíritus dúceret, ubi hunc ad tentandum malignus spíritus inveníret. Sed ecce, cùm dicitur Deus homo, vel in excelsum montem, vel in sanctam civitátem à diábolo assumptus, mens réfugit crédere, humánæ hoc au[..]re aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibília ista cognóscimus, si in illo & ália facta pensámus. Certè iniquórum ómnium caput diábolus est ; & hujus cápitis membra sunt omnes iníqui. An non diáboli membrum fuit Pilátus ? An non diáboli membra Judæi persequentes, & mílites crucifigentes Christum, fuérunt ? Quid ergo mirum, si se ab illo permísit in montem duci, qui se pértulit étiam à membris illíus crucifigi. Non est ergo indignum Redemptóri nostro, quòd tentári vóluit, qui vénerat occídi : justum quippe erat, ut sic tentatiónes nostras suis tentatiónibus vínceret, sicut mortem nostram vénerat suâ morte superáre.

℟. *ix.* Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui cum irátus fúeris, misericórdiam facies, & in témpore tribulatiónis, peccáta dimittis his qui ínvocant te : * Ad te, Dómine, fáciem meam converto ; † Ad te óculos meos dírigo. *Tob.* 3. *v.* 13. 14. ℣. Pater, peccávi in cœlum & coram te. *Luc.* 15. *v.* 21. * Ad te Dómine. ℣. Glória Patri & Fílio. † Ad te óculos meos.

Hymnus & Versiculus ut infrà in Feriis Quadrages. p. 175.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. f. Consummátâ omni tentatióne, diábolus recessit à Jesu; & ecce Angeli accessérunt, & ministrábant ei. *Luc.* 4. 13. *Matt.* 4. 11.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Fit commemoratio de Beata, & de Patrono.

AD COMPLETORIUM *ut infrà in Feriis, p.* 175.

IN FERIIS *Quadragesimæ, usque ad Dominicam Passionis.*

AD OFFICIUM NOCT.

Invitator. Dóminum vocantem peccatóres ad pœniténtiam, * Veníte, adorémus. *Luc.* 5. 32.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

EN tempus acceptábile,
Tempus salútis núntium,
Quo pœnitentis flétibus
Patet thronus cleméntiæ.

SIT ergo potus, sit cibus,
Sit somnus ipse párcior:
Prudensque demat párcitas
Quod charitáti fœneret.

INTENTA mens libídinis
Frænet rebelles ímpetus;
Ne cordis arcem, jánua
Quâ se dat, hostis óccupet.

OMNES ad aram cérnuo
Vultu precémur súpplices:
Plorémus, atque víndicem
Flectámus iram Núminis.

TREMENDE Judex, nos premit
Immensa moles críminum:
Perímus; at clemens tui
Ad ora Christi réspice.

LAUDANDA semper Trínitas,
Nunc prædicanda plénius,
Per casta fac jejúnia,
Tibi fidéles mílitent.
Amen.

Antiphona, Psalmi, Versiculi, ut in Psalterio; Lectiones, & Responsoria, ut notantur pro quolibet die.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Antiphonæ & Psalmi, ut in Psalterio.*

Capitulum. Isa. 58. 1.

CLama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annúntia pópulo meo scélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum.

Hymnus.

VITAM perósi nóxiam,
Ad te, Deus, confúgimus:
Heu! nostra te suspíria,
Fusæque te tangant preces.

PECCAVIMUS : nos fútilis
Delúsit error séculi ;
Patremque te relíquimus
Nati rebelles óptimum.

AT nos amas, opus tuum :
Períre nec sines reos,
Qui te tuamque glóriam,
Habent salútis óbsidem.

OBSTRICTUS ergo queis gemo,
Disrumpe vincla ; tu potes :
Et me mihi jam dísparem
Fove potenti grátiâ.

CORDIS medullis nóxii
Labes latentes ínspice ;
Et quas scio, quas néscio,
Mundante dele déxterâ.

SIC, quot malis cor dísplicet,
Tibi litet tot flétibus :
Ultrixque sacro cháritas
Adúrat igne víctimam.

LAUDANDA semper Trínitas,
Nunc prædicanda plénius,
Per casta fac jejúnia,
Tibi fidéles mílitent.
Amen.

℣. Miserére meî, Deus, miserére meî ; ℟. Quóniam in te confídit ánima mea. *Ps.* 56. 2.

Ad Benedict. *Antiph. ut in qualibet Feria.*

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, & fiunt commemorationes ut in Psalterio, p. 148.

AD PRIMAM.

Ant. 7. b. Multiplicátæ sunt iniquitátes nostræ coram te, Dómine : peccáta nostra respondérunt nobis, quia scélera nostra nobíscum. *Isai.* 59. 12.

Capitulum. Isai. 33. 2.

DOmine, miserére nostrî ; te enim exspectávimus : esto bráchium nostrum in mane, & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℣. Qui venísti peccatóres salvos fácere. * Miserére nobis. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos ; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, ut in Psalterio. p. 150.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósyna magis quàm thesauros auri recóndere. *Tob.* 12. 8.

Capitulum. Judith. 4. 12.

SCitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manentes permanséritis in jejúniis & oratiónibus in conspectu Dómini.

℟. *br.* Génua mea infirmáta sunt * A jejúnio. *Repet.* Génua. ℣. Et caro mea immutáta est * A jejúnio. ℣. Glória. *Repet.* Génua.

℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam, ℟. Et orátio mea in sinu meo convertétur. *Ps.* 108. 24. *&* 34. 13.

Deinde dicuntur Preces flexis genibus ut in Psalterio, p. 154.

AD SEXTAM.

Ant. 3. b. Non delectáris, Dómine, in perditiónibus nostris, quia post tempestátem tranquillum facis. *Tob.* 3. 22.

Capitulum. Isai. 55. 7.

DErelinquat ímpius viam suam, & vir iníquus cogitatiónes suas: & revertátur ad Dóminum, & miserébitur ejus; & ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscendum.

℟. *br.* Miserére meî, Dómine, * Quóniam infirmus sum. *Repet.* Miserére. ℣. Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.* Quóniam. ℣. Glória Patri, & Fílio. *Rep.* Miserére.

℣. Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; ℟. Salvum me fac propter misericórdiam tuam. *Ps. 6. v.* 3. 5.

Preces ut in Psalterio, p. 154.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Eleemósyna resistit peccátis; & Deus prospector est ejus qui reddit grátiam. *Eccli.* 3. *v.* 33. 34.

Capitulum. Isai. 58. 7.

FRange esurienti panem tuum, & egénos vagosque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, óperi eum; & carnem tuam ne despéxeris.

℟. *br.* Beátus * Qui intélligit super egénum & páuperem. *Repet.* Beátus. ℣. In die mala liberábit eum Dóminus. * Qui intélligit. ℣. Glória. *Rep.* Beátus.

℣. Jucundus homo qui miserétur & cómmodat, ℟. Dispónet sermónes suos in judício. *Ps.* 40. 1. *&* 111. 5.

Preces ut in Psalterio, p. 154.

AD VESPERAS.

Antiph. & Psalmi de Psalterio.

Capitul. Ez. 33. *v.* 15. 16.

SI ímpius in mandátis vitæ ambuláverit, nec

fécerit quidquam injustum, vitâ vivet, & non moriétur; ómnia peccáta ejus, quæ peccávit, non imputabuntur ei.

Hymnus.

SOLEMNE nos jejúnii
Nunc tempus ad planctum vocat:
Plorat sacerdos; flébili
Clamóre templa pérsonant.

LUGUBRIS at frustrà sonus
Ad Numen irátum venit;
Ni corde pulsus íntimo,
Sensum dolóris índicet.

NIL fróntibus sparsus cinis,
Nil scissa vestis próderit;
Ni fracta scindantur simul
Vivo dolóre péctora.

VULTUM rigantes flétibus,
Flectámus iram Núminis,
Quæ críminis nostri memor,
Intentat ultríces minas.

O JUSTE judex! ô Deus!
Sis lentus ad pœnam, Pater:
Das pœnitendi témpora,
Et cor simul da pœnitens.

LAUDANDA semper Trínitas,
Nunc prædicanda pléniùs,
Per casta fac jejúnia
Tibi fidéles mílitent.
Amen.

℣. Exaudi oratiónem meam, Dómine; ℟. Auribus pércipe lácrymas meas. *Ps.* 38. 13.

Ad Magnificat, *Antiphona, ut infrà in quālibet Feria. Deinde dicuntur Preces flexis genibus, ut in Psalterio, p.* 147. *Item commemorationes communes.*

AD COMPLETOR.

Antiphona & Psalmi ut in Psalterio.

Hymnus.

SPLENDOR paterni lúminis,
Adsis, dies cùm déficit;
Et cùm quiescunt córpora,
Sis, Christe, lumen méntium.

DUM corpus escis témperat,
Potúque parco véscitur;
Fac tota mens jejúnio
Tibi litétur víctima.

JEJUNA membra cándido
Ornet decóre cástitas,
Ut pura puris sérviant
Semper tibi labóribus.

DA nos sacrátis ígnibus
Inflammet ardens cháritas:
Et per sopóris ótia
Vigil tibi cor éxcubet.

FRANGANTUR artes pérfidæ,
Hostis quibus nos ímpetit;

Et nos superno prótegat
Divína scuto véritas?

Laudanda semper Trínitas,
Nunc prædicanda plénius,
Per casta fac jejúnia
Tibi fidéles mílitent.
Amen.

Capitulum. Petr. 5. 8.

FRatres; Sóbrii estóte & vigiláte, quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret, cui resístite fortes in fide.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. *Rep.* In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. * Commendo. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. *Rep.* In manus tuas.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi, ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 4. *D.* Recogitábo tibi, Dómine, omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ. *Is.* 38. 15.

Deinde dicuntur Preces ut in Psalterio, p. 157.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus, miséricors Deus, ut quos per diem abstinéntia cibórum castígat, refóveat per noctem abundántior benedíctio tua; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitáte.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

LECTIO I. *cap.* 37. *v.* 3.

Joseph à fratribus venditus.

ISraël diligébat Joseph super omnes fílios suos, eò quòd in senectúte sua genuisset eum: fecitque ei túnicam polymitam. Accédit quoque ut visum sómnium referret frátribus suis: quæ causa majóris ódii seminárium fuit. Dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Síchimis: veni, mittam te ad eos. Qui cùm vidissent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere. Et mútuò loquebantur: Ecce somniátor venit. Et vidérunt Ismaëlítas viatóres veníre: & vendidérunt eum Ismaëlítis viginti argénteis. Tulérunt autem túnicam ejus, & in sánguine hœdi quem occíderant, tinxérunt, mittentes qui ferrent ad patrem, & dícerent: Hanc invénimus: vide utrùm túnica fílii tui sit, an non. Quam cùm agnovisset pater, ait:

Túnica filii mei est: fera péssima comédit eum; béstia devorávit Joseph. Madianítæ vendidérunt Joseph in Ægypto Putíphari Eunúcho Pharaónis, magistro mílitum.

℟. Dómine, magna judícia tua; * Quia non égimus secundùm præcepta tua, & non ambulávimus sincériter coram te. *Tob.* 3. 5. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus. 1. *Joan.* 1. 8. * Quia.

Lectio II. *Cap.* 39. 11.

Joseph missus in Carcerem.

Accidit autem quodam die, ut intráret Joseph domum, & óperis quídpiam absque árbitris fáceret; & dómina sua, apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, díceret. Dormi mecum. Qui, relícto in manu ejus pállio, fugit, & egressus est foràs. In argumentum ergo fidei retentum pállium múlier ostendit maríto reverténti domum, & ait: Ingressus est ad me servus Hebræus, quem adduxisti, ut illúderet mihi. His audítis dóminus, & nímium crédulus verbis cónjugis, irátus est valdè; tradidítque Joseph in cárcerem, ubi vincti regis custodiebantur; & erat ibi clausus. His ita gestis, áccidit ut peccárent duo eunúchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, dómino suo. Iratusque Phárao, misit eos in cárcerem príncipis mílitum, in quo erat vinctus & Joseph. Videruntque ambo sómnium nocte unâ juxta interpretatiónem cóngruam sibi. Exinde dies tértius natalítius Pharaónis erat; qui fáciens grande convívium púeris suis, recordátus est inter épulas magistri pincernárum, & pistórum príncipis: restituitque álterum in locum suum, ut porrígeret ei póculum; álterum suspendit in patíbulo, ut conjectóris véritas probarétur.

℟. Obsecro, Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te: * Peccávimus, Dómine, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus & declinávimus à mandátis tuis. *Dan.* 9. 4. 5. ℣. Júdicans, das, Dómine, locum in peccátis pœniténtiæ. *Sap.* 12. 19. * Peccávimus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *c.* 25. 11.

Ultimum judicium.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis:

Cùm vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, & omnes Angeli ejus cum eo; tunc sedébit super sedem majestátis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

De opera & eleemosynis.

QUid pótuit nobis majus Christus edícere? quómodo magis pótuit justítiæ ac misericórdiæ nostræ ópera provocáre, quàm quòd præstári dixit sibi, quidquid egenti præstétur & paúperi? ut qui respectu fratris in Ecclésia non movétur, vel Christi contemplatióne moveátur; & qui non cógitat in labóre atque in egestáte consérvum, vel Dóminum cógitet in ipso illo quem cónspicit destitútum. Et idcirco, fratres charíssimi, quibus metus in Deum pronus est, & spreto calcatóque jam mundo ad superna & divína ánimus erectus est; fide plenâ, mente devótâ, operatióne continuâ, promerendo Dómino obséquium præbeámus. Demus Christo vestimenta terréna, indumenta cœléstia receptúri: demus cibum & potum seculárem ad cõvívium cœleste ventúri. Ne parum metámus, plúrimùm seminémus. Securitáti ac salúti ætérnæ, dum tempus est, consulámus.

℟. Non quasi homo, sic Deus comminábitur; neque sicut fílius hóminis, ad iracúndiam inflammábitur: * Et ídeò † Humiliémus illi ánimas nostras. *Judit.* 8. *v.* 15. ℣. Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. *Jac.* 4. *v.* 6. * Et ídeò. ℣. Glória. † Humiliémus.

Ad Benedict. *Ant.* 8. G. Dicet rex his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedicti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi. *Matt.* 25. 34.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

COnverte nos, Deus salutáris noster: & ut nobis jejúnium Quadragesimále profíciat, mentes nostras cœléstibus ínstrue disciplínis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnitent.*

Can. 1.

SI quis dixerit in Cathólica Ecclésia Pœniténtiam non esse verè & próprie sacramentum pro fidélibus, quóties post baptísmum in peccáta la-

buntur, ipsis Deo reconciliandis, à Christo Dómino institútum; anathéma sit.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. c. Dicet rex his qui à sinistris ejus erunt: Discédite à me, maledícti, in ignem ætérnum; & ibunt hi in supplícium ætérnum, justi autem in vitam ætérnam. *Matt.* 25. v. 41. 46.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

ABsolve, quæsumus, Dómine, nostrórum víncula peccatórum; & quidquid pro eis merémur, propitiátus averte; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

LECTIO I. *Cap.* 41. 1.

Joseph interpretatur Pharaonis somnia.

POst duos annos vidit Phárao sómnium. Tunc demùm reminíscens pincernárum magister, ait: Confiteor peccátum meum. Irátus Rex servis suis, me, & magistrum pistórum retrúdi jussit in cárcerem príncipis mílitum. Erat ibi puer Hebræus, ejusdem ducis mílitum fámulus: cui narrantes sómnia, audívimus quidquid póstea rei probávit eventus. Prótinùs ad Regis impérium edúctum de cárcere Joseph totondérunt: ac veste mutátâ, obtulérunt ei. Narrávit ergo Phárao quod víderat. Respondit Joseph: Somnium Regis unum est: quæ factúrus est Deus, ostendit Pharaóni. Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertátis anni sunt: eamdemque vim sómnii comprehendunt. Septem quoque boves ténues atque macilentæ quæ ascendérunt post eas, & septem spicæ ténues & vento urente percussæ, septem anni ventúræ sunt famis. Nunc ergo provídeat Rex virum sapientem & indústrium, & præficiat eum terræ Ægypti: qui constítuat præpósitos per cunctas regiónes; & quintam partem frúctuum per septem annos fertilitátis, qui jam nunc futúri sunt, cóngreget in hórrea. Et præparétur futúræ septem annórum fami, quæ oppressúra est Ægyptum; & non consumétur terra inópiâ.

℟. Non rogávimus fáciem tuam, Dómine Deus noster; * Ut reverterémur ab iniquitátibus nostris, & cogitarémus veritátem tuam. *Dan.* 9. *v.* 13. ℣. Præcepta tua, Dómine, non audívimus, nec observávimus. *Dan.*

3. 30. * Ut reverterémur ab iniquitátibus.

LECTIO II. *v.* 37.

Joseph præficitur terræ Ægypti.

PLácuit Pharaóni consílium, & cunctis minístris ejus: locutúsque est ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantùm regni sólio te præcédam. Dixitque rursus Phárao ad Joseph: Ecce constítui te super universam terram Ægypti. Venitque fertílitas septem annórum: & in manípulos redáctæ ségetes congregátæ sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in singulis úrbibus cóndita est. Igitur transactis septem ubertátis annis, qui fúerant in Ægypto, cœpérunt veníre septem anni inópiæ, quos prædíxerat Joseph: & in universo orbe fames præváluit; in cuncta autem terra Ægypti panis erat. Quâ esuriente, clamávit pópulus ad Pharaónem, aliménta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph; & quidquid ipse vobis díxerit, fácite. Crescébat autem quotídie fames in omni terra: aperuítque Joseph universa hórrea, & vendébat Ægyptiis; nam & illos oppresserat fames. Omnesque provínciæ veniébant in Ægyptum, ut émerent escas, & malum inópiæ temperárent.

℟. Ne, quæsumus, Dómine, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum; * Neque áuferas misericórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3. *v.* 34. 35. ℣. Tu, quia pius es, miserére nostrî. *Judit.* 7. *v.* 21. * Neque.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECT. III. *Cap.* 21. *v.* 10.

Negotiatores de templo ejecti.

IN illo témpore: Cùm intrasset Jesus Jerosólymam, commóta est universa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Matth. Hom. 28.

VOs estis templum Dei vivi, & Spíritus sanctus hábitat in vobis. Non sit ígitur in domo

péctoris tui negotiátio illícita. Nihil boni quod fácimus, vel fácere póssumus adjuvante Dómino, appetítu jactántiæ faciámus, non terréni lucri concupiscéntiâ, non malárum cupiditáte rerum; ne ingrediátur Jesus irátus & rígidus, & non áliter emundet templum suum, nisi flagello adhíbito: id est, correctióne gravíssimâ: & de spelunca latrónum, id est, de habitáculo dæmonum per usum iníquæ cupiditátis; & de domo negotiatiónis, id est, de corde terréni lucri inhiante, suæ fáciat domum habitatiónis. Utámur ígitur, dilectíssimi, salubérrimi témporis venerabílibus institútis, & solertióri curâ nostras máculas tergámus. Quantúmlibet enim castè & sóbriè mortális hæc vita ducátur, quodam tamen púlvere terrénæ conversatiónis aspérgitur; & nitor méntium ad Dei imáginem conditárum, non ita à fumo totíus vanitátis est aliénus, ut nullâ possit sorde fuscári, & non semper indígeat expolíri.

℞. Dómine, nunc séquimur te, & quærimus fáciem tuam: * Ne confundas nos; sed fac nobiscum † Juxta mansuetúdinem tuam. *Dan.* 3. *v.* 41. 42. ℣. Clamantes & dicentes: Dómine, miserére nostrì. *Matt.* 9. *v.* 27. * Ne confundas. ℣. Glória. † Juxta.

Ad Benedictus. *Ant.* 8. G. Scriptum est Domus mea, domus oratiónis vocábitur. *Matt.* 21. 13.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

REspice, Dómine, famíliam tuam; & præsta, ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat; Per.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. Cap.* 1.

DOminus Sacraméntum Pœniténtiæ tum præcípuè instítuit, cùm à mórtuis excitátus insufflávit in discípulos suos, dicens: Accípite Spíritum sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt.

Ad Magnific. *Ant.* 1. a. Accessérunt ad Jesum cœci & claudi in templo, & sanávit eos. *Matt.* 21. 14.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

AScendant ad te, Dómine, preces nostræ; & ab Ecclésia tua cunctam repelle nequítiam; Per Dóminum.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

De libro Génesis.

LECTIO I. *Cap.* 42. 1.

Fratres Joseph descendunt in Ægyptum.

AUdiens Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Descéndite, & émite nobis necessária. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutū frumenta pópulis vendebantur. Cúmque adorassent eum fratres sui, & agnovisset eos, quasi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Undè venistis? Qui respondérunt: De terra Chánaan, ut emámus víctui necessária. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cógnitus ab eis. At illi: Duódecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri uníus in terra Chánaan: minimus cum patre nostro est, alter non est super. Hoc est, ait, quod locútus sum: Exploratóres estis. Si pacífici estis, frater vester unus ligétur in cárcere: vos autem abíte, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, & fratrem vestrum mínimum ad me addúcite, ut possim vestros probáre sermónes, & non moriámini. Fecérunt ut dixerat; venerúntque ad Jacob patrem suum in terram Chánaan, & narravérunt ei ómnia quæ accidissent sibi. His dictis, cùm frumenta effúnderent, sínguli reperérunt in ore saccórum ligátas pecúnias: exterritísque simul ómnibus, dixit pater Jacob: Absque líberis me esse fecistis: Joseph non est super, Símeon tenétur in vínculis, & Bénjamin auferétis: in me hæc ómnia mala recidérunt. Cui respondit Ruben: Duos filios meos intérfice, si non redúxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restítuam. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobíscum: frater ejus mórtuus est, & ipse solus remansit; si quid ei adversi accíderit in terra ad quam pérgitis, deducétis canos meos cum dolóre ad ínferos.

℟. Loquar in amaritúdine ánimæ meæ; * Dicam Deo: Noli me condemnáre. *Job.* 10. *v.* 1. 2. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15. *v.* 18. * Dicam.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

LEC. II. *Tract.* 17. *in Joan.*

QUadragenárius númerus sacrátus no-

bis in quadam perfectióne commendátur. Notum esse árbitror caritáti vestræ : testantur sæpíssimè divínæ Scriptúræ. Jejúnium hoc número consecrátum est : bene nostis. Nam & Móyses quadraginta diébus jejunávit, & Elías tótidem ; & ipse Dóminus noster & salvátor Jesus Christus hunc jejúnii númerum implévit. Per Móysen significátur lex; per Elíam significantur Prophétæ; per Dóminum significátur Evangélium. Ideò in illo monte tres apparuérunt, ubi se discípulis ostendit in claritáte vultûs & vestis suæ : appáruit enim médius inter Móysen & Elíam, tamquam Evangélium testimónium habéret à lege & Prophétis. Sive ergo in lege, sive in Prophétis, sive in Evangélio, quadragenárius númerus nobis in jejúnio commendátur. Jejúnium autem magnum & generále est, abstinére ab iniquitátibus & illícitis voluptátibus séculi, quod est perfectum jejúnium ; ut abnegantes impietátem & seculáres cupiditátes, temperanter, & justè, & piè vivámus in hoc século. Huic jejúnio quam mercédem addit Apóstolus ? Séquitur, & dicit : Expectantes illam beátam spem, & manifestatiónem glóriæ beáti Dei, & salvatóris nostri Jesu Christi. In hoc ergo século quasi quadragésimam abstinéntiæ celebrámus, cùm bene vívimus, cùm ab iniquitátibus & ab illícitis voluptátibus abstinémus. Sed quia hæc abstinéntia sine mercéde non erit, expectámus beátam illam spem, & revelatiónem glóriæ magni Dei, & Salvatóris nostri Jesu Christi.

℟. Averte, Dómine, fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele : * Cor mundum crea in me, Deus, & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50. *v.* 11. 12. ℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. 8. * Cor.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lect. III. *Cap.* 12. *v.* 38.

Signum petitum.

In illo témpore : Respondérunt Jesu quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes : Magister, vólumus à te signum vidére. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Matth. Hom. 44.

Poterit-ne quidquam, non dico ímpium magis, sed étiam stolídius istis inveníri, qui étiam

℟. Dómine, magna judícia tua; * Quia non égimus secundùm præcepta tua, & non ambulávimus sincériter coram te. *Tob.* 3. *v.* 5. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus. 1. *Joan.* 1. 8. * Quia.

LECTIO II. *Cap.* 45. 1.

Joseph se manifestat: patrem accersit.

NOn se póterat ultrà cohibére Joseph multis coràm astántibus; undè præcépit ut egrederentur cuncti foràs, & nullus interesset aliénus agnitióni mútuæ. Elevavitque vocem cum fletu; quam audiérunt Ægyptii, omnisque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis: Ego sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non póterant respondére fratres nímio terróre pertérriti. Ad quos ille clementer: Accédite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè: Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolíte pavére; neque vobis durum esse videátur, quòd vendidistis me in his regiónibus: pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Festináte, & ascéndite ad patrem meum; & dicétis ei: Hæc mandat fílius tuus Joseph: Deus me fecit dóminum universæ terræ Ægypti: descende ad me; ne moréris. Qui ascendentes ex Ægypto, venérunt in terram Chánaan ad patrem suum Jacob. Et nuntiavérunt ei dicentes: Joseph filius tuus vivit; & ipse dominátur in omni terra Ægypti. Quo audíto Jacob, quasi de gravi somno evígilans, tamen non credébat eis. Illi è contrà referébant omnem órdinem rei. Cúmque vidisset plaustra, & universa quæ míserat, revixit spíritus ejus, & ait: Súfficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, & vidébo illũ ántequàm móriar.

℟. Obsecro, Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te: * Peccávimus, Dómine, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus & declinávimus à mandátis tuis. *Dan.* 9. *v.* 4. 5. ℣. Júdicans, das, Dómine, locum in peccátis pœniténtiæ. *Sap.* 12. *v.* 19. * Peccávimus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO III. *Cap.* 15. 21.

Chananæa.

IN illo témpore; Egressus Jesus secessit in par-

tes Tyri & Sidónis : & ecce múlier Chananæa à fínibus suis egressa, clamávit dicens ei : Miserére meî, Dómine fili David ; filia mea malè à dæmónio vexátur. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Hom. 22. in Cap. Matt. 6.

NOs ipsi causa perditiónis nostræ exístimus ; non enim instanter ad Deum accédimus, non interpellámus assíduè, non rogámus quemádmodum pro tantâ est dignum causâ rogáre. Sed etsi eum adeámus, aliquandò ita hoc fácimus, quasi non desiderémus accípere, neque cum ea fide quâ cóngruit deprecantes ; sed oscitantes prorsùs, ac totâ mente torpentes, ea quæ vidémur postuláre, neglígimus .... Chananæam illam mulíerem magno certè dono implétam (Christus) remísit. In hac verò evidenter osténdit, quóniam Deus étiam illa quæ nobis paráta non sunt, dare possit, si vehementiùs postulentur. Non, inquit, est bonum tóllere panem filiórum, & dare cánibus ; & tamen dedit, quia illa vehementiùs exégit .... Accedámus ígitur ad eum, atque dicámus : Etiam, Dómine, & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominórum suórum. Accedámus, inquam, opportúnè & importúnè ; immò verò numquam contingit importúnè accédere. Importunum quippe est, si non assíduè eum adeámus ; eum enim qui cupit semper largíri, semper opportúnè orámus. Sicut enim respiráre, importúne omninò numquam est : ita étiam, non quidem pétere, sed non pétere pótiùs importúnum est. Sicut enim respiratióne hâc júgiter indigémus ; ita étiam, eo quod à Deo postulátur auxílio. Quod si voluérimus, fácilè illum ad nos potérimus infléctere.

℟. Non quasi homo, sic Deus comminábitur ; neque sicut fílius hóminis, ad iracúndiam inflammábitur : * Et ídeò † Humiliémus illi ánimas nostras. *Judit.* 8. *v.* 15. ℣. Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. *Jac.* 4. *v.* 6. * Et ídeò. ℣. Glória. † Humiliémus.

Ad Benedict. *Ant.* 3. à. Venit illa, & adorávit eum, dicens : Dómine, ádjuva me. *Matth.* 15. 25.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEvotiónem pópuli tui, quæsumus, Dómine, benignus intende; ut, qui per abstinéntiam macerantur in córpore, per fructum boni óperis reficiantur in mente; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 14. de Pœnit. Cap. 2.

AD novitátem & integritátem (in baptismo receptam,) per Sacramentum Pœniténtiæ sine magnis nostris flétibus & labóribus, divínâ id exigente justítiâ, perveníre nequáquam póssumus: ut méritò Pœniténtia laborióſus quidã baptiſmus à ſanctis pátribus dicta fúerit. Est autem hoc Sacramentum Pœniténtiæ lapſis post Baptiſmum ad salútem necessárium, ut nondum regenerátis ipſe baptiſmus.

Ad Magníſic. *Ant.* 7. *d.* Respondens Jeſus, ait: O múlier! magna est fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanáta est filia ejus ex illa hora. *Matt.* 15. 28.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, pópulis Christiánis, & quæ profitentur agnóſcere, & cœleste munus dilígere quod frequentant; Per Dóminum.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

De libro Généſis.

LECTIO I. *Cap.* 48. 1. & 49. 1.

Jacob benedicit filiis Joseph & ſuis, & moritur.

NUntiátum est Joseph quòd ægrotáret pater ſuus: qui aſſumptis duóbus fíliis Manaſſe & Ephraïm, ire perrexit. Dictumque est ſeni: Ecce filius tuus Joſeph venit ad te. Qui confortátus ſedit in léctulo. Videns autem fílios ejus, dixit ad eum: Qui ſunt isti? Respondit: Filii mei ſunt, quos donávit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedícam illis. Benedixitque eis in témpore illo, dicens: In te benedicétur Iſraël, atque dicétur: Fáciat tibi Deus ſicut Ephraïm, & ſicut Manaſſe. Constituitque Ephraïm ante Manaſſen. Vocávit autem Jacob fílios ſuos, & ait eis: Congregámini, ut annúntiem quæ ventúra ſunt vobis in diébus noviſſimis. Congregámini, & audite, filii Jacob, audite Iſraël patrem vestrum. Juda, te laudábunt fratres tui: manus tua in cervícibus inimicórum tuórum, adorábunt te filii patris tui. Non auferétur ſceptrum

de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mittendus est : & ipse erit expectátio Géntium. Salutáre tuum expectábo, Dómine. Finitísque mandátis quibus fílios instruébat, collégit pedes suos super léctulum, & óbiit : appositúsque est ad pópulum suum.

℟. Non rogávimus fáciem tuam, Dómine Deus noster; * Ut reverterémur ab iniquitátibus nostris, & cogitarémus veritátem tuam. *Dan.* 9. 13. ℣. Præcepta tua, Dómine, non audívimus nec observávimus. *Dan.* 3. 30. * Ut reverterémur.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 16. ad populum Antiochenum.

LECTIO II.

NOn hoc est expedivisse jejúnium, si tempus præteriérimus; sed si transegérimus cum rectè factis. Hoc supputémus, si studiosióres facti sumus, si defectum áliquem nostrum corréximus, si ablúimus crímina. Quod lucrum, si rectè factis carentes, jejúnium transegérimus ? Si álius dicat : Totam jejunávi Quadragésimam; tu dic : Inimícum habébam, & conciliátus sum : habébam detrahendi consuetúdinem, & déstiti : jurandi tenébar usu, & mos ímprobus mihi correctus est. Nulla mercatóribus utílitas, si magnam maris longitúdinem percúrrerint; sed si cum rerum cópia & multo mercimónio navigáverint. Nulla jejúnii nobis utílitas, si infructuósè ipsum tempus & témerè prætereámus. Si cibórum jejúnium jejunémus, prætéritis quadraginta diébus præterit & jejúnium; si verò peccátis abstineámus, transacto jejúnio illud rémanet, & contínuum erit : hinc nobis utílitas, & ante regnum cœlórum non parvas hìc reddet retributiónes.

℟. Ne, quæsumus, Dómine, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, * Neque áuferas misericórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3. 34. 35. ℣. Tu, quia pius es, miserére nostrî. *Judith.* 7. 21. * Neque áuferas misericórdiam.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 5. *v.* 1.

Probatica Piscina.

IN illo témpore : Erat dies festus Judæórum, & ascendit Jesus Jerosólymam : est autem Jerosólymis probática Piscína. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Hom. 5. in Joan. 35. & 37.

CUm vellet Deus appropinquantis baptísmatis fidem nos erudíre, non solùm morbos, sed peccáta per aquam éxpulit. Quod signíficans, dixit: Ecce sanus factus es; jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contingat. Quid hîc admonémur? Primùm quòd ex peccátis morbi generantur. Deindè quod verum est, apud gehennam máximum & perpétuum esse supplícium. Illud prætéreà considerandum, quòd si gravem priórum scélerum pœnam dédimus, deindè iisdem incidérimus, dábimus longè majórem, & méritò sanè. Qui enim supplício non fit mélior, tamquam stúpidus quidam & contemptor, graviórem sibi pœnam præparat. Quòd si post datas pœnas in éadem iterùm crímina prolapsi, gravióri pœnâ afficimur, quid his sperandum est, qui in ipso supplício in iisdē sceléribus pertináciter persevérant? Quòd si in peccátis persistendo nullam pœnam dedérimus, illud Apostólicum meminérimus: quòd benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit; secundùm autem durítiam tuam & impœnitens cor, thezaurísas tibi iram in die iræ.

℟. Dómine, nunc séquimur te, & quærimus fáciem tuam: * Ne confundas nos; sed fac nobíscum † Juxta mansuetúdinem tuam. *Dan. 3. 41. 42.* ℣. Clamantes & dicentes: Dómine, miserére nostrî. *Matt. 9. 27.* * Ne confundas. ℣. Glória Patri, & Fílio. † Juxta mansuetúdinem.

Ad Benedict. *Ant. 8. c.* Angelus Dómini descendébat secundùm tempus in Piscínam, & movebátur aqua; & qui prior descendisset, sanus fiébat à quacumque detinebátur infirmitáte. *Joan. 5. 4.*

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

ESto, Dómine, propítius plebi tuæ: & quam tibi facis esse devótam, benigno résove miserátus auxílio; Per.

C A N O N.

Ex Concílio Monspeliensi.

An. 1258. Cap. 2.

IN tonsurando cautélam hábeat ordinátor, ut talem ascribat milítiæ Clericáli, qui ex devotióne, non per fraudem ascríbi cúpiat órdini Clericáli, & qui non sit om-

nínò expers sciéntiæ Clericális.

Ad Magníf. *Ant.* 1. *D.* Statim sanus factus est homo ille; & sústulit grabátum suum, & ambulábat. *Joan.* 5. 9.

Orémus. *Oratio.*

EXaudi nos, miséricors Deus: & méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde; Per.

Preces flexis genibus.

SABBATO

QUATUOR TEMPORUM.

Incipit liber Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 1. 8.

Obstetrices Ægyptiæ.

SUrrexit intéreà rex novus super Ægyptum, qui ignorábat Joseph. Et ait ad pópulum suum: Ecce pópulus filiórum Israël multus, & fórtior nobis est. Venite, sapienter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur: & si ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis nostris; expugnatísque nobis, egrediátur de terra. Dixit autem rex Ægypti obstetrícibus Hebræórum; quarum una vocabátur Séphora, áltera Phua; præcípiens eis: Quando obstetricábitis Hebræas, & partûs tempus advénerit: si másculus fúerit, interfícite eum; si fémina, reservâte. Timuérunt autem obstetríces Deum, & non fecérunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservábant mares. Benè ergo fecit Deus obstetrícibus: & crevit pópulus, confortatúsque est nimìs. Et quia timuérunt obstetríces Deum, ædificávit eis domos. Præcépit ergo Phárao omni pópulo suo, dicens: Quidquid masculíni sexûs natum fúerit, in flumen projícite: quidquid feminíni, reservâte.

℟. Loquar in amaritúdine ánimæ meæ; * Dicam Deo: Noli me condemnáre. *Job.* 10. 1. 2. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15. 18. * Dicam.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECT. II. 4. *de Quadrag.*

DIlectíssimi, sanctos Quadragésimæ dies piâ devotióne suscípite, & ad promerendam misericórdiam Dei per ópera vos misericórdiæ præparáte. Iram extínguite, ódia depónite, unanimitátem dilígite: & sincéris vos humilitátis officiis ínvicem prævenite. Servis & his, qui vobis subjecti sunt, cum æquitáte dominámini. Cessent vindictæ, remittantur offensæ; sevéritas lenitáte, indignátio mansuetúdine, discórdia pace mutétur. Omnes nos modéstos,

omnes plácidos, omnes experiantur benignos, ut jejúnia nostra accepta sint Deo. Cui ita demùm sacrifícium veræ abstinéntiæ & veræ pietátis offérimus, si nos ab omni malítia contineámus. Cum inimícis autem crucis Christi nullâ consensióne jungámur, ne impiórum consórtio sánctitas fidélium polluátur; ut omni immundítiâ à penetrálibus cordis exclúsâ, sanctificétur jejúnium nostrũ.

℟. Averte, Dómine, fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele: * Cor mundum crea in me, Deus, & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50. 11. 12. ℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. 8. * Cor mundum.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lect. III. *Cap.* 17. *v.* 1.

Transfiguratio Domini.

IN illo témpore: Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus: & ducit illos in montem excelsum seorsùm. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

De Transfiguratione Domini.

SAlvátor humáni géneris Jesus Christus condens eam fidem, quæ & ímpios ad justitiam, & mórtuos révocat ad vitam; ad hoc discípulos suos doctrínæ mónitis, & óperum miráculis imbuébat, ut idem Christus & unigénitus Dei, & hóminis fílius crederétur. Nam unum horum sine áltero non próderat ad salútem; & æquális erat perículi Dóminum Jesum Christum, aut Deum tantúmmodò sine hómine, aut sine Deo solum hóminem credidisse; cùm utrumque esset páriter confitendum: quia sicut Deo vera humánitas, ita hómini ínerat vera divínitas. Ad confirmandam ergo hujusce fidei salubérrimam cognitiónem, interrogáverat discípulos suos Dóminus, inter divérsas aliórum opiniónes, quid ipsi de eo créderent, quidve sentírent: ubi Petrus Apóstolus, per revelatiónem summi Patris, corpórea súperans, & humána transcendens, vidit mentis óculis fídei fílium Dei vivi, & conféssus est glóriam Deitátis; quia non ad solam respexit substántiam carnis & sánguinis.

℟. Benedíctum nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui cùm irátus fúeris, misericórdiam fácies, & in témpore tribulatiónis

bulatiónis peccáta dimittis his qui ínvocant te : * Ad te, Dómine, fáciem meam converto ; † Ad te óculos meos dírigo. *Tob.* 3. 13. 14. ℣. Pater, peccávi in cœlum & coram te. *Luc.* 15. 21. * Ad te. ℣. Glória. † Ad te óculos.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsùm ; & transfigurátus est ante eos. *Matt.* 17. *v.* 1. 2.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

POpulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice ; atque ab eo flagella tuæ iracúndiæ clementer averte ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Aquensi.

an. 1585. *tit.* 15.

HOrtátur hæc synodus omnes qui ad Subdiaconátûs, Diaconátûs, aut Presbyterátûs órdines promovendi sunt, ut ántequam accédant, de peccátis ómnibus totíus anteactæ vitæ generáliter confiteantur, ac spirituáles áliquas exercitatiónes ab Epíscopo præscribendas óbeant, adhíbito sibi duce & moderatóre, viro religióso, quem Epíscopus præfécerit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Psalterio.

Capitulum. Hebr. 11. *v.* 24. 25. 26.

FIde Móyses grandis factus, negávit se esse filium filiæ Pharaónis : magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem ; majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum, impropérium Christi : aspiciébat enim in remunerationem.

℟. Deo grátias.

℟. Scrutémur vias nostras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum ; * Levémus corda nostra cum mánibus ad Dóminũ in cœlos. ℣. Nos iníquè égimus, & ad iracúndiam provocávimus. * Levémus. ℣. Glória. * Levémus. *Thren.* 3. 40. 42.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Erant Móyses & Elías visi in majestáte ; & dicébant excessum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. *Luc.* 9. *v.* 30. 31.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos inter mundi perícula, cœlestis beatitúdinis expectatióne sustentas : præsta, ut terréna despicientes, quæ sursùm sunt, perpétuò sapiámus ; Per.

DOMINICA II. Quadragesimæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium & Hymnus ut in Feriis Quadrages. Psalmi, Antiphona, & Versiculi ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 11.

Moyses profugus in Madian, uxorem ducit Sephoram.

IN diébus illis postquam créverat Móyses, egréssus est ad fratres suos: viditque afflictiónem eórum, & virum Ægyptium percutiéntem quemdam de Hebræis frátribus suis. Cúmque circumspexísset huc atque illuc, & nullum adesse vidísset, percússum Ægyptium abscondit sábulo. Et egréssus die áltero, conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei qui faciébat injúriam: Quare pércutis próximum tuum? Qui respondit: Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos? Num occídere me tu vis, sicut herì occidísti Ægyptium? Tímuit Móyses, & ait: Quómodò palam factum est verbum istud? Audivitque Phárao sermónem hunc, & quærébat occídere Móysen: qui fúgiens de conspéctu ejus, morátus est in terra Mádian, & sedit juxta púteum. Erant autem sacerdóti Mádian septem fíliæ, quæ venérunt ad hauriendam aquam: & implétis canálibus, adaquáre cupiébant greges patris sui. Supervenére pastóres, & ejecérunt eas: surrexítque Móyses, & defensis puellis, adaquávit oves eárum. Quæ cùm revertissent ad Ráguel patrem suum, dixit ad eas: Cur velóciùs venístis sólito? Respondérunt: Vir Ægyptius liberávit nos de manu pastórum: ínsuper & hausit aquam nobíscum, potumque dedit óvibus. At ille: Ubi est? inquit. Quare dimisístis hóminem? vocáte eum ut cómedat panem. Jurávit ergo Móyses quòd habitáret cum eo. Accepítque Séphoram fíliam ejus uxórem. Quæ péperit ei fílium, quem vocávit Gersam, dicens: Advena fui in terra aliéna. Alterum verò péperit, quem vocávit Eliézer, dicens: Deus enim patris mei, adjútor meus erípuit me de manu Pharaónis. Post multum verò témporis, mórtuus est rex Ægypti: & ingemiscentes fílii Israël, propter ópera vociferáti sunt: ascendítque clamor eórum ad Deum ab opéribus.

℟. *j*. Opera omnis carnis coram Deo, & non est quidquam abscónditum ab óculis ejus; * A século usque in séculum réspicit. *Eccli*. 39. 24. ℣. Omnia nuda & aperta sunt óculis ejus. *Hebr*. 4. 13. * A século.

LECTIO II. *Cap*. 3. 1.

Deus Moysi manifestatus.

Moyses autem pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cúmque minasset gregem ad interióra deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non combureretur. Dixit ergo Móyses: Vadam & vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respondit: Adsum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: solve calceamentum de pédibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Móyses fáciem suam: non enim audébat aspícere contra Deum.

℟. *ij*. Inclinet Dóminus corda nostra ad se, * Ut ambulémus in univérsis viis ejus, & custodiámus mandáta ejus. 3. *Reg*. 8. 58. ℣. Accedámus cum vero corde, in plenitúdine fidei. *Hebr*. 10. 22. * Ut.

LECTIO III. *v*. 7.

Deus revelat nomen suum Moysi, quem mittit ad Pharaonem.

Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præsunt opéribus. Sed veni, & mittam te ad Pharaónem: ut edúcas pópulum meum, filios Israël, de Ægypto. Dixítque Móyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaónem, & edúcam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habébis signum, quòd míserim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægypto, immolábis Deo super montem istum. Ait Móyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrórum misit me ad vos. Si díxerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móysen: Ego sum qui sum. Ait

Sic dices filiis Israël : Qui est, misit me ad vos. Vade, & cóngrega senióres Israël : & áudient vocem tuam. Ingredierisque tu, & senióres Israël, ad regem Ægypti; & dices ad eum : Dóminus Deus Hebræórum vocávit nos ; íbimus viam trium diérum in solitúdinem, ut immolémus Dómino Deo nostro. Sed ego scio quòd non dimittet vos rex Ægypti ut eátis, nisi per manum válidam. Extendam enim manum meam, & percútiam Ægyptum in cunctis mirabílibus meis, quæ factúrus sum in médio eórum ; post hæc dimittet vos.

℟. iij. In spíritu constitúti humiliáto, * Dicámus flentes Dómino, ut secundùm voluntátem suam † Sic fáciat nobiscum misericórdiam suam. *Judith.* 8. 16. ℣. Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est Deus & justus ut remittat. 1. *Joan.* 1. 9. * Dicámus. ℣. Glória. † Sic fáciat.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Móysis Prophétæ ad filios Israël.

LECTIO IV. *Deut. Cap.* 28. *v.* 1.

Bona per Moysen promissa.

SI audíeris vocem Dómini Dei tui, ut fácias atque custódias ómnia mandáta ejus, quæ ego præcípio tibi hódie; fáciet te Dóminus Deus tuus excelsiórem cunctis géntibus, quæ versantur in terra. Venientque super te univérsæ benedictiónes istæ, & apprehendent te : si tamen præcepta ejus audíeris. Benedíctus tu in civitáte, & benedíctus in agro. Benedíctus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructúsque jumentórum tuórum, greges armentórum tuórum, & caulæ óvium tuárum. Benedícta hórrea tua, & benedíctæ relíquiæ tuæ. Benedíctus eris tu ingrédiens & egrédiens. Dabit Dóminus inimícos tuos, qui consurgunt advérsum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam vénient contra te, & per septem fúgient à fácie tua.

℟. iv. Quia pátiens Dóminus est, * In hoc ipso pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In multis enim offéndimus omnes. *Jac.* 3. 2. * In hoc.

LECTIO V. *v.* 8.

Quâ conditione promissa bona advenient.

EMittet Dóminus benedictiónem super cel-

lária tua, & super ómnia ópera mánuum tuárum: benedicetque tibi in terra quam accéperis. Suscitábit te Dóminus sibi in pópulum sanctum, sicut jurávit tibi: si custodíeris mandáta Dómini Dei tui, & ambuláveris in viis ejus. Videbuntque omnes terrárum pópuli quòd nomen Dómini invocátum sit super te; & timébunt te. Abundáre te fáciet Dóminus ómnibus bonis, fructu úteri tui, & fructu jumentórum tuórum, fructu terræ tuæ, quam jurávit Dóminus pátribus tuis ut daret tibi. Apériet Dóminus thesáurum suum óptimum, cœlum, ut tríbuat plúviam terræ tuæ in témpore suo: benedicetque cunctis opéribus mánuum tuárum. Et fœnerábis géntibus multis, & ipse à nullo fœnus accípies. Constítuet te Dóminus in caput, & non in caudam; & eris semper suprà, & non subter: si tamen audíeris mandáta Dómini Dei tui, quæ ego præcípio tibi hódie, & custodíeris & féceris; ac non declináveris ab eis, nec ad déxteram, nec ad sinistram, nec secútus fúeris deos aliénos, neque colúeris eos.

℞. *v.* Si invéni grátiam in conspectu tuo, Dómine, * Obsecro ut gradiáris nobiscum, & áuferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas. *Exod.* 34. *v.* 9. ℣. Qui custódis misericórdiam in míllia. *Ibid.* *v.* 7. * Obsecro.

De libro Ecclesiástici.

Lectio VI. *Cap.* 45. *v.* 1.

Laudes Moysis.

Dilectus Deo & homínibus Móyses: cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum, & in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspectu regum, & jussit illi coram pópulo suo, & osténdit illi glóriam suam. In fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, & vocem ipsíus; & induxit illum in nubem. Et dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ & disciplínæ, docére Jacob testamentum suum, & judícia sua Israël. Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, & símilem sibi de tribu Levi. Státuit ei testamentum ætérnum, & dedit illi sacerdótium gentis: & beatificávit illum in glória. Et circumcin-

xit eum zonâ glóriæ, & induit eum stolam glóriæ, & coronávit eum in vasis virtútis.

℟. *vj.* Deus noster, ostende fáciem tuam super sanctuárium tuum: inclína, Deus meus, aurem tuam, & audi; * Aperi óculos tuos, † Et vide desolatiónem nostram. *Dan.* 9. 17. ℣. Dominátor, Dómine Deus, misericors & clemens. *Exod.* 34. 6. * Aperi. ℣. Glória. † Et vide.

IN III. NOCTURNO.

Sermo sancti Stéphani Proto-Mártyris, ad Judæos.

LECTIO VII. *Act. Cap.* 7. *v.* 20.

Moyses natus.

VIri fratres & patres, audíte. Natus est Móyses, & fuit gratus Deo, qui nutrítus est tribus ménsibus in domo pàtris sui. Expósito autem illo, sústulit eum filia Pharaónis, & nutrívit eum sibi in filium. Et erudítus est Móyses omni sapiéntiâ Ægyptiórum, & erat potens in verbis & in opéribus suis. Cùm autem implerétur ei quadraginta annórum tempus, ascendit in cor ejus, ut visitáret fratres suos filios Israël. Et cùm vidisset quemdam injúriam patientem, vindicávit illum: & fecit ultiónem ei qui injúriam sustinébat, percusso Ægyptio. Existimábat autem intellígere fratres, quóniam Deus per manum ipsíus daret salútem illis: at illi non intellexérunt. Sequenti verò die appáruit illis litigántibus, & reconciliábat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis; ut quid nocétis altérutrum? Qui autem injúriam faciébat próximo, répulit eum, dicens: Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos? Numquid interficere me tu vis, quemádmodum interfecisti heri Ægyptium? Fugit autem Móyses in verbo isto: & factus est ádvena in terra Mádian, ubi generávit filios duos.

℟. *vij.* Avertátur, Dómine, ira tua à nobis; * Exaudi preces nostras & oratiónes nostras. *Bar.* 2. 13. ℣. Adjuva nos, Dómine, misertus nostrî. *Marc.* 9. 21. * Exaudi preces.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO VIII. *Cap.* 11. *v.* 23.

Moysis virtus.

FIde Móyses, natus, occultátus est ménsibus tribus à paréntibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem; &

non timuérunt regis edictum. Fide Móyses, grandis factus, negávit se esse filium filiæ Pharaónis: magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum, impropérium Christi: aspiciébat enim in remunerationem. Fide relíquit Ægyptum, non véritus animositátem regis: invisíbilem enim tamquam videns sustínuit. Fide celebrávit Pascha, & sánguinis effusiónem: ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. Fide transiérunt mare rubrum tamquam per áridam terram: quod experti Ægyptii, devoráti sunt.

℟. *viij*. Tu, Deus, propítius, * Clemens & misericors, longánimis & multæ miseratiónis. 2. *Esdr*. 9. 17. ℣. Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus omnípotens. *Apoc*. 4. 8. * Clemens.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX.

Cap. 17. *v*. 1.

Transfiguratio Domini.

IN illo témpore; Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsùm; & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

De Transfigurat. Cap. 3.

APerit Dóminus coram electis téstibus glóriam suam, & commúnem illam cum céteris córporis formam tanto splendóre clarificat, ut & fácies ejus solis fulgóri símilis, & vestítus candóri nívium esset æquális. In qua transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus reveláta esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiâ spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum corpus Christi agnósceret quali esset commutatióne donandum; ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsisset. Confirmandis verò Apóstolis, & ad omnem sciéntiam provehendis, ália quoque in illo miráculo accessit instrúctio. Móyses enim & Elías, lex scilicet & Prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquentes; ut veríssimè in illa quinque

virórum præséntia compleréтur quod dictum est: In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid firmius verbo; in cujus prædicatióne véteris & novi testamenti cóncinit tuba, & cum evangélica doctrína, antiquárum protestatiónum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi ínvicem utriusque fœderis páginæ; & quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, manifestum atque perspícuum præsentis glóriæ splendor ostendit.

℟. *ix.* Non in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, Dómine, sed in miseratiónibus tuis multis: * Exaudi, placáre, ne moréris † Propter temetipsum, Deus meus. *Dan.* 9. 18. 19. ℣. Dómine, salva nos, perímus. *Matt.* 8. 25. * Exaudi. ℣. Glória. † Propter. *Rep.* Non in. Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam: ℟. Quia in te sperávi. *Psal.* 142. 8.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. D. Dómine, fac propter nomen tuum, quóniam multæ sunt aversiónes nostræ; tibi peccávimus. *Jerem.* 14. 7.

Ant. 6. F. Cognóvimus, Dómine, impietátes nostras, quia peccávimus tibi. *Ibid.* 20.

Ant. 3. g. Ne des nos in oppróbrium propter nomen tuum. *Ibid.* 21.

Ant. 4. E. Recordáre, ne írritum fácias fœdus tuum nobíscum: tu es Dóminus Deus noster. *Ibid. v.* 21. 22.

Ant. 5. a. Deus noster, peccávimus, iniquitátem fécimus: in omnem justítiam tuam, avertátur ira tua. *Dan.* 9. 15.

Capitul. Eccli. 17. 24.-26.

STa in sorte propositiónis & oratiónis altíssimi Dei. In partes vade séculi sancti, cum vivis & dántibus confessiónem Deo. Ne demoréris in erróre impiórum.

Hymnus & ℣. ut in Feriis Quadrag. p. 172.

Ad Benedictus. *Ant.* 2. D. Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsùm; & transfigurátus est ante eos. *Matt.* 17. 1.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos inter mundi perícula, cœlestis beatitúdinis expectatióne sustentas: præsta, ut terréna despicien-

tes, quæ sursùm sunt perpétuò sapiámus; Per.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Resplénduit fácies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. *Matth.* 17. 2.

CANON.

Ex Concilio Tridentíno. *Sess.* 6. *de Justif. Cap.* 6.

DIsponuntur (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitáti divínâ grátiâ & adjúti, fidem ex audítu concipientes, líberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divínitùs reveláta & promissa sunt.... Et dum peccatóres se esse intelligentes, à divínæ justitiæ timóre, quo utíliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericórdiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propítium fore, illumque tamquam omnis justítiæ fontem dilígere incípiunt.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Apparuérunt Móyses & Elías cum Jesu loquentes; & cùm discéderent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Dómine, bonum est nos hìc esse. *Matth.* 17. 3. 4.

Capitulum. Hebr. 3. 5. 6.

MOyses fidélis erat in tota domo tamquam fámulus, in testimonium eórum quæ dicenda erant: Christus verò tamquam filius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei, usque ad finem, firmam retineámus.

℟. *br.* Filii hóminum * In tégmine alárum tuárum sperábunt. *Rep.* Fílii. ℣. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ. * In tégmine. ℣. Glória. *Rep.* Fílii. *Ps.* 35. 8.

℣. Beátus quem elegisti & assumpsisti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè compláciui; ipsum audíte. *Matth.* 17. 5.

Capitulum. Jerem. 7. 23.

HÆc dicit Dóminus Deus: Audíte vocem meam, & ero vobis Deus, & vos éritis mihi pópulus; & ambuláte in omni via quam mandávi vobis, ut benè sit vobis.

℟. *br.* Audiam quid loquátur in me * Dóminus Deus. *Repet.* Audiam. ℣. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. * Dóminus. ℣. Glória. *Rep.* Audiam.

℣. Prope timentes eum, ℟. Salutáre ipsius. *Ps.* 84. 9. 10.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Audientes discípuli cecidérunt in fáciem suam, & timuérunt valdè; & accessit Jesus, & tétigit eos, dixitque eis: Súrgite, & nolíte timére. *Matt.* 17. 6. 7.

Capitulum. Exod. 20. 20.

NOlíte timére; ut enim probáret vos venit Deus, ut terror illíus esset in vobis, & non peccarétis.

℟. *br.* Excelsus Dóminus, * Et humília réspicit. *Rep.* Excelsus. ℣. Et alta à longè cognoscit. * Et. ℣. Glória. *Rep.* Excelsus. *Ps.* 137. 6.

℣. Suscípiens mansuétos Dóminus; ℟. Humílians autem peccatóres usque ad terram. *Ps.* 146. 6.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Deut. 18. 18.

PRophétam suscitábo eis de médio fratrum suórum, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos ómnia quæ præcépero illi.

Hymn. & ℣. ut in feriis Quadrag. pag. 175.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. G. Descendéntibus illis de monte, præcépit illis Jesus, ne cuiquam, quæ vidissent, narrárent; & verbum continuérunt apud se. *Marc.* 9. *v.* 8. 9.

Oratio ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 4. 10. 5. 1. & 7. 1.

Moyses & Aaron coram Pharaone.

AIt Móyses: Obsecro, Dómine, non sum éloquens ab heri & nudiustértius: & ex quo locútus es ad servum tuum, impeditióris & tardióris linguæ sum. Irátus Dóminus in Móysen, ait: Aaron frater tuus Levítes, scio quòd éloquens sit: ecce ipse egréditur in occursum tuum, vidensque te lætábitur corde. Post hæc ingressi sunt Móyses & Aaron, & dixérunt Pharaóni: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Dimitte pópulum meum, ut sacríficet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est Dóminus, ut áudiam vocem ejus, & dimittam Israël? Néscio Dóminum, & Israël non dimittam. Dixeruntque: Deus Hebræórum vocávit nos, ut eámus viam trium diérum in solitúdinem, & sacrificémus Dómino Deo nostro. Ait ad eos rex Ægypti: Quare, Móyses & Aaron, sollicitátis pópulum ab onéribus suis? Ite ad ónera vestra. Dixitque Dóminus ad Móysen: Ecce constitui

te Deum Pharaónis : & Aaron frater tuus erit prophéta tuus. Dixitque Dóminus ad Móysen & Aaron : Cùm díxerit vobis Phárao : Osténdite signa ; dices ad Aaron : Tolle virgam tuam ; & prójice eam coram Pharaóne, ac vertétur in cólubrum. Ingressi ítaque Móyses & Aaron ad Pharaónem, fecérunt sicut præcéperat Dóminus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaóne & servis ejus, quæ versa est in cólubrum. Vocávit autem Phárao sapientes & maléficos : & fecérunt étiam ipsi per incantatiónes Ægyptiácas & arcána quædam símiliter. Projeceruntque sínguli virgas suas, quæ versæ sunt in dracónes : sed devorávit virga Aaron virgas eórum. Induratumque est cor Pharaónis, & non audívit eos, sicut præcéperat Dóminus. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. Opera omnis carnis coram Deo, & non est quidquam abscónditum ab óculis ejus ; * A século usque in séculum réspicit. *Eccli.* 39. 24. ℣. Omnia nuda & aperta sunt óculis ejus. *Hebr.* 4. 13. * A século.

LECTIO II. *Cap.* 7. *v.* 14.

Aqua Nili in sanguinem versa, prima plaga.

DIxit autem Dóminus ad Móysen : Ingravátum est cor Pharaónis ; non vult dimíttere pópulum. Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super flúvios eórum, & rivos ac palúdes, & omnes lacus aquárum, ut vertantur in sánguinem : & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in lígneis vasis quàm in sáxeis. Feceruntque Móyses & Aaron sicut præcéperat Dóminus : & élevans virgam, percussit aquã flúminis coram Pharaóne & servis ejus, quæ versa est in sánguinem. Et pisces qui erant in flúmine, mórtui sunt ; computruitque flúvius, & non póterant Ægyptii bíbere aquam flúminis : & fuit sanguis in tota terra Ægypti. Feceruntque símiliter malefici Ægyptiórum incantatiónibus suis ; & indurátum est cor Pharaónis, nec audívit eos, sicut præcéperat Dóminus. Avertitque se, & ingressus est domum suam, nec appósuit cor étiam hâc vice. Fodérunt autem omnes Ægyptii per circúitum flúminis aquam

ut biberent : non enim póterant bíbere de aqua flúminis. Impletíque sunt septem dies, postquam percussit Dóminus flúvium.

℟. Inclínet Dóminus corda nostra ad se, * Ut ambulémus in univérsis viis ejus, & custodiámus mandáta ejus. 1. *Reg.* 8. 18. ℣. Accedámus cum vero corde, in plenitúdine fídei. *Hebr.* 10. 22. * Ut.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lect. III. *Cap.* 8. *v.* 21.

Judæorum impœnitentia.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórum: Ego vado & quærétis me, & in peccáto vestro moriémini. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. tract. 38.

TOta infelícitas Judæórum ipsa erat, non peccátum habére, sed in peccátis mori. Hoc est quod debet fúgere omnis Christiánus. Propter hoc ad Baptísmum cúrritur: propter hoc qui ægritúdine vel aliunde periclitantur, sibi desíderant subveníri: propter hoc, étiam sugens párvulus, à matre piis mánibus ad Ecclésiam fertur; ne sine baptísmo éxeat, & in peccáto quo natus est, moriátur. Infelicíssima condítio, mísera sors istórum qui de ore verídico audiérunt: In peccátis vestris moriémini. Unde tamen hoc eis contingat, expónit: Si enim non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccátis vestris. Credo, fratres, in illa multitúdine quæ Dóminum audiébat, & eos fuisse qui creditúri erant. Quasi autem in omnes processerat sevéríssima illa senténtia: In peccáto vestro moriémini; ac per hoc & illis qui creditúri erant spes erat abláta. Revocávit eos in spem; adjunxit enim: Si non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccátis vestris. Ergo, Si credidéritis quia ego sum, non moriémini in peccátis vestris. Réddita est spes desperántibus; excitátio facta est dormiéntibus: córdibus evigilavérunt; inde plúrimi credidérunt.

℟. In spíritu constitúti humiliáto, * Dicámus flentes Dómino, ut secundùm voluntátem suam † Sic fáciat nobiscum misericórdiam suam. *Judith.* 8. 16. ℣. Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est Deus & justus ut remittat. 1. *Joan.* 1. 9. * Dicámus. ℣. Glória. † Sic.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Dicébant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus: Princípium qui & loquor vobis. *Joan.* 8. 25.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut família tua, quæ, carnem affligendo, se ab aliméntis ábstinet; sectándo justítiam, à culpa jejúnet; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit.* *Can.* 4.

SI quis negáverit, ad íntegram & perféctam peccatórum remissiónem, requíri tres actus in pœniténte, quasi matériam Sacraménti Pœniténtiæ; vidélicet, Contritiónem, Confessiónem, & Satisfactiónem, quæ tres pœniténtiæ partes dicúntur; anathéma sit.

Ad Magníﬁc. *Ant.* 7. d. Non cognovérunt quia patrem ejus dicébat Deum. *Joan.* 8. 27.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

EXaudi, quæsumus, Dómine, gémitum pópuli supplicántis; & qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judícium, sed misericórdiam cónsequi mereámur; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 8. *v.* 1.

Secunda plaga, ranæ.

DIxit quoque Dóminus ad Móysen : Ingrédere ad Pharaónem, & dices ad eum : Hæc dicit Dóminus : Dimitte pópulum meum, ut sacríficet mihi : sin autem nolúeris dimíttere, ecce ego percútiam omnes términos tuos ranis. Et exténdit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascendérunt ranæ, operuerúntque terram Ægypti. Fecérunt autem & maléfici per incantatiónes suas simíliter, eduxerúntque ranas super terram Ægypti. Vocávit autem Pharao Móysen & Aaron, & dixit eis : Oráte Dóminum ut áuferat ranas à me & à pópulo meo : & dimíttam pópulum ut sacríficet Dómino. Egressíque sunt Móyses & Aaron à Pharaóne, & clamávit Móyses ad Dóminum pro sponsióne ranárum, quam condíxerat Pharaóni. Fecítque Dóminus juxta verbum Móysi : & mórtuæ sunt ranæ de dómibus, & de villis, & de agris. Congregaverúntque eas in immensos ággeres, & computruit

terra. Videns autem Phárao quòd data esset réquies, ingravávit cor suum, & non audívit eos.

℟. Quia pátiens Dóminus est, * In hoc ipso pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In multis enim offéndimus omnes. *Jac.* 3. 2. * In hoc.

LECTIO II. *v. 16.*

Tertia plaga, sciniphes: quarta, musca.

DIxitque Dóminus ad Móysen: Lóquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & pércute púlverem terræ: & sint scíniphes in universa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque púlverem terræ, & facti sunt scíniphes in homínibus & in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in scíniphes per totam terram Ægypti. Dixit quoque Dóminus ad Móysen: Consurge dilúculò, & sta coram Pharaóne: egrediétur enim ad aquas: & dices ad eum: Hæc dicit Dóminus: Dimitte pópulum meum ut sacríficet mihi. Quòd si non dimíseris eum, ecce ego immittam in te, & in servos tuos, & in pópulum tuum, & in domos tuas, omne genus muscárum: & implebuntur domus Ægyptiórum muscis diversi géneris, & universa terra in qua fúerint. Fecitque Dóminus ita. Et venit musca gravíssima in domos Pharaónis & servórum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptaque est terra ab hujuscémodi muscis. Vocavitque Phárao Móysen & Aaron, & ait eis: Ite & sacrificáte Deo vestro in terra hac. Et ait Móyses: Non potest ita fieri. Dixitque Phárao: Ego dimittam vos ut sacrificétis Dómino Deo vestro in deserto; verúmtamen lóngiùs ne abeátis: rogáte pro me. Egressúsque Móyses à Pharaóne, orávit Dóminum. Qui fecit juxta verbum illíus; & ábstulit muscas à Pharaóne, & à servis suis, & à pópulo ejus: non supérfuit ne una quidem. Et ingravátum est cor Pharaónis, ita ut ne hâc quidem vice dimítteret pópulum.

℟. Si invéni grátiam in conspectu tuo, Dómine, * Obsecro ut gradiáris nobiscum, & áuferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas. *Exod.* 34. 9. ℣. Qui custódis misericórdiam in

millia. *Ibid.* v. 7. * Obsecro.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECT. III. *Cap.* 23. *v.* 1.

Moysis cathedra.

IN illo témpore; Jesus locútus est ad turbas & ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque díxerint vobis, serváte & fácite; secundùm ópera verò eórum nolíte fácere. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

In Cap. 23. *Matth. lib.* 4.

QUid mansuétius, quid benígnius Dómino? Tentátur à Pharisæis, & nihilóminus propter sacerdótii & nóminis dignitátem hortátur pópulos ut subjiciantur eis; non ópera, sed doctrínam consíderantes. Alligant enim ónera grávia & importabília, & impónunt ea in húmeros hóminum; dígito autem suo nolunt ea movére. Hoc generáliter adversùs omnes magistros dictum est, qui grávia jubent, & minóra non fáciunt. Omnia verò ópera sua fáciunt, ut videantur ab homínibus. Quicumque ígitur ita facit quódlibet, ut videátur ab homínibus, Scriba est & Pharisæus. Væ nobis míseris, ad quos Pharisæórum vitia transiérunt.

℟. Deus noster, ostende fáciem tuam super sanctuárium tuum: inclína, Deus meus, aurem tuam, & audi; * Aperi óculos tuos: † Et vide desolatiónem nostram. *Dan.* 9. 17. ℣. Dominátor Dómine Deus, miséricors & clemens. *Exod.* 34. 6. * Aperi. ℣. Glória. † Et vide.

Ad Benedict. *Ant.* 8. G. Omnia ópera sua fáciunt ut videantur ab homínibus. *Matth.* 23. 5.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PErfice, quæsumus, Dómine, benignus in nobis observántiæ sanctæ subsídium: ut quæ te autóre facienda cognóvimus, te operante impleámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnit. Cap.* 4.

DEclárat sancta Synodus, Contritiónem, non solùm cessatiónem à peccáto, & vitæ novæ propósitum & inchoatiónem, sed véteris étiam ódium continére...... Docet prætérea, etsi Contritiónem hanc aliquandò charitáte perfectã esse contingat, hominemque Deo reconciliáre, priusquàm sacramentum actu suscipiátur; ipsam nihilóminùs reconciliatiónem ip-

si Contritióni, sine sacraménti voto, quod in illa inclúditur, non esse adscribendam.

Ad Magnífic. *Ant.* 8. c. Qui se exaltáverit, humiliábitur; & qui se humiliáverit, exaltábitur. *Matt.* 23. 12.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, & animárum nostrárum medére languóribus; ut, remissióne perceptâ, in tua semper benedictióne lætémur; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 9. *v.* 1.

Quinta plaga, pestis pecorum: Sexta, ulcera & vesica.

DIxit autem Dóminus ad Móysen: Ingrédere ad Pharaónem, & lóquere ad eum: Hæc dicit Dóminus Deus Hebræórum: Dimitte pópulum meum ut sacríficet mihi. Quòd si adhuc rénuis, & rétines eos: ecce manus mea erit super agros tuos; & super equos, & ásinos, & camélos, & boves, & oves, pestis valdè gravis. Et fáciet Dóminus mirábile inter possessiónes Israël, & possessiónes Ægyptiórum, ut nihil omninò péreat ex his quæ pértinent ad filios Israël. Constituítque Dóminus tempus, dicens: Cras fáciet Dóminus verbum istud in terra. Fecit ergo Dóminus verbum hoc álterâ die: mortuáque sunt ómnia animántia Ægyptiórum; de animálibus verò filiórum Israël, nihil omninò périit. Et misit Phárao ad videndum: nec erat quidquam mórtuum de his quæ possidébat Israël. Ingravatumque est cor Pharaónis, & non dimísit pópulum. Et dixit Dóminus ad Móysen & Aaron: Tóllite plenas manus cíneris de camíno, & spargat illum Móyses in cœlum coram Pharaóne. Sitque pulvis super omnem terram Ægypti: erunt enim in homínibus & jumentis úlcera, & vesícæ turgentes, in universa terra Ægypti. Tuleruntque cínerem de camíno, & stetérunt coram Pharaóne, & sparsit illum Móyses in cœlum; factaque sunt úlcera vesicárum turgéntium in homínibus & jumentis: nec póterant maléfici stare coram Móyse propter úlcera quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti. Induravitque Dóminus cor Pharaónis, & non audivit eos, sicut locútus est Dóminus ad Móysen.

℟. Avertátur, Dómine, ira tua à nobis: * Exaudi preces nostras & oratiónes nostras. *Bar.* 2. 13. ℣. Adjuva nos, Dómine, misértus nostrì. *Marc.* 9. 21. * Exaudi.

LECTIO II. *v.* 13.

Grando, plaga septima.

DIxitque Dóminus ad Móysen: Manè consurge, & sta coram Pharaóne, & dices ad eum: Hæc dicit Dóminus Deus Hebræórum: Dimitte pópulum meum ut sacrificet mihi. Adhuc rétines pópulum meum: & non vis dimíttere eum? En pluam cras hâc ipsâ horâ grándinem multam nimìs, qualis non fuit in Ægypto, à die quâ fundáta est, usque in præsens tempus. Qui tímuit verbum Dómini de servis Pharaónis, fecit confúgere servos suos & jumenta in domos: qui autem neglexit sermónem Dómini, dimísit servos suos & jumenta in agris. Et dixit Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super hómines, & super jumenta, & super omnem herbam agri in terra Ægypti. Extenditque Móyses virgam in cœlum, & Dóminus dedit tonitrua, & grándinem, ac discurréntia fulgura super terram: pluitque Dñs grándinem super terrã Ægypti. Et grando & ignis mixtà páriter ferebantur: tantæque fuit magnitúdinis, quanta antè numquam appáruit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa cóndita est. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuérunt in agris, ab hómine usque ad jumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regiónis confrégit. Tantùm in terra Gessen, ubi erant filii Israël, grando non cécidit.

℟. Tu, Deus, propítius, * Clemens & miséricors, longánimis & multæ miseratiónis. *Esdr.* 9. 17. ℣. Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus omnípotens. *Apoc.* 4. 8. * Clemens & miséricors.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECT. III. *Cap.* 20. *v.* 17.

Petitio filiorum Zebedæi.

IN illo témpore; Ascendens Jesus Jerosólymam, assumpsit duódecim discípulos secrétò, & ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, & Scribis; & condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalm. 126.

FIlii Zebedæi ántequam humiliarentur secundùm passiónem Dñi, jam sibi loca eligébant, ubi sedérent, unus ad déxteram, alter ad sinistram. Revocávit illos Dñs ad humilitátem, cùm hoc audíret, & ait illis: Potestis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum? Exaltári vultis ántequam humiliémini: Dóminus ipse vester qui est lux vestra, humiliátus est ut exaltarétur. Potestis bíbere, inquit, cálicem quem ego bibitúrus sum? Et illi, Póssumus. Et ille, Cálicem, inquit, meum bibétis; sedére autem ad déxteram vel ad sinistram meam, ait, non est meum dare vobis; áliis parátum est à Patre meo. Quid est, Non est meum dare vobis? Non est meum dare supérbis: hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accípere, nolíte esse quod estis. Aliis parátum est, & vos álii estóte, & vobis parátum est. Quid est; Alii estóte? Priùs humiliámini, qui jam vultis exaltári. Intellexérunt ergo humilitátem profutúram sibi, & correcti sunt. Ergo & nos hoc audiámus.

℟. Non in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, Dómine, sed in miseratiónibus tuis multis: * Exaudi, placáre, ne moréris † Propter temetipsum, Deus meus. *Dan.* 9. 18. 19. ℣. Dómine, salva nos, perímus. *Matt.* 8. 25. * Exaudi. ℣. Glória Patri, & Filio. † Propter.

Ad Benedict. *Ant.* 3. à. Fílius hóminis tradétur princípibus Sacerdótum, & Scribis; & condemnábunt eum morte. *Matth.* 20. 18.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

POpulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice: & quos ab escis carnálibus præcipis abstinére, à nóxiis quoque vítiis cessáre concéde; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnit. Cap.* 4.

COntritiónem imperféctam quæ Attrítio dícitur, quóniam vel ex turpitúdinis peccáti consideratióne, vel ex gehennæ & pœnárum metu commúniter concípitur, si voluntátem peccandi exclúdat, cum spe véniæ, declárat sancta Synodus, non solùm non fácere hóminem hypócritam & magis peccatórem, verùm

etiam donum Dei esse, & Spíritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjútus, viam sibi ad justítiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœniténtiæ per se ad justificatiónem perdúcere peccatórem nequeat; tamen eum ad Dei grátiam in Sacramento Pœniténtiæ impetrandam dispónit.

Ad Magnif. *Ant.* 1. f. Tradent eum géntibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tértiâ die resurget. *Matt.* 20. 19.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEus innocéntiæ restitútor & amátor, dirige ad te tuórum corda servórum: ut Spíritûs tui fervóre concepto, & in fide inveniantur stábiles, & in ópere efficáces. Per Dñm... in unitáte ejusdẽ.

FERIA QUINTA.

De libro Exodi.

Lect. I. *Cap.* 10. *v.* 12.

Plaga octava, locusta; nona, densæ tenebræ.

DIxit autem Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, & dévoret omnem herbam quæ resídua fúerit grándini. Et extendit Móyses virgam super terram Ægypti: & Dóminus induxit ventum urentem totâ die illâ & nocte; & mane facto, ventus urens levávit locustas. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes ómnia. Devoráta est ígitur herba terræ, & quidquid pomórum in arbóribus fuit, quæ grando dimíserat: nihilque omnínò virens relictum est in lignis & in herbis terræ, in cuncta Ægypto. Et indurávit Dóminus cor Pharaónis, nec dimísit filios Israël. Dixit autem Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam in cœlum: & sint ténebræ super terram Ægypti, tàm densæ, ut palpári queant. Extenditque Móyses manum in cœlum: & factæ sunt ténebræ horríbiles in universa terra Ægypti tribus diébus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat: ubicumque autem habitábant filii Israël, lux erat. Vocavitque Phárao Móysen & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificáte Dómino: oves tantùm vestræ & armenta remáneant; párvuli vestri eant vobiscum. Ait Móyses: Cuncti greges pergent nobiscum: non remanébit ex eis ún-

gula. Dixitque Phárao ad Móysen : Recéde à me, & cave ne ultrà vídeas fáciem meam : quocúmque die appárueris mihi, moriéris. Respóndit Móyses : Ita fiet ut locútus es; non vidébo ultrà fáciem tuam.

℟. Opera omnis carnis coram Deo, & non est quidquam abscónditum ab óculis ejus; * A século usque in séculum réspicit. *Eccli.* 39. 24. ℣. Omnia nuda & aperta sunt óculis ejus. *Hebr.* 4. 13. * A século.

LECTIO II. *Cap.* 12. *v.* 1.
Agnus Paschalis & Phase Domini.

Dixit quoque Dóminus ad Móysen & Aaron in terra Ægypti : Loquímini ad universum cœtum filiórum Israël, & dícite eis : Décimâ die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias & domos suas. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus : juxta quem ritum tollétis & hœdum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus : immolabítque eum universa multitúdo filiórum Israël ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem, & in superlimináribus domórum, in quibus comédent illum. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Sic autem comedétis illum : Renes vestros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus, & comedétis festinánter : est enim Phase (id est tránsitus) Dómini. Et transíbo per terram Ægypti nocte illâ, percutiámque omne primogénitum in terra Ægypti ab hómine usque ad pecus : & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia ego Dóminus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus éritis : & vidébo sánguinem, & transíbo vos; nec erit in vobis plaga dispérdens quando percússero terram Ægypti.

℟. Inclínet Dóminus corda nostra ad se, * Ut ambulémus in univérsis viis ejus, & custodiámus mandáta ejus. 1. *Reg.* 8. 18. ℣. Accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei. *Hebr.* 10. 22. * Ut.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECT. III. *Cap.* 16. *v.* 19.
Dives malus.

In illo témpore ; Ait Jesus Pharisæis : Homo quidam erat dives,

qui induebátur púrpurâ & bysso, & epulabátur quotídiè splendidè. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 40.

DIves iste non abstulisse aliéna repréhenditur, sed própria non dedisse. Nec dícitur quia vi quemquam oppressit, sed quia in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo summópere colligendum est quâ pœnâ mulctandus sit qui aliéna diripit, si inferni damnatióne percútitur, qui própria non largitur. Nemo ergo secúrum se æstimet, dicens: Ecce aliéna non rápio; sed concessis lícitè rebus fruor: quia dives iste non idcirco punítus est, quóniam aliéna ábstulit, sed quia acceptis rebus semetípsum male derelíquit. Hoc quoque fuit quod hunc in inferno trádidit: quia in sua felicitáte tímidus non fuit: quia accepta dona ad usum arrogántiæ inflexit: quia víscera pietátis ignorávit: quia peccáta sua redímere, étiam cùm sibi abundáret prétium, nóluit. Et sunt nonnulli qui cultum subtílium pretiosarumque véstium non putant esse peccátum. Quod si vidélicet culpa non esset, nequáquam sermo Dei tam vigilanter exprímeret, quòd dives qui torquétur apud ínferos, bysso & púrpurâ indútus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiósa, nisi ad inánem glóriam, quærit: vidélicet ut honorabílior céteris esse videátur. Nam quia pro sola ináni glória vestimentum pretiósius quæritur: res ipsa testátur, quòd nemo vult ibi pretiósis véstibus indui, ubi ab áliis non possit vidéri.

℟. In spíritu constitúti humiliáto, * Dicámus flentes Dómino, ut secundùm voluntátem suam † Sic fáciat nobiscum misericórdiam suam. *Judith.* 8. 16. ℣. Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est Deus & justus ut remittat. 1. *Joan.* 1. 9. * Dicámus. ℣. Glória. † Sic.

Ad Benedict. *Ant.* 4. a. Factum est ut moreréтur mendícus, & portaréтur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ: ut jejúniis & oratiónibus conveniénter intenti, liberémur ab hóstibus mentis & córporis; Per Dóminum nostrum.

CANON.
De Declaratióne Generáli Cleri Gallicáni.
An. 1700. *Tit.* 1.

DE dilectióne Dei sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœniténtiæ quæ est labor iósus baptismus, requisítâ, ne necessáriam doctrínam omittámus; hæc duo imprímis ex sacrosancta Synodo Tridentína monenda & docenda esse dúximus. Primum, ne quis putet in utróque Sacramento requíri ut præviam contritiónem eam quæ sit charitáte perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, ántequàm actu suscipiátur, hóminem Deo reconcíliet: álterum, ne quis putet in utróque Sacramento secúrum se esse, si præter fidei & spei actus, non íncipiat dilígere Deum tamquam omnis justítiæ fontem.

Ad Magníf. *Ant.* 8. *G.* Dixit díviti Abraham: Fili, recordáre quia recepisti bona in vita tua, & Lázarus símiliter mala: nunc autem hic consolátur, tu verò cruciáris. *Luc.* 16. 25.

Preces flexis genibus.
Orémus. *Oratio.*

ADesto, Dómine, fámulis tuis, & perpétuam benignitátem largíre poscéntibus: ut iis, qui te auctóre & gubernante gloriantur, & congregáta restaures, & restauráta conserves; Per.

FERIA SEXTA.
De libro Exodi.
LECTIO I. *Cap.* 12. 21.
Mors primogenitorum Ægypti, plaga ultima.

VOcávit autem Móyses omnes senióres filiórum Israël, & dixit ad eos: Ite tollentes ánimal per famílias vestras, & immoláte Phase. Fasciculumque hyssópi tíngite in sánguine, qui est in límine, & aspérgite ex eo superliminare, & utrumque postem: nullus vestrûm egrediátur óstium domûs suæ usque manè. Transíbit enim Dóminus, percútiens Ægyptios: cúmque víderit sánguinem in superliminári, & in utróque poste, transcendet óstium domûs, & non sinet percussórem íngredi domos vestras & lædere. Custódi verbum istud legítimum tibi, & fíliis tuis usque in æternum. Cúmque introiéritis terram quam Dóminus datúrus est vobis ut pollícitus est, observábitis ceremónias istas. Et cùm díxerint vobis fílii vestri: Quæ est ista relígio? dicétis eis: Víctima tránsitûs Dómini est, quando

transívit super domos filiórum Israël in Ægypto, percútiens Ægyptios, & domos nostras líberans. Incurvatúsque pópulus adorávit. Et egressi filii Israël fecérunt sicut præcéperat Dóminus Móysi & Aaron. Factum est autem in noctis médio : percussit Dóminus omne primogénitum in terra Ægypti, à primogénito Pharaónis, qui in sólio ejus sedébat, usque ad primogénitum captívæ, quæ erat in cárcere, & omne primogénitum jumentórum. Surrexítque Phárao nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus : & ortus est clamor magnus in Ægypto; neque enim erat domus, in qua non jacéret mórtuus.

℟. Quia pátiens Dóminus est, * In hoc ipso pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus. *Judith.* 8. 14. ℣. In multis enim offéndimus omnes. *Jac.* 3. 2. * In hoc.

Lectio II. *v.* 31.

Israëlitarum exitus.

Vocatísque Phárao Móyse & Aaron nocte, ait : Súrgite & egrédimini à pópulo meo, vos & filii Israël : ite, immoláte Dómino sicut dícitis. Oves vestras & armenta assúmite ut petierátis, & abeuntes benedícite mihi. Urgebántque Ægyptii pópulum de terra exíre velóciter, dicentes : Omnes moriémur. Tulit ígitur pópulus conspersam farínam ántequam fermentarétur : & ligans in pálliis, pósuit super húmeros suos. Fecerúntque filii Israël sicut præcéperat Móyses : & petiérunt ab Ægyptiis vasa argéntea, & áurea, vestemque plúrimam. Dóminus autem dedit grátiam pópulo coram Ægyptiis, ut commodárent eis : & spoliavérunt Ægyptios. Profectíque sunt filii Israël de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè míllia péditum virórum, absque párvulis. Sed & vulgus promíscuum innumerábile ascendit cum eis, oves & armenta, & animántia diversi géneris multa nimis. Nox ista est observábilis Dómini, quando eduxit eos de terra Ægypti : hanc observáre debent omnes filii Israël in generatiónibus suis.

℟. Si invéni grátiam in conspectu tuo, Dómine, * Obsecro ut gradiáris nobiscum, & áuferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas. *Exod.* 34. 9. ℣. Qui custódis misericórdiam in

millia. *Ibid. v.* 7. * Obsecro.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO III. *Cap.* 21. *v.* 33.

Agricola homicida.

IN illo témpore ; Dixit Jesus Princípibus Sacerdótum & Senióribus pópuli parábolam hanc: Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam, & locávit eam agrícolis. Cùm autem tempus frúctuum appropinquásset, misit ad eos fílium suum : & apprehensum eum occidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Matth. c. 21. *Hom.* 68.

MUlta ex hac parábola ænigmáticè denotávit. Nam & providéntiam Dei, à priscis tempóribus illis, semper mirificè affuisse ostendit ; & nihil ab eo, quod ad salutem eórum pertinéret, derelictum demonstrat : filium quoque suum eis misisse designat ; & última supplicia crucis ac passiónis datúros præmonet. Illi autem nec timóre multitúdinis omninò castigabantur, nec à dictis ipsius juvabantur : ita pénitùs eos dominandi cupíditas, & inánis glóriæ, & præséntium rerum cupído invaserat. Nihil certè ita præcipitem agit hóminem, nihil sic à futúris déjicit bonis, quemádmodum si quis cadúcis his rebus ánimum affigit. Nec quidquam áliud ádeo & præséntibus jucundè uti, & futúris pérfrui facit, quàm si illa istis prorsùs antepósueris. Cujus rei vosipsos ándeo testes citáre, qui in perículis nonnumquam vestris, ne in calamitátes & ærumnas incidátis, mortem optátis ; & illos qui in móntibus & spelúncis degunt, qui cœlibem vitam, & minimè negotiósam vivunt, beátos verè ex ánimo appellátis. Nam si saltatrícis alicújus amóribus captus quíspiam fúerit, omni militiâ dúrius, omni peregrinatióne moléstius tormentum certè sustinébit, omníque obsessâ civitáte miserióres péraget dies ; & tanto intervallo à jucundíssimâ Monachórum vitâ distáre inveniémus, quantum inter tranquillíssimum interest portum, & mare tempestuósum.

℟. Deus noster, ostende fáciem tuam super sanctuáriū tuum : inclina, Deus meus, aurem tuam, & audi ; * Aperi óculos tuos, † Et vide desolatiónem nostram. *Dan.* 9. 17. ℣. Dominátor Dómine Deus, miséricors

&

& clemens. *Exod.* 34. 6. * Aperi. ℣. Glória. † Et vide.

Ad Benedict. *Ant.* 6. F. Malos malè perdet, & víneam suam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus suis. *Matt.* 21. 40.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus; ut sacro nos purificante jejúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias perveníre; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnitent.*

Can. 6.

SI quis negáverit Confessiónem sacramentálem vel institútam, vel ad salútem necessáriam esse jure divíno; aut díxerit modum secrétè confitendi soli Sacerdóti, quem Ecclésia Cathólica ab inítio semper observávit, & observat, aliénum esse ab institutióne & mandáto Christi, & inventum esse humánum; anathéma sit.

Ad Magníf. *Ant.* 3. c. Quærentes Príncipes Sacerdótum & Pharisæi Jesum tenére, timuérunt turbas; quóniam sicut Prophétam eum habébant. *Matth.* 21. 46.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis & córporis: ut bonis opéribus inhærendo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne defendi; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SABBATO.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 13. 1.

Primogenitorum consecratio.

LOcutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in fíliis Israël, tam de homínibus, quàm de juméntis: mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum: Mementóte diéi hujus in qua egressi estis de Ægypto, & de domo servitútis, quóniam in manu forti edúxit vos Dóminus de loco isto: ut non comedátis fermentátum panem. Cumque introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut jurávit tibi & pátribus tuis, & déderit tibi eam: separábis omne quod áperit vulvam Dómino, & quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris másculini sexûs, consecrábis

Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove : quod si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes. Cumque interrogáverit te fílius tuus cras, dicens : Quid est hoc? Respondébis ei : In manu forti eduxit nos Dóminus de terra Ægypti, de domo servitútis. Nam cùm indurátus esset Phárao, & nollet nos dimíttere, occídit Dóminus omne primogénitum in terra Ægypti, à primogénito hóminis usque ad primogénitum jumentórum : idcircò ímmolo Dómino omne quod áperit vulvam masculíni sexûs, & ómnia primogénita filiórum meórum rédimo. Erit ígitur quasi signum in manu tua & quasi appensum quid, ob recordatiónem, inter óculos tuos : eò quòd in manu forti eduxit nos Dóminus de Ægypto. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. Avertátur, Dómine, ira tua à nobis; * Exaudi preces nostras & oratiónes nostras. *Bar.* 2. 13. ℣. Adjuva nos, Dómine, misertus nostrî. *Marc.* 9. 21. * Exaudi.

LECTIO II. *v.* 17.

Iter Israëlitarum: columna nubis & ignis.

IGitur cùm emisisset Phárao pópulum, non eos duxit Deus per viam terræ Philísthiim, quæ vicína est : réputans ne fortè pœnitéret eum, si vidisset adversùm se bella consúrgere, & reverterétur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam desérti, quæ est juxta mare rubrum : & armáti ascendérunt filii Israël de terra Ægypti. Tulit quoque Móyses ossa Joseph secum : eò quòd adjurasset filios Israël, dicens : Visitábit vos Deus; efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectíque de Socoth, castrametáti sunt in Etham in extrémis fínibus solitúdinis. Dóminus autem præcedébat eos ad ostendendam viam per diē in columna nubis, & per noctem in columna ignis; ut dux esset itíneris utróque tempore. Numquam défuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram pópulo.

℟. Tu, Deus, propítius, * Clemens & miséricors, longánimis & multæ miseratiónis. *Esdr.* 9. 17. ℣. Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus omnípotens. *Apoc.* 4. 8. * Clemens.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lect. III. *Cap.* 15. *v.* 11.

Filius prodigus.

IN illo témpore ; Ait Jesus ad Pharisæos & Scribas : Homo quidam hábuit duos filios ; & dixit adolescéntior ex illis patri : Pater, da mihi portiónem substántiæ quæ me contingit. Et divísit illis substántiam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. Comment. in Lucam.

QUi se à Christo séparat, exul est pátriæ, civis est mundi. Bene autem in se revértitur, qui à se recessit. Etenim qui ad Dóminum regréditur, se sibi reddit ; & qui recédit à Christo, se sibi ábdicat. Jam redeámus ad patrem, ne nos ei reconciliatiónis faciémus moram, quam non fecit pater. Fácilè reconciliátur, quando impensè rogátur. Sed etsi novit Deus ómnia, vocem tamen tuæ confessiónis expectat. Confitére magis, ut roget pro te Ecclésia, & illácrymet pópulus. Exurge ergo, curre ad Ecclésiam ; hìc est Pater, hìc est Fílius, hìc est Spíritus sanctus. Occurrit tibi, quia audit te intra mentis secréta tractantem. Et cùm adhuc longè sis, videt & accurrit, ne quis impédiat. Compléctitur quoque ; supra collum cadit, ut jacentem érigat, & onerátum peccátis atque in terréna deflexum, reflectat ad cœlum, in quo suum quærat autórem. Qui lapsus fúerit, per pœniténtiã revivíscit.

℟. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei : Pater, peccávi in cœlum, & coram te : * Jam non sum dignus vocári filius tuus ; † Fac me sicut unum de mercenáriis tuis. *Luc.* 15. 18. 19. ℣. Deus meus, confundor, & erubesco leváre fáciem meam ad te. 1. *Esdr.* 9. 6. * Jam. ℣. Glória Patri. † Fac.

Ad Benedict. *Ant.* 3. b. Pater, peccávi in cœlum, & coram te : jam non sum dignus vocári filius tuus ; fac me sicut unum de mercenáriis tuis. *Luc.* 15. *v.* 18. 19.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, nostris effectum jejúniis salutárem ; ut castigátio carnis assumpta, ad nostrárum vegetatiónem tránseat animárum ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnit. Can.* 7.

SI quis dixerit, in Sacramento Pœniténtiæ

ad remissiónem peccatórum necessárium non esse jure divíno confitéri ómnia & síngula peccáta mortália, quorum memória, cum débita & diligenti præmeditatióne, habeátur, étiam occulta, & quæ sunt contra duo última Decálogi præcepta, & circumstántias quæ peccáti spéciem mutant.... anathéma sit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Psalterio.

Capitul. Tob. 13. v. 8. 9.

Convertímini, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, credentes, quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam. Ego autem & ánima mea in Dómino lætábimur.

℟. Scrutémur vias nostras, & quærámus; & revertámur ad Dóminum: * Levémus corda nostra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Nos iníquè égimus, & ad iracúndiam provocávimus. * Levémus. ℣. Glória. * Levémus corda. *Thren.* 3. 40-42.

Hymnus & Versiculus, ut suprà, p. 157.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Omnis disciplína in præsenti vidétur non esse gáudii, sed mœróris: posteà autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, reddet justítiæ. *Hebr.* 12. 11.

Orémus. *Oratio.*

Quæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice; atque ad defensiónem nostram, déxteram tuæ majestátis extende; Per Dóminum.

DOMINICA III. Quadragesimæ.

AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 14. *v.* 1.

Pharao Israëlitas persequitur.

Locútus est autem Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël: Reversi castrametentur è regióne Phihahíroth, quæ est inter Mágdalum & mare contra Beélsephon: in conspectu ejus castra ponétis super mare. Dictúrusque est Phárao super fíliis Israël: Coarctáti sunt in terra; conclúsit eos desertum. Et indurábo cor ejus, ac persequétur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exércitu ejus; sciéntque Ægyptii quia ego sum Dóminus. Feceruntque ita. Et nuntiátum est regi Ægyptiórum quòd fugisset pópulus: immutatúmque est cor Pharaónis & servórum ejus super pópulo, & dixérunt: Quid volúi-

mus fácere ut dimitterémus Israël, ne servíret nobis? Junxit ergo currum, & ómnem pópulum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto cúrruum fuit: & duces totíus exércitûs. Induravitque Dóminus cor Pharaónis regis Ægypti, & persecútus est filios Israël: at illi egressi erant in manu excelsa. Cumque persequerentur Ægyptii vestígia præcedéntium, reperérunt eos in castris super mare: omnis equitátus, & currus Pharaónis, & universus exércitus erant in Phihahíroth contra Beélsephon.

℟. j. Pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta, * Et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. *Eccli.* 2. 13. ℣. Omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. I. *Tim.* 2. 4. * Et.

LECTIO II. *v.* 10.

Transitus maris rubri.

CUmque appropinquasset Phárao, levantes filii Israël óculos, vidérunt Ægyptios post se: & timuérunt valdè, clamaveruntque ad Dóminum, & dixérunt ad Móysen: Fórsitan non erant sepulchra in Ægypto; ídeò tulisti nos ut morerémur in solitúdine: quid hoc fácere voluisti, ut edúceres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebámur ad te in Ægypto, dicentes: Recéde à nobis, ut serviámus Ægyptiis? multò enim mélius erat servíre eis, quàm mori in solitúdine. Et ait Móyses ad pópulum: Nolíte timére: state, & vidéte magnália Dómini, quæ factúrus est hódie. Ægyptios enim quos nunc vidétis, nequáquàm ultrà vidébitis usque in sempiternum. Dóminus pugnábit pro vobis, & vos tacébitis. Dixitque Dóminus ad Móysen: Quid clamas ad me? Lóquere filiis Israël ut proficiscantur. Tu autem éleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & dívide illud: ut gradiantur filii Israël in médio mari per siccum. Ego autem indurábo cor Ægyptiórum ut persequantur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exércitu ejus, & in cúrribus & in equítibus illíus. Et scient Ægyptii quia ego sum Dóminus, cùm glorificátus fúero in Pharaóne, & in cúrribus atque in equítibus ejus. Tollensque se An-

gelus Deì, qui præcedébat castra Israël, ábiit post eos; & cum eo páriter columna nubis, prióra dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiórum & castra Israël: & erat nubes tenebrósa, & illúminans noctem, ita ut ad se ínvicem toto noctis témpore accédere non valérent. Cumque extendisset Móyses manum super mare, ábstulit illud Dóminus, flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in siccum: divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israël per médium sicci maris; erat enim aqua quasi murus à dextrâ eórum & lævâ.

℟. *ij.* Annos æternos in mente hábui; * Dixi: Nunc cœpi; hæc mutátio déxteræ Excelsi. *Ps.* 76. 6. 11. ℣. Mundus transit, & concupiscéntia ejus. 1. *Joan.* 2. *v.* 17. * Dixi.

LECTIO III. *v.* 23.

Submersio Pharaonis.

PErsequentesque Ægyptii, ingressi sunt post eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites, per médium maris. Jamque advénerat vigília matutína, & ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per columnam ignis & nubis, interfécit exércitum eórum; & subvertit rotas cúrruum, ferebanturque in profundum. Dixérunt ergo Ægyptii: Fugiámus Israélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & équites eórum. Cumque extendisset Móyses manum contra mare, reversum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & involvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui sequentes ingressi fúerant mare: nec unus quidem supérfuit ex eis. Filii autem Israël perrexérunt per médium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris: liberavitque Dóminus in die illa Israël de manu Ægyptiórum. Et vidérunt Ægyptios mórtuos super littus maris, & manum magnam quam exercúerat Dóminus contra eos: timuitque pópulus Dóminum, & credidérunt Dómino, & Móysi servo ejus.

℟. *iij.* Quis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? * Et

plorábo † Die ac nocte. *Jer.* 9. 1. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15. 18. * Et plorábo. ℣. Glória. † Die.

IN II. NOCTURNO.

De libro Sapiéntiæ.

LECT. IV. *Cap.* 10. *v.* 15.

Sapientia populum Israël eduxit ex Ægypto.

SApiéntia pópulum justum, & semen sine queréla, liberávit à natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum, & deduxit illos in via mirábili: & fuit illis in velamento diéi, & in luce stellárum per noctem. Tránstulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demersit in mare, & ab altitúdine inferórum eduxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, & decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter: quóniam sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit disertas.

℟. *iv.* Dómine, ante te omne desidérium meũ, & gémitus meus à te non est abscónditus: * Cor meum conturbátum est; derelíquit me virtus mea. *Psam.* 37. *v.* 10. 11. ℣. Quanti mercenárii in domo patris mei abundant pánibus! ego autem hîc fame péreo. *Luc.* 15. 17. * Cor meum.

LECTIO V. *Cap.* 17. 1. & 18. 1.

Impiis tenebræ, justis lux reservata.

MAgna sunt enim judícia tua, Dómine, & inenarrabília verba tua: propter hoc indisciplinátæ ánimæ erravérunt. Dum enim persuásum habent iníqui posse dominári natióni sanctæ; vínculis tenebrárum & longæ noctis compedíti, inclúsi sub tectis, fugitívi perpétuæ providéntiæ jacuérunt. Omnis enim orbis terrárum límpido illuminabátur lúmine, & non impedítis opéribus continebátur. Solis autem illis superpósita erat gravis nox, imágo tenebrárum, quæ superventúra illis erat. Ipsi ergo sibi erant gravióres ténebris. Sanctis autem tuis máxima erat lux, & horum quidem vocem audiébant, sed figúram non vidébant. Et quia non & ipsi éadem passi erant, magnificábant te. Et qui antè læsi erant, quia non lædebantur, grátias agé-

bant: & ut esset differéntia, donum petébant. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuérunt ignótæ viæ, & solem sine læsúra boni hospítii præstitisti.

℟. ✠. Iniquitátem meam ego cognosco, & peccátum meum contra me est semper; * Tibi soli peccávi, Dómine, & malum coram te feci. *Ps.* 50. 5. 6. ℣. Pater, jam non sum dignus vocári filius tuus. *Luc.* 15. 19. * Tibi soli peccávi.

LECTIO VI. *Cap.* 19. 1.

Ultio non sinit impios vivere.

IMpiis autem usque in novíssimum sine misericórdia ira supervénit. Præsciébat enim & futúra illórum: quóniam cùm ipsi permisissent ut se edúcerent, & cum magna sollicitúdine præmisissent illos, consequebantur illos pœniténtiâ acti. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuórum, áliam sibi assumpsérunt cogitatiónem insciéntiæ: & quos rogantes projécerant, hos tamquam fugitívos persequebantur. Ducébat enim illos ad hunc finem digna necéssitas: & horum, quæ acciderant, commemoratiónem amittébant, ut quæ déerant torméntis, repléret punítio; & pópulus quidem tuus mirabíliter transíret, illi autem novam mortem invenírent. Omnis enim creatúra ad suum genus ab inítio refigurabátur, desérviens tuis præceptis, ut púeri tui custodiréntur illæsi. Nam nubes castra eórum obumbrábat, & ex aqua, quæ antè erat, terra árida appáruit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus gérminans de profundo nímio: per quem omnis nátio transívit, quæ tegebátur tuâ manu, videntes tua mirabília & monstra. Tamquam enim equi depavérunt escam, & tamquam agni exultavérunt, magnificantes te, Dómine, qui liberasti illos. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. vj. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam; * Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, † Et à peccáto meo munda me. *Ps.* 50. ✠. 3. 4. ℣. Dómine, si vis, potes me mundáre. *Luc.* 5. 12. * Ampliùs lava me. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto. † Et à peccáto meo munda me.

IN III. NOCTURNO.
Sermo sancti Stéphani Proto-Mártyris ad Judæos.
Lectio VII. *Act.* *Cap.* 7. *v.* 30.
Mirabilia per Moysen patrata.

EXplétis annis quadraginta, appáruit Móysi in desérto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi. Móyses autem videns, admirátus est visum; & accedente illo, ut consideráret, facta est ad eum vox Dómini, dicens: Ego sum Deus patrum tuórum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Tremefactus autem Móyses, non audébat considerare. Dixit autem illi Dóminus: Solve calceamentum pedum tuórum; locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, qui est in Ægypto, & gémitum eórum audívi, & descendi liberáre eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum. Hunc Móysen, quem negavérunt, dicentes: Quis te constítuit príncipem & júdicem? hunc Deus príncipem & redemptórem misit, cum manu Angeli, qui appáruit illi in rubo. Hic eduxit illos, fáciens prodígia & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

℟. vij. Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea. *Psal.* 6. 3. ℣. Dómine, ecce quem amas, infirmátur. *Joan.* 11. 3. * Sana.

Lectio VIII. *v.* 37.
Israëlitæ in Moysen rebelles.

HIc est Móyses qui dixit filiis Israël: Prophétam suscitábit vobis Deus de frátribus vestris, tamquam me; ipsum audiétis. Hic est, qui fuit in Ecclésia in solitúdine cum Angelo, qui loquebátur ei in monte Sina, & cum pátribus nostris: qui accépit verba vitæ dare nobis: cui noluérunt obedíre patres nostri; sed repulérunt, & aversi sunt córdibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcédant nos: Móyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescímus quid factum sit ei. Et vítulum fecérunt in diébus illis, & obtulérunt hóstiam simulácro, & lætabantur in opéribus mánuum suárum. Convertit autem Deus, & trádidit eos servíre milítiæ cœli, sicut scriptum est in

libro Prophetárum: Numquid víctimas & hóstias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël? Et suscepistis tabernáculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figúras quas fecistis, adoráre eas. Et tránsferam vos trans Babylónem.

℟. *viij.* Inclína aurem tuam, Dómine, & exaudi nos; * Pétimus misericórdiam tuam ante conspectum tuum, Dómine. *Bar.* 2. *v.* 16. 19. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile; ecce nunc dies salútis. 2. *Cor.* 6. 2. * Pétimus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 11. *v.* 14.

Dæmonium ejectum.

IN illo témpore; Erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Luc. lib. 4. *Cap.* 48.

DÆmoníacus iste apud Matthæum non solùm mutus, sed & cæcus fuisse narrátur: curatúsque dícitur à Dómino, ita ut loquerétur & vidéret. Tria ergo signa in uno hómine simul perpetráta sunt: Cæcus videt, mutus lóquitur, posséssus à dæmone liberátur. Quod & tunc quidem carnáliter factum est, sed & quotídie complétur in conversióne credéntium: ut expulso primùm dæmone, fidei lumen aspíciant; deinde ad laudes Dei, tacéntia priùs ora laxentur. Cùm immundus spíritus exíerit de hómine, perámbulat per loca inaquósa. Quamvis simplíciter intélligi possit, Dóminum hæc ad distinctiónem suórum & Sátanæ óperum adjunxisse, tamen & de hærético quovis, vel schismático, vel étiam malo cathólico, potest non inconvenienter áccipi. De quo, témpore baptísmatis, spíritus immundus, qui in eo priùs habitáverat, ad confessiónem cathólicæ fídei, abrenuntiationemque mundánæ conversatiónis, ejiciátur; locaque inaquósa péragret, id est, corda fidélium, quæ à mollítie fluxæ cogitatiónis expurgáta sint, cállidus insidiátor exploret.

℟. Oculi nostri ad DóminumDeum nostrum, * Donec misereátur nostrî: † Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî. *Psal.* 122. 2. ℣. Per

patiéntiam & consolatiónem scripturárum spem habeámus. *Rom.* 15. 4. * Donec. ℣. Glória. † Miserére. *Rep.* Oculi.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, ℟. Quia in te sperávi. *Psal.* 142. 8.

Ant. 1. a. JUstus es, Dómine, & ómnia judícia tua justa sunt; & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas. *Tob.* 3. 2.

Ant. 2. D. Memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccátis meis. *Ibid. v.* 3.

Ant. 3. c. Dómine, magna judícia tua; quia non égimus secundùm præcepta tua. *Ibid.* 5.

Ant. 4. E. Non delectáris in perditiónibus nostris; quia post tempestátem tranquillum facis. *Ibid.* 22.

Ant. 5. C. Post lacrymatiónem & fletum exultatiónem infundis; sit nomen tuum, Deus Israël, benedíctum in sécula. *Ibid.* 22. 23.

Capitulum. 2. *Par.* 30. 9.

PIus & clemens est Dóminus Deus vester, & non avertet fáciem suam à vobis, si reversi fuéritis ad eum.

Hymnus & versiculus ut in Feriis, pag. 175.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. *Luc.* 11. 14.

Orémus. *Oratio.*

QUæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice; atque ad defensiónem nostram, déxteram tuæ majestátis extende; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Stupébant omnes turbæ, & dicébant: Numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes, dixérunt: Hic non éjicit dæmones, nisi in nómine Beélzebub príncipe dæmoniórum. *Matt.* 12. 23. 24.

CANON.

Ex Concilio Tridentíno, *Sess.* 14. *de Pœnitent.* *Cap.* 5.

IMpium est confessiónem .... impossibilem dícere, aut carnificínam illam consciéntiárum appelláre: constat enim nihil áliud à pœniténtibus in Ecclésia éxigi, quàm ut postquam quisque diligéntiùs se excússerit, & consciéntiæ suæ sinus omnes & látebras exploráverit, ea peccáta confiteátur, quibus se Dóminum & Deum suum mortáliter offendisse memínerit: réliqua autem

peccáta, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eâdem confessióne inclúsa esse intelliguntur; pro quibus fidéliter cum Prophéta dícimus: Ab occultis meis munda me, Dómine.

AD TERTIAM.

Ant. 4. E. Jesus sciens cogitatiónes eórum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divísum desolábitur, & domus supra domum cadet. *Matt*. 12. 25. *Luc*. 11. 17.

Capitulum. Isaiæ. 59. 1.2.

Ecce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat; neque aggraváta est auris ejus, ut non exáudiat: sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos & Deum vestrum, & peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus à vobis, ne exaudíret.

℟. *br*. Inimíci tui, Dómine, * Inimíci tui períbunt. Inimíci. ℣. Et dispergentur omnes qui operantur iniquitátem. * Inimíci. ℣. Glória. *Rep*. Inimíci. *Ps*. 91. 10.

℣. Contrítio & infelícitas in viis eórum: ℟. Viam pacis non cognovérunt. *Ps*. 13. 3.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Si ego in Beélzebub ejício dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. *Matth*. 12. 27.

Capitulum. Ezech. 20. 35.

Judicábor vobiscum fácie ad fáciem: sicut judício contendi advérsùm patres vestros in desérto terræ Ægypti, sic judicábo vos, dicit Dóminus Deus.

℟. *br*. Non repellet Dóminus plebem suam: * Hereditátē suam non derelinquet. Non. ℣. Quoadusque justítia convertátur in judícium: * Hereditátem. ℣. Glória Patri. *Repet*. Non.

℣. Quis consurget mihi adversùs malignantes? ℟. Aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem? *Psal*. 93. 14.-16.

AD NONAM.

Ant. 1. *f*. Qui non est mecum, contra me est: & qui non cólligit mecum, dispergit. *Luc*. 11. 23.

Capitulum. Jerem. 17. 13.

Dómine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur, quóniam dereliquérunt venam aquárum viventium Dóminum.

℟. *br*. Ecce, Dómine, * Qui elongant se à te períbunt. Ecce. ℣. Perdidísti omnes qui for-

nicantur abs te. * Qui.
℣. Glória. Ecce.

℣. Mihi adhærére Deo bonum est, ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72. 27. 28.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Eccli. 30. 24.

MIserére ánimæ tuæ placens Deo, & cóntine: cóngrega cor tuum in sanctitáte ejus.

Hymnus & versiculus, ut in Feriis, pag. 175.

Ad Magníf. *Ant.* 8. *G.* Extollens vocem quædam múlier de turba, dixit Jesu: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. At ille dixit: Quin immò, beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11. *v.* 27. 28.

Oratio. Quæsumus, *ut suprà ad Laudes.* p. 227.

FERIA SECUNDA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 15. *v.* 22.

Aqua amara in dulces conversa.

TUlit autem Móyses Israël de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diébus per solitúdinem, & non inveniébant aquam. Et venérunt in Mara, nec póterant bíbere aquas de Mara, eò quòd essent amáræ: unde & cóngruum loco nomen impósuit, vocans illum Mara, id est, amaritúdinem. Et murmurávit pópulus contra Móysen, dicens: Quid bibémus? At ille clamávit ad Dóminum, qui ostendit ei lignum; quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. Ibi constítuit ei præcepta atque judícia, & ibi tentávit eum, dicens: Si audíeris vocem Dómini Dei tui, & quod rectum est coram eo féceris, & obedíeris mandátis ejus, custodierísque ómnia præcepta illius, cunctum languórem, quem pósui in Ægypto, non indúcam super te: ego enim Dóminus sanátor tuus. Venérunt autem in Elim fílii Israël, ubi erant duódecim fontes aquárum, & septuaginta palmæ: & castrametáti sunt juxta aquas. Profectíque sunt de Elim, & venit omnis multitúdo filiórum Israël in desertum Sin.

℟. Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * Et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. *Eccli.* 2. 13. ℣. Omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. 1. *Tim.* 2. 4. * Et protector.

LECTIO II. *Cap.* 17. 1.
Aqua ex rupe. Amalec victus.

IGitur profecta omnis multitúdo filiórum Israël de deserto Sin per mansiónes suas, juxta sermónem Dómini, castrametáti sunt in Raphídim, ubi non erat aqua ad bibendum pópulo. Clamávit autem Móyses ad Dóminum, dicens: Quid fáciam pópulo huic? Adhuc páululùm, & lapidábit me. Et ait Dóminus ad Móysen: Antecéde pópulum, & sume tecum de senióribus Israël: & virgam, quâ percussisti flúvium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb: percutiesque petram, & exíbit ex ea aqua, ut bibat pópulus. Fecit Móyses ita coram senióribus Israël. Venit autem Amalec, & pugnábat contra Israël in Raphídim. Dixitque Móyses ad Jósue: Elige viros; & egressus pugna contra Amalec: cras ego stabo in vértice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Jósue ut locútus erat Móyses, & pugnávit contra Amalec: Móyses autem, & Aaron, & Hur ascendérunt super vérticem collis. Cumque leváret Móyses manus, vincébat Israël: sin autem páululùm remisisset, superábat Amalec. Manus autem Móysi erant graves: sumentes ígitur lápidem, posuérunt subter eum, in quo sedit; Aaron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utráque parte. Et factum est ut manus illíus non lassarentur usque ad occásum solis. Fugavitque Jósue Amalec, & pópulum ejus in ore gládii.

℟. Annos ætemos in mente hábui; * Dixi: Nunc cœpi; hæc mutátio déxteræ Excelsi. *Ps.* 76. *v.* 6. 11. ℣. Mundus transit, & concupiscéntia ejus. 1. *Joan.* 2. 17. *Dixi.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 4. *v.* 23.
Populi Nazareth invidia.

IN illo témpore; Ait Jesus Pharisæis: Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: Médice, cura teipsum; quanta audívimus facta in Caphárnaüm, fac & hîc in pátria tua. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.
Lib. 4. in Lucam.

NOn mediócriter invídia próditur, quæ cívicæ caritátis oblíta, in acerba ódia causas amóris inflectit. Simul hoc

exemplo páriter & orâculo declarátur, quòd frustrà opem misericórdiæ cœléstis expectes, si aliénæ frúctibus virtútis invídeas: aspernátor enim Dóminus invidórum est; & ab iis qui divína benefícia in áliis persequuntur, mirácula suæ potestátis avertit. Non otiósè ítaque Salvátor excúsat, quòd nulla in pátria sua mirácula virtútis operátus sit; ne fortassis áliquis viliórem pátriæ nobis esse debére putáret affectum. Neque enim cives póterat non amáre, qui amáret omnes; sed ipsi se caritáte pátriæ, qui invident, abdicárunt.

℟. Quis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? * Et plorábo † die ac nocte. *Jerem.* 9. 1. ℣. Surgam, & ibo ad patrem meum. *Luc.* 15. 18. * Et. ℣. Glória. † Die.

Ad Benedict. *Ant.* 1. a. Nemo prophéta acceptus est in pátria sua. *Luc.* 4. 24.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

CORdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde: ut, sicut ab escis carnálibus abstinémus; ita sensus quoque nostros à nóxiis retrahámus excéssibus; Per.

C A N O N.

Ex Concilio Cabillonensi secundo.

An. 813. *Can.* 32.

QUia constat, hóminem ex duábus esse substántiis, ánimâ vidélicet & córpore; & interdum ánimi motu, interdum carnis fragilitáte peccátur, solerti indagatióne debent inquiri ipsa peccáta; ut ex utrísque plena sit conféssio: scílicet ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatióne delínquitur.

Ad Magníf. *Ant.* 1. *f.* Ejecérunt Jesum, & duxérunt illum usque ad supercílium montis, ut præcipitárent eum; ipse autem tránsiens per médium illórum ibat. *Luc.* 4. *v.* 29. 30.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

SUbvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegente éripi, te liberante salvári; Per.

FERIA TERTIA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 19. 1.

Majestas Dei in monte Sinaï.

MEnse tértio egressiónis Israël de terra Ægypti, in die hac

venérunt in solitúdinem Sínaï. Nam profecti de Raphídim, & pervenientes usque in desertum Sínaï, castrametáti sunt in eódem loco, ibíque Isráël fixit tentória è regióne montis. Móyses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dóminus de monte, & ait: Hæc dices dómui Jacob, & annuntiábis fíliis Isráël: Si audiéritis vocem meam, & custodiéritis pactum meum, éritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis: mea est enim omnis terra. Descenditque Móyses de monte ad pópulum, & sanctificávit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos: Estóte paráti in diem tértium, & ne appropinquétis uxóribus vestris. Jamque advénerat tértius dies, & mane inclarúerat: & ecce cœpérunt audíri tonítrua, ac micáre fúlgura, & nubes densíssima operíre montem, clangorque búccinæ veheméntiùs perstrepébat: & tímuit pópulus qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Móyses in occursum Dei de loco castrórum, stetérunt ad radíces montis. Totus autem mons Sínaï fumábat, eò quòd descendisset Dóminus super eum in igne, & ascénderet fumus ex eo quasi de fornáce; eratque omnis mons terríbilis: & sónitus búccinæ paulátim crescébat in majus, & prolíxiùs tendebátur. Móyses loquebátur, & Deus respondébat ei. Descenditque Dóminus super montem Sínaï in ipso montis vértice, & vocávit Móysen in cacúmen ejus. Quò cùm ascendisset, dixit ad eum: Descende, & contestáre pópulum. Descenditque Móyses ad pópulum: & ómnia narrávit eis.

℟. Dómine, ante te omne desidérium meum; & gémitus meus à te non est abscónditus: * Cor meum conturbátum est; derelíquit me virtus mea. *Ps.* 37. *v.* 10. 11. ℣. Quanti mercenárii in domo patris mei abundant pánibus! ego autem hîc fame péreo. *Luc.* 15. *v.* 17. * Cor meum.

Lectio II. *Cap.* 20. 1.

Deus profert decem verba legis.

Locutusque est Dóminus cunctos sermónes hos: Ego sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitútis. Non habébis deos aliénos coram me. Non assúmes nomen Dómini

Dei tui in vanum; nec enim habébit insontem Dóminus eum qui assúmpserit nomen Dómini Dei sui frustrà. Memento ut diem sábbati sanctífices. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua. Séptimo autem die sábbatum Dómini Dei tui est: non fácies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & ádvena qui est intra portas tuas. Honóra patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falsum testimónium. Non concupisces domum próximi tui; nec desiderábis uxórem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non ásinum, nec ómnia quæ illíus sunt. Tu autem, Dómine.

℟. Iniquitátem meam ego cognosco, & peccátum meum contra me est semper: * Tibi soli peccávi, Dómine, & malum coram te feci. *Psal.* 50. *v.* 5. 6. ℣. Pater, jam non sum dignus vocári filius tuus. *Luc.* 15. 19. * Tibi soli.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *Cap.* 18. 15.

Correptio fraterna.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipsum solum. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 82. *Edit. Bened.*

Debémus amando corrípere, non nocendi aviditáte, sed stúdio corrigendi. Tales si fuérimus, óptimè fácimus quod hódie admóniti sumus: Si peccáverit in te frater tuus, córripe illum inter te & ipsum solum. Quare illum córripis? quia tu doles quòd peccáverit in te? Absit. Si amóre tuî id facis, nihil facis. Si amóre illíus facis, óptimè facis. Dénique in ipsis verbis attende, cujus amóre id fácere débeas: utrùm tuî an illíus. Si te audíerit, inquit, lucrátus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucréris illum. Sic faciendo, lucráris: nisi fecisses, períerat. In secréto debémus corrípere, ne volentes públicè argúere, prodámus hóminem. Ego prorsùs nec prodo, nec négligo. Corrípio in se-

créto : pono ante óculos Dei judícium : térreo cruentam consciéntiam : persuádeo pœniténtiam. Hâc charitáte prædíti esse debémus.

℞. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam ; * Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, † Et à peccáto meo munda me. *Ps.* 50. *v.* 3. 4. ℣. Dómine, si vis, potes me mundáre. *Luc.* 5. *v.* 12. * Ampliùs. ℣. Glória. † Et à peccáto.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Quæcumque alligavéritis super terram, erunt ligáta & in cœlo. *Matt.* 18. 18.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

EXaudi nos, omnípotens & miséricors Deus : & continéntiæ salutáris propítius nobis dona concéde ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit.* *Can.* 12.

SI quis díxerit totam pœnam simul cùm culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœniténtium non esse áliam quàm fidem, quâ apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse ; anathéma sit.

Ad Magníf. *Ant.* 7. c. Quæcumque solvéritis super terram, erunt solúta & in cœlo. *Matt.* 18. 18.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

TUâ nos, Dómine, protectióne defende, & ab omni semper iniquitáte custódi ; Per.

FERIA QUARTA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 31. 18. *&* 32. 1.

Vitulus aureus.

DEdit Dóminus Móysi, complétis sermónibus in monte Sínaï, duas tábulas testimónii lapídeas scriptas dígito Dei. Videns autem pópulus quòd moram fáceret descendendi de monte Móyses, congregátus advérsùs Aaron, dixit : Surge ; fac nobis deos qui nos præcédant : Móysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignorámus quid accíderit. Dixitque ad eos Aaron : Tóllite inaures áureas de uxórum, filiorúmque & filiárum vestrárum áuribus, & afferte ad me. Quas cùm ille accepisset, formávit ópere fusório, & fecit ex eis vítulum conflátilem. Dixeruntque : Hi sunt dii tui, Israël, qui te eduxérunt de terra

Ægypti. Surgentésque manè, obtulérunt holocaústa, & hóstias pacíficas; & sedit pópulus manducáre & bíbere, & surrexérunt lúdere. Locútus est autem Dóminus ad Móysen, dicens: Vade, descende: peccávit pópulus tuus, quem eduxísti de terra Ægypti. Dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos, & déleam eos; faciámque te in gentem magnam. Móyses autem orábat Dóminũ Deum suum, dicens: Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuũ, quem eduxísti de terra Ægypti in fortitúdine magna & in manu robústa? Ne, quæso, dicant Ægyptii: Cállidè edúxit eos, ut interfíceret in móntibus, & deléret è terra; quiéscat ira tua, & esto placábilis super nequítia pópuli tui. Recordáre Abraham, Isaac, & Israël, servórum tuórum, quibus jurásti per temetípsum, dicens: Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cœli; & univérsam terram hanc, de qua locútus sum, dabo sémini vestro, & possidébitis eam semper. Placatúsque est Dóminus ne fáceret malum quod locútus fúerat adversùs pópulum suum.

℞. Miserére meî, Dómine, quóniam infírmus sum; * Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea. *Ps.* 6. *v.* 3. ℣. Dómine, ecce quem amas, infirmátur. *Joan.* 11. *v.* 3. * Sana.

LECTIO II. *Cap.* 32. 15.

Tabulæ fractæ. Vitulus contritus.

Reversus est Móyses de monte, portans duas tábulas testimónii in manu sua scriptas ex utráque parte, & factas ópere Dei; scriptúra quoque Dei erat sculpta in tábulis. Cumque appropinquásset ad castra, vidit vítulum & choros; iratúsque valdè, projécit de manu tábulas, & confrégit eas ad rádicem montis. Arripiénsque vítulum quem fécerant, combússit, & contrívit usque ad púlverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum fíliis Israël. Videns ergo Móyses pópulum, quòd esset nudátus; (spoliáverat enim eum Aaron propter ignomíniam sordis, & inter hostes nudum constitúerat:) & stans in porta castrórum, ait: Si quis est Dómini, jungátur mihi. Congregatíque sunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait: Hæc dicit Dóminus Deus Israël;

Ponat vir gládium super femur suum : ite & redíte de porta usque ad portam per médium castrórum, & occídat unusquísque fratrem & amícum & próximum suum. Fecerúntque filii Levi juxta sermónem Móysi; cecidерúntque in die illa quasi viginti tria míllia hóminum. Reversúsque ad Dóminum Móyses, ait : Obsecro, peccávit pópulus iste peccátum máximum, fecerúntque sibi deos áureos : aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsísti. Cui respondit Dóminus : Qui peccáverit mihi, delébo eum de libro meo.

℟. Inclína aurem tuam, Dómine, & exaudi nos : * Pétimus misericórdiam tuam ante conspéctum tuum, Dómine. *Bar.* 2. *v.* 16. 19. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile; ecce nunc dies salútis. 2. *Cor.* 6. *v.* 2. * Pétimus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO III. *Cap.* 15. *v.* 1.

Pharisæorum traditiones.

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum ab Jerosólymis Scribæ & Pharisæi, dicentes : Quare discípuli tui transgrediuntur traditiónem seniórum? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. *in Matth.*

MIra Pharisæórum Scribarúmque stultítia! Dei Filium árguunt, quare hóminum traditiónes & præcepta non servet. Non enim lavant manus suas cùm panem mandúcant. Ipse autem respondens, ait illis : Quarè & vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram? Falsam calúmniam verâ responsióne confútat. Præcéperat enim Dóminus, vel imbecillitátes, vel ætátes, vel penúrias parentum consíderans, ut filii honorárent, étiam in vitæ necessáriis ministrandis, parentes suos. Hanc providentíssimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subvértere, ut impietátem sub nómine pietátis indúcerent, docuérunt péssimos filios, ut si quis ea quæ paréntibus offerenda sunt, Deo vovére volúerit, qui verus est pater, oblátio Dei præponátur parentum munéribus : vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecráta cernébant, ne sacrilégii crimen incúrrerent, declinantes, egestáte conficiebantur. Atque ita fiébat, ut oblátio liberórum sub occasióne templi & Dei, in sacerdó-

tum lucra céderet. Tu.

℟. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, * Donec misereátur nostrî: † Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî. *Psal.* 122. *v.* 2. ℣. Per patiéntiam & consolatiónem scripturárum, spem habeámus. *Rom.* 15. *v.* 4. * Donec. ℣. Glória. † Miserére.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Cæcus si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt. *Matt.* 15. 14.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, ut salutáribus jejúniis erudíti, à nóxiis quoque vítiis abstinentes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnit. Can.* 8.

MAgnópere à peccáto révocant, & quasi fræno quodam coërcent satisfactóriæ pœnæ, cautiorésque efficiunt; medentur quoque peccatórum relíquiis: & vitiósos hábitus malè vivendo comparátos, contráriis virtútum actiónibus tollunt. Neque verò secúrior ulla via in Ecclésia Dei umquam existimáta fuit ad amovendam imminentem à Dómino pœnam; quàm ut hæc pœniténtiæ ópera hómines cum vero ánimi dolóre frequentent.

Ad Magnífic. *Ant.* 7. a. Quæ procédunt de ore, de corde éxeunt; & hæc sunt quæ coínquinant hóminem: non lotis autem mánibus manducáre, non coínquinat hóminē. *Matt.* 15. *v.* 18. 20.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

IMplorantes, Dómine, misericórdiam tuam, fidéles propítius intuére; & qui, præter te, álium non novérunt, tuis semper benefíciis glorientur; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 33. *v.* 5.

Tabernaculum fœderis.

DIxitque Dóminus ad Móysen: Lóquere fíliis Israël: Pópulus duræ cervícis es: semel ascendam in médio tuî, & delébo te. Jam nunc depóne ornátum tuum, ut sciam quid fáciam tibi. Deposuérunt ergo filii Israël ornátum suum à monte Horeb. Móyses quoque tollens tabernáculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernáculum fœderis. Et omnis pópulus, qui habébat áliquam quæstiónem, egrediebátur ad Tabernáculum fœderis, ex-

tra castra. Cumque egrederétur Móyses ad Tabernáculum, surgébat univérsa plebs, & stabat unusquisque in óstio papiliónis sui, aspiciebantque tergum Móysi, donec ingrederétur tentórium. Ingresso autem illo tabernáculum fœderis, descendébat columna nubis, & stabat ad óstium; loquebaturque cum Móyse, cernéntibus univérsis quòd columna nubis staret ad óstium tabernáculi. Stabantque ipsi, & adorábant per fores tabernaculórum suórum. Loquebátur autem Dóminus ad Móysen fácie ad fáciem, sicut solet loqui homo ad amícum suum. Cumque ille reverterétur in castra, minister ejus Jósue filius Nun, puer, non recedébat de tabernáculo.

℟. Pius & misséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * Et protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. *Eccli.* 2. ℣. Omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. 1.*Tim.*2.*v.* 4.*v.*38. * Et protector.

LECTIO II. *Cap.* 34. *v.* 1.
Nova tabula.

PRæcíde, ait Dóminus Móysi, tibi duas tábulas lapídeas instar priórum, & scribam super eas verba quæ habuérunt tábulæ quas fregisti. Esto parátus manè, ut ascendas statim in montem Sinaï, stabisque mecum super vérticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videátur quíspiam per totum montem: boves quoque & oves non pascántur è contrà. Excídit ergo duas tábulas lapídeas, quales ánteà fúerant; & de nocte consurgens ascendit in montem Sinaï, sicut præcéperat ei Dóminus, portans secum tábulas. Cumque descendisset Dóminus per nubem, stetit Móyses cum eo, ínvocans nomen Dómini. Quo transeunte coram eo, ait: Dominátor Dómine Deus, misséricors & clemens, pátiens & multæ miseratiónis, ac verax: qui custódis misericórdiam in míllia; qui aufers iniquitátem & scélera atque peccáta, nullusque apud te per se ínnocens est: qui reddis iniquitátem patrum filiis ac nepótibus, in tértiam & quartam progéniem. Festinusque Móyses, curvátus est pronus in terram, & adórans, ait: Si invéni grátiam in conspectu tuo, Dómine, óbsecro ut gradiáris nobiscum, (pópulus enim duræ cervícis est,) & áuferas iniquitátes nostras atque

peccáta, nosque possídeas. Respondit Dóminus? Ego iníbo pactum vidéntibus cunctis, signa fáciam quæ numquam visa sunt super terram, nec in ullis géntibus; ut cernat pópulus iste, in cujus es médio, opus Dómini terríbile quod factúrus sum. Obsérva cuncta quæ hódie mando tibi. Ego ipse ejíciam ante fáciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Hevæum, & Jebusæum.

℟. Annos ætérnos in mente hábui; * Dixi: Nunc cœpi; hæc mutátio déxteræ Excelsi. *Psal.* 76. *v.* 6. 11. ℣. Mundus transit, & concupiscéntia ejus. 1. *Joan.* 2. 17. * Dixi.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 4. *v.* 38.

Socrus Simonis.

IN illo témpore; Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis: socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Matth. Hom. 28.

TEtigit Jesus manum ejus, nec fébrium tantùm ardóres extinxit, aut certa incolumitátis signa reduxit; verùm étiam prístinas córporum vires recuperáre illicò fecit; ut quando fácilis curátu ægrotátio videbátur, curandi modo, virtus curantis ostenderétur. Nam id certè medendi artifícium fácere non potest. Nemo quippe ignórat, quàm longo témpore, postquam febres cessavérunt, opus sit ad prístinum robur recuperandum. Cuncta ígitur tunc simul facta sunt, quod & in mari páriter evenísse perpéndere póssumus: nam & ibi non ventos solùm ac tempestátes sedávit; sed, quod inaudítum omníno erat, fluctus étiam undásque statim compósuit. Nam etsi vis ventórum cessáverit, pérmanent tamen fluctus undárum diútiùs. Sed non ita hîc; non enim natúrâ duce aut arte fiunt, quæ à Christo fiunt, sed simul ómnia finem suum assequuntur; quod subostendit Evangelista, dicens: Surrexit, & ministrábat illis. Id certè tam virtútem Christi supra hóminem significábat, quàm voluntátem mulíeris atque affectum erga Christum aperiébat.

℟. Quis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? * Et plorábo † Die ac nocte. *Jer.* 9. *v.* 1. ℣. Surgam, & ibo ad patrem

meum. *Luc.* 15. 18. 20. * Et plorábo. ℣. Glória. † Die ac nocte.

Ad Benedict. *Ant.* 8. *G.* Exíbant dæmónia à multis clamántia, & dicéntia: Quia tu es Fílius Dei; & íncrepans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. *Luc.* 4. 41.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui in remédium animárum jejúnii nobis medicínam indidisti; te súpplices invocámus, ut tibi sit acceptábile jejúnium nostrum, & nos à cibis abstinentes, à peccátis absolvas: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. Can.* 9.

SI quis díxerit, absolutiónem sacramentálem sacerdótis, non esse actum judiciálem, sed nudum ministérium pronuntiandi & declarandi peccáta remissa esse pœnitenti; .....aut díxerit non requíri Confessiónem pœnitentis, ut sacerdos eum absólvere possit, anathéma sit.

Ad Magnífic. *Ant.* 3. à. Egressus Jesus ibat in desertum locum, & turbæ requirébant eum; & venérunt usque ad ipsum, & detinébant illum, ne discéderet ab eis. *Luc.* 4. 42.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

COnserva, quæsumus, Dómine, pópulum tuum, & grátiæ tuæ in eo dona multíplica; ut ab ómnibus liber offensis, & temporálibus non destituátur auxíliis, & sempiternis gáudeat institútis; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De libro Exodi.

LECTIO I. *cap.* 37. *v.* 1.

Formatur Arca.

FEcit autem Beséleel & arcam de lignis setim, habentem duos semis cúbitos in longitúdine, & cúbitum ac semissem in latitúdine, altitúdo quoque uníus cúbiti fuit & dimídii; vestivitque eam auro puríssimo intùs ac foris. Et fecit illi corónam áuream per gyrum: conflans quátuor ánnulos áureos per quátuor ángulos ejus; duos ánnulos in látere uno, & duos in áltero. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestívit auro, & quos misit in ánnulos, qui erant in latéribus arcæ ad portandum eam. Fecit & propitiatórium, id est, oráculum, de auro mundíssimo, duórum cubitórum & dimídii in longitúdine,

ne & cúbiti ac ſemis in latitúdine: duos étiam Chérubim ex auro dúctili, quos pósuit ex utráque parte propitiatórii; Cherub unum in ſummitáte uníus partis, & Cherub álterum in ſummitáte partis altérius: duos Chérubim in síngulis ſummitátibus propitiatórii, extendentes alas, & tegentes propitiatórium, ſeque mútuò & illud reſpicientes.

℟. Dómine, ante te omne deſidérium meum, & gémitus meus à te non eſt abſcónditus: * Cor meum conturbátum eſt; derelíquit me virtus mea. *Pſalm.* 37. *v.* 10. 11. ℣. Quanti mercenárii in domo patris mei abundant pánibus! ego autem hîc fame péreo. *Luc.* 15. *v.* 17. * Cor meum.

Lectio II. *Cap.* 37. 10.
Fit menſa.

Fecit & menſam de lignis ſetim in longitúdine duórum cubitórum, & in latitúdine uníus cúbiti, quæ habébat in altitúdine cúbitum ac ſemiſſem. Circumdeditque eam auro mundíſſimo, & fecit illi lábium áureum per gyrum, ipsíque lábio corónam áuream interráſilem quátuor digitórum, & ſuper eamdem, álteram corónam áuream. Fudit & quátuor círculos áureos, quos pósuit in quátuor ángulis per ſingulos pedes menſæ, contra corónam: miſitque in eos vectes, ut poſſit menſa portári. Ipſos quoque vectes fecit de lignis ſetim, & circúmdedit eos auro: & vaſa ad diverſos uſus menſæ, acetábula, phíalas, & cyathos, & thuríbula, ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libámina. Fecit & candelábrum dúctile de auro mundíſſimo. De cujus vecte cálami, ſcyphi, ſphærulæque ac lília procedébant. Sex in utróque látere, tres cálami ex parte una, & tres ex áltera. Tres ſcyphi in nucis modum per cálamos ſingulos, ſphærulæque ſimul & lília: & tres ſcyphi inſtar nucis in cálamo áltero, ſphærulæque ſimul & lília. Æquum erat opus ſex calamórum, qui procedébant de ſtípite candelábri. In ipſo autem vecte erant quátuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſíngulos ſimul & lília. Et ſphærulæ ſub duóbus cálamis per loca tria, qui ſimul ſex fiunt cálami procedentes de vecte uno.

℟. Iniquitátem meam ego cognoſco, & peccátum meum contra me eſt ſemper: * Tibi ſoli pec-

cávi, Dómine, & malum coram te feci. *Psal.* 50. *v.* 5. 6. ℣. Pater, jam non sum dignus vocári filius tuus. *Luc.* 15. *v.* 19. * Tibi soli.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO. III. *Cap.* 4. 5.

Christus cum Samaritana.

IN illo témpore: Venit Jesus in civitátem Samaríæ quæ dícitur Sichar: erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigátus ex itínere, sedébat sic supra fontem. Venit múlier de Samaria haurire aquã. Et réliqua.

Homília sancti Máximi Epíscopi.

Prima de Eleemosynis.

AQua misericórdiæ comparátur; sed aquam invénio de fonte procédere: necesse mihi est misericórdiæ fontem quærere. Ipse est fons qui in Evangélio à Samaritána mulíere aquam póstulat, & peccáta condónat; aquam pútei réprobat, sed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim: Omnis qui bíberit ex aqua hac, sítiet íterùm; qui autem bíberit ex aqua quam ego dabo illi, non sítiet in æternum. Aquam ergo Salvátor à mulíere póstulat, & sitíre se símulat, ut sitiéntibus æternam grátiam largiátur. Neque enim póterat fons sitíre: neque in quo est aqua viva póterat undam terrénæ fæcis hauríre. Sitiébat ergo Christus; sitiébat planè, non potum hóminum, sed salútem sitiébat: non aquam mundi, sed redemptiónem géneris humáni. Mirum igitur in modum, super púteum sedens, misericórdiæ ibídem fluenta prodúcit: & mulíerem sexto jam non viro sed adúltero fornicantem vivi meátûs undâ puríficat. Múlier quæ ad púteum Samaríæ méretrix advénerat, à Christi fonte casta regréditur. Confitétur Christum; annúntiat Salvatórem: & relinquens aquæ vásculum, ad civitátem non fert hydriam, sed refert grátiam. Vácua quidem vidétur reverti ónere; sed plena revértitur sanctitáte. Plena inquam, redit: quia quæ peccátrix advénerat, revértitur prædicátrix.

℟. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam; * Amplius lava me ab iniquitáte mea, † Et à peccáto meo munda me. *Ps.* 50. *v.* 3. 4. ℣. Dómine, si vis, potes me mundáre. *Luc.* 5. *v.* 12. Amplius. * ℣. Glória. † Et à.

Ad Benedict. *Ant*. 8. c. Spiritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. *Joan*. 4. 24.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

Jejúnia nostra, quæsumus, Dómine, benigno favóre proséquere; ut sicut ab alimentis abstinémus in córpore, ita à vítiis jejunémus in mente; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess*. 14. *de Pœnit. Can*. 15.

Si quis díxerit claves Ecclésiæ esse datas tantùm ad solvendum, non étiam ad ligandū; & proptérea Sacerdótes dum impónunt pœnas confiténtibus, ágere contra finem clávium, & contra institutiónem Christi: & fictiónem esse, quòd virtúte clávium, sublátâ pœnâ æternâ, pœna temporális plerumque exsolvenda remáneat; anathéma sit.

Ad Magníf. *Ant*. 1. D. Multi credidérunt in Jesum Samaritanórum propter verbum mulíeris testimónium perhibentis; & multò plures credidérunt in eum propter sermónem ejus. *Joan*. 4. *v*. 39. 41.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvante, vincámus; Per.

SABBATO.

De libro Levítici.

LECTIO I. *Cap*. 9. *v*. 23.

Nadab & Abiu.

Ingressi autem Móyses & Aaron in tabernáculum testimónii, & deinceps egressi, benedixérunt pópulo. Apparuítque glória Dómini omni multitúdini: & ecce egressus ignis à Dómino, devorávit holocaustum, & ádipes qui erant super altáre. Quod cùm vidissent turbæ, laudavérunt Dóminū, ruentes in fácies suas. Arreptísque Nadab & Abiu filii Aaron thuríbulis, posuérunt ignē & incensum désuper, offerentes coram Dómino ignem aliénum: quod eis præceptum non erat. Egressúsque ignis à Dómino, devorávit eos, & mórtui sunt coram Dómino. Dixítque Móyses ad Aaron: Hoc est quod locútus est Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi; & in conspectu omnis pópuli glorificábor. Quod áudiens tácuit Aaron. Vocátis autem Móyses Misaéle & Elísaphan filiis Oziel pátrui Aaron, ait ad eos: Ite & tóllite fratres vestros de cons-

pectu Sanctuárii, & asportáte extra castra. Conféstimque pergentes, tulérunt eos, sicut jacébant, vestítos líneis túnicis; & ejecérunt foras, ut sibi fúerat imperátum. Locutusque est Móyses ad Aaron, & ad Eleásar & Ithamar filios ejus: Cápita vestra nolíte nudáre, & vestimenta nolíte scíndere; ne fortè moriámini, & super omnem cœtum oriátur indignátio. Fratres vestri & omnis domus Israël plangant incéndium quod Dóminus suscitávit: vos autem non egrediémini fores tabernáculi, alióquin períbitis; óleum quippe sanctæ unctiónis est super vos. Qui fecérunt ómnia juxta præceptum Móysi.

℟. Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea. *Ps.* 6. *v.* 3. ℣. Dómine, ecce quem amas, infirmátur. *Joan.* 11. *v.* 3. * Sana me.

LECTIO II. *Cap.* 24. 10.

Blasphemus lapidatus.

Ecce autem egressus fílius mulíeris Israëlítidis, quem pepérerat de viro Ægyptio inter filios Israël, jurgátus est in castris cum viro Israëlita. Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Móysen: (vocabátur autem mater ejus Sálumith, filia Dabri de tribu Dan:) miseruntque eum in cárcerem, donec nossent quid jubéret Dóminus. Qui locútus est ad Móysen, dicens: Educ blasphémum extra castra; & ponant omnes qui audiérunt, manus suas super caput ejus; & lápidet eum pópulus universus. Et ad filios Israël loquéris: Homo qui maledíxerit Deo suo, portábit peccátum suum: & qui blasphemáverit nomen Dómini, morte moriátur; lapídibus ópprimet eum omnis multitúdo, sive ille civis, sive peregrínus fúerit. Qui blasphemáverit nomen Dómini, morte moriátur. Æquum judícium sit inter vos, sive peregrínus, sive civis peccáverit: quia ego sum Dóminus Deus vester. Locutusque est Móyses ad filios Israël: & eduxérunt eum qui blasphemáverat, extra castra, ac lapídibus oppressérunt. Feceruntque filii Israël, sicut præcéperat Dñs Móysi.

℟. Inclína aurem tuam, Dómine, & exaudi nos; * Pétimus misericórdiam tuam ante conspectum tuum, Dómine. *Bar.* 2.

v. 16. 19. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. 2. *Cor.* 6. *v.* 2. * Pétimus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio III. *Cap.* 8. 1.

Mulier adultera.

IN illo témpore; Jesus perrexit in montem Olivéti: & dilúculo íterum venit in templum; & omnis pópulus venit ad eum, & sedens docébat eos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Enarrat. in Psal. 50.

JUdæi ad Dóminum adúlteram mulíerem adduxérunt. In adultério, inquiunt, hæc múlier deprehensa est: Móyses hujúsmodi lapidári jussit; tu de illa quid censes? tamquam bicípiti muscípulâ tentantes cápere sapiéntiam Dei, ut si jubéret occídi, pérderet mansuetúdinis famam; si autem jubéret dimitti, incúrreret, tamquam reprehensor legis, calúmniam. Quid ergo respondit? Non ait, Occídite; non ait, Dimíttite, sed ait: Qui se scit sine peccáto esse, primus in illam lápidem jáciat. Justa lex, quæ jubet adúlteram occidi: sed hæc lex justa ministros hábeat innocentes. Atténdìtis quam addúcitis; atténdite & qui estis. Illi hoc audíto, unus post álterum discessérunt. Remansit adúltera & Dóminus; remansit vulneráta & médicus; remansit magna miséria & magna misericórdia. Adducentes erubuérunt, nec véniam petivérunt: addúcta confúsa est, & sanáta.

℟. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, * Donec misereátur nostrî: † Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî. *Psal.* 122. *v.* 2. ℣. Per patiéntiam & consolatiónem scripturárum spem habeámus. *Rom.* 15. *v.* 4. * Donec. ℣. Glória. † Miserére nostrî.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Remansit solus Jesus, & múlier in médio stans. *Joan.* 8. 9.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, cleméntiam tuam supplíciter exorámus; ut, qui mala nostra semper prævenis miserando, fácias nos tibi plácitos, & piis actiónibus, & jejúniis salúbribus expiando; Per.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 37.

POeniténtium causæ pensandæ sunt, &

tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit; aut quæ sit pœniténtia secúta post culpam: ut quos omnípotens Deus per compunctiónis grátiam vísitat, illos Pastóris senténtia absolvat. Tunc enim vera est Absolútio Præsidentis, cùm interni arbítrium séquitur júdicis.

AD VESPERAS.

Capitulum. 2. Paral. 7. *v.* 13. 14.

SI conversus pópulus meus super quos invocátum est nomen meũ, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis; & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum.

℟. Scrutémur vias nostras, & quærámus, & revertámur ad Dóminum; * Levémus corda nostra cum mánibus ad Dóminum in cœlos. ℣. Nos iniquè égimus, & ad iracúndiam provocávimus. * Levémus. ℣. Glória. * Levémus. *Thren.* 3. 40.-42.

Hymnus & Versiculus ut in Feriis, p. 175.

Ad Magníf. *Ant.* 4. *D.* Ut possímus, Dómine, invenire misericórdiam tuam, in ánimo contrito & spíritu humilitátis suscipiámur. *Dan.* 3. 39.

Orémus. *Oratio.*

CONcéde, quæsúmus, omnípotens Deus; ut qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus; Per Dóminum.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

De libro Numerórum.

LECT. I. *Cap.* 9. *v.* 15.

Protectio Dei super Israël in deserto.

DIe quâ erectum est Tabernáculum, opéruit illud nubes. A véspere autem super tentórium erat quasi spécies ignis, usque mane. Sic fiébat júgiter; per diem operiébat illud nubes, & per noctem quasi spécies ignis. Cumque abláta fuisset nubes, quæ Tabernáculum protegébat, tunc proficiscebantur filii Israël; & in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. Ad impérium Dómini proficiscebantur, & ad impérium illius figébant Tabernáculum. Cunctis diébus quibus stabat nubes super Tabernáculum, manébant in eódem loco: & si evenisset ut multo témpore manéret super illud, erant filii Israël in excúbiis Dó-

mini, & non proficiscebantur, quot diébus fuisset nubes super Tabernáculum. Ad impérium Dómini erigébant tentória, & ad impérium illíus deponébant.

℟. j. Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, * Aspersi corda à consciéntia mala. *Heb.* 10. *v.* 22. ℣. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne. *Ps.* 94. *v.* 2. * Aspersi.

Lect. II. *Cap.* 10. *v.* 33.

Murmurat ingratus populus.

PRofecti sunt ergo de monte Dómini viam trium diérum; Arcaque fœderis Dómini præcedébat eos, per dies tres próvidens castrórum locum. Nubes quoque Dómini super eos erat per diem, cùm incéderent. Cumque elevarétur Arca, dicébat Móyses: Surge, Dómine, & dissipentur inimíci tui; & fúgiant qui odérunt te, à fácie tua. Cùm autem deponerétur, aiébat: Revértere, Dómine, ad multitúdinem exércitûs Isräel. Intérea ortum est murmur pópuli quasi doléntium pro labóre contra Dóminum. Quod cùm audisset Dóminus, irátus est; & accensus in eos ignis Dómini, devorávit extrémam castrórum partem. Cumque clamasset pópulus ad Móysen, orávit Móyses ad Dóminum, & absorptus est ignis. Vocavítque nomen loci illíus Incénsio, eo quòd incensus fuisset contra eos ignis Dómini.

℟. ij. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; * Et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis & bonórum óperum. *Hebr.* 10. 23. ℣. Procidámus & plorémus ante Dóminum, qui fecit nos. *Psal.* 94. 6. * Et considerémus.

Lect. III. *Cap.* 11. *v.* 4.

Populo displicet Manna, quod describitur.

VUlgus promíscuum quod ascénderat cum eis, flagrávit desidério sedens & flens, junctis sibi páriter filiis Isräel; & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordámur píscium quos comedebámus in Ægypto gratis: in mentem nobis véniunt cucúmeres & pépones, porríque & cæpe, & állia: ánima nostra árida est; nihil áliud respíciunt óculi nostri nisi Man. Erat autem Man quasi semen coriandri, colóris bdéllii. Circuibatque pópulus, & cólligens illud frangébat molâ, sive terébat in mortário, coquens in olla, & fáciens ex eo tórtulas sa-

poris quasi panis oleáti. Cumque descénderet nocte super castra ros, descendébat páriter & Man. Audívit ergo Móyses flentem pópulum per famílias, síngulos per óstia tentórii sui. Iratusque est furor Dómini valde: sed & Móysi intoleranda res visa est.

℟. iij. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis: * Si spíritu vívimus, † Spíritu & ambulémus. *Gal.* 5. *v.* 24. 25. ℣. Non quasi homo, sic Deus comminábitur: & ídeò humiliémus illi ánimas nostras. *Judith.* 8. *v.* 15. 16. * Si spíritu. ℣. Glória. † Spíritu.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Móysis Prophétæ ad pópulum Israël.

LECTIO IV. *Deuter. Cap.* 8. *v.* 2.

Dedit Manna Deus & alia beneficia in deserto.

REcordáberis cuncti itíneris per quod adduxit te Dóminus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentáret; & nota fierent, quæ in tuo ánimo versabantur, utrùm custodíres mandáta illíus, an non. Afflixit te penúriâ, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorábas tu, & patres tui: ut osténderet tibi quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egréditur de ore Dei. Vestimentum tuum quo operiebáris, nequáquam vetustáte defécit; & pes tuus non est subtrítus, en quadragésimus annus est: ut recógites in corde tuo, quia sicut érudit fílium suum homo, sic Dóminus Deus tuus erudívit te; ut custódias mandáta Dómini Dei tui, & ámbules in viis ejus, & tímeas eum.

℟. iv. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii & hærédes, hærédes quidē Dei, cohærédes autem Christi; * Si tamen compátimur, ut & conglorificémur. *Rom.* 8. *v.* 16. 17. ℣. Tu es, Dómine, qui restítues hæreditátem. *Ps.* 15. 5. * Si.

LECTIO V. *v* 7.

Ingratitudo in Deum maximè fugienda.

DOminus Deus tuus introdúcet te in terram bonam, terram rivórum aquarumque & fóntium, in cujus campis & móntibus erumpunt fluviórū abyssi: terram fruménti, hórdei, ac vineárum, in qua ficus & malogranáta & olivéta nascuntur: terram ólei ac mellis, ubi absque ulla penúria có-

medes panem tuum, & rerum ómnium abundántiâ perfruéris: cujus lápides ferrum sunt, & de móntibus ejus æris metalla fodiuntur: ut cùm coméderis & satiátus fúeris, benedícas Dño Deo tuo pro terra óptima quam dedit tibi. Obsérva & cave nequando oblivíscáris Dómini Dei tui, & négligas mandáta ejus atque judícia & cæremónias, quas ego præcípio tibi hódie; ne postquam coméderis & satiátus fúeris, domos pulchras ædificáveris, & habitáveris in eis, habuerísque armenta boum, & óvium greges, argenti & auri, cunctarumque rerum cópiam, elevétur cor tuum, & non reminiscáris Dómini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti de domo servitútis.

℟. *v.* Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. *Hebr.* 4. *v.* 16. ℣. Humílium & mansuetórum semper tibi, Dñe, plácuit deprecátio. *Judith.* 9. *v.* 16. * Ut.

LECTIO VI. *v.* 15.

Quo sine probatus est Israël in deserto.

DUctor tuus fuit in solitúdine magna atque terríbili, in qua erat serpens flatu adúrens, & scórpio ac dipsas, & nullæ omníno aquæ: qui eduxit rivos de petra duríssima, & cibávit te mannâ in solitúdine, quod nesciérunt patres tui; & postquam afflixit ac probávit, ad extrémum misertus est tuî, ne díceres in corde tuo: Fortitúdo mea & robur manûs meæ, hæc mihi ómnia præstitérunt; sed recordéris Dómini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbúerit, ut impléret pactum suum, super quo jurávit pátribus tuis, sicut præsens índicat dies. Sin autem oblítus Dómini Dei tui, secútus fúeris Deos aliénos, coluerísque illos, & adoráveris: ecce nunc prædíco tibi, quòd omnínò dispéreas. Sicut gentes, quas delévit Dóminus in introítu tuo, ita & vos peribitis; si inobedientes fuéritis voci Dómini Dei vestri.

℟. *vj.* Ne confúndas nos, Dómine; sed fac nobíscum juxta mansuetúdinem tuam, & secúndùm multitúdinem misericórdiæ tuæ: * Et érue nos in mirabílibus tuis, † Et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3. *v.* 42. 43. ℣. Ne nos indúcas in tentatiónem, sed líbera nos à malo.

Matth. 6. 13. * Et érue. ℣. Glória. † Et da.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *Cap.* 10. 1.

Post esum Mannæ ingrati Judæi perierunt.

NOlo vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyse baptizáti sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum spiritálem bibérunt; (bibébant autem de spirituáli consequente eos petra: petra autē erat Christus:) sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo: nam prostráti sunt in desérto. Hæc autem in figúra facta sunt nostrî, ut non simus concupiscentes malórum, sicut & illi concupiérunt. Neque idololátræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodū scriptum est: Sedit pópulus manducáre & bíbere, & surrexérunt lúdere.

℟. *vij.* Audítui meo, Dómine, dabis gáudium & lætítiam; * Averte fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. *v.* 10. 11. ℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. *v.* 8. * Averte.

LECTIO VIII. *v.* 8.

Vetus populus figura novi.

NEque fornicémur; sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, & cecidérunt unâ die viginti tria míllia. Neque tentémus Christum; sicut quidam eórum tentavérunt, & à serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis; sicut quidam eórum murmuravérunt, & periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: scripta sunt autem ad correptiónem nostram; in quos fines seculórum devenérunt. Itaque qui se exístimat stare, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehendat nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potestis; sed fáciet étiam cum tentatióne proventum ut possítis sustinére. Propter quod, charíssimi mihi, fúgite ab idolórum cultúra.

℟. *viij.* Nunc, Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos: * Ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ. *Is.* 64. *v.* 8. 9. ℣. Pater noster, qui es in cœlis, sanctifi-

ctur nomen tuum. *Matt. 6. v. 9.* * Ne ultrà.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joànnem.

LECTIO IX. *Cap. 6. 1.*

Panes multiplicati.

IN illo témpore; Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberíadis: & sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa quæ faciébat super his qui infirmabantur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 24.

MIrácula quæ fecit Dóminus noster Jesus Christus sunt quidem divína ópera; & ad intelligendum Deum de visibílibus, ádmonent humánam mentem. Quia enim ille non est talis substántia quæ vidéri óculis possit; & mirácula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creatúram administrat, assiduitáte viluérunt, ita ut penè nemo dignétur atténdere ópera Dei mira & stupenda in quólibet séminis grano: secundùm ipsam suam misericórdiam servávit sibi quædam, quæ fáceret opportúno témpore præter usitátum cursum ordinemque natúræ; ut non majóra, sed insólita vidéndo stupérent, quibus quotidiána viluerant. Majus enim miráculum est gubernátio totius mundi, quàm saturátio quinque míllium hóminum de quinque pánibus. Et tamen hæc nemo mirátur; illud mirantur hómines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim & nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis ségetes creat? Fecit ergò quómodo Deus: unde enim multíplicat de paucis granis ségetes, inde in mánibus suis multiplicávit quinque panes. Potestas enim erat in mánibus Christi: panes autem illi quinque quasi sémina erant, non quidem terræ mandáta, sed ab eo qui terram fecit, multiplicáta. Hoc ergo admótum est sénsibus, quo erigerétur mens; & exhíbitum óculis, ubi exercerétur intelléctus: ut invisíbilem Deum per visibília ópera mirarémur; & erecti ad fidem, & purgáti per fidem, étiam ipsum invisibíliter vidére cuperémus, quem de rebus visibílibus invisíbilẽ noscerémus. Nec tamen súfficit hæc intuéri in miráculis Christi. Interrogémus ipsa mirácula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim, si intelligantur, linguam suam.

Nam quia ipse Christus, Verbum Dei est; étiam factum Verbi, verbum nobis est.

℟. *ix.* Tu irátus es, Dómine, & peccávimus; & cecídimus quasi fólium universi, & iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos: * Ne irascáris, Dómine; † Ecce pópulus tuus omnes nos. *Is.* 64. 5. 6. 9. ℣. Dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. *Matt.* 6. 12. * Ne irascáris, Dñe. ℣. Glória. † Ecce. *Rep.* Tu irátus es.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, ℟. Quia in te sperávi. *Psal.* 142. 8.

Ant. 4. E. QUiescat ira tua, Dñe, & esto placábilis super nequítia pópuli tui. *Exod.* 32. 12.

Ant. 3. a. Custódis misericórdiam in míllia, aufers iniquitátem & scélera atque peccáta. *Ibid.* 34. 7.

Ant. 1. a. Nullus apud te per se ínnocens est, qui reddis iniquitátem patrum fíliis. *Ibid.*

Ant. 6. F. Si invéni grátiam in conspectu tuo, Dómine, óbsecro ut gradiáris nobiscum. *Ibid.* 9.

Ant. 5. C. Auferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas. *Ibid.*

Capitulum. 2. Paral. 7. 13. 14.

SI conversus pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit; & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis; & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum.

Hymnus & Versic. ut in Feriis. 172.

Ad Benedict. *Ant.* 1. D. Abiit Jesus trans mare Galilææ, & sequebátur eum multitúdo magna; quia vidébant signa quæ faciébat super his qui infirmabantur. *Joan.* 6. 1. 2.

Oratio.

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Súbiit in montem Jesus, & ibi sedébat cum discípulis suis: erat autem próximum Pascha dies festus Judæórum. *Joan.* 6. 34.

CANON.

Ex Concílio Cabillonensi. *An.* 813. *Can.* 38.

MOdus pœniténtiæ peccáta sua confiténtibus, aut per antiquó-

rum Cánonum institutiónem, aut per sanctárum scripturárum autoritátem, aut per Ecclesiásticam consuetúdinem impóni debet, repudiátis ac pénitùs eliminátis libellis, quos pœnitentiáles vocant, quorum sunt certi erróres, incerti autóres; de quibus rectè dici potest: Mortificábant ánimas quæ non moriuntur, & vivificábant ánimas quæ non vivébant.

AD TERTIAM.

Ant. 1. *f.* Cùm vidisset Jesus quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus. *Joan.* 6. 5. 6.

Capitulum. Ez. 34. 13.-15.

OVes meas pascam, & in móntibus excelsis Israël erunt páscua eárum: ibi requiescent in herbis viréntibus, & in páscuis pínguibus pascentur super montes Israël: Ego pascam oves meas, & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

℟. *br.* Tu das ómnium escam, Dómine, * In témpore opportúno. *Rep.* Tu das. ℣. Apéris tu manum tuam; & imples omne ánimal benedictióne, * In. ℣. Glória. *Rep.* Tu das. *Ps.* 144. 15. 16.

℣. Dante te illis, cólligent: ℟. Aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte. *Psal.* 103. 28.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Acceptis Jesus quinque pánibus, & duóbus píscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis; & fregit, & distríbuit discípulis suis, ut pónerent ante turbas. *Luc.* 9. 16.

Capitul. Sap. 16. 25. 26.

CReatúra, ómnium nutríci grátiæ tuæ deserviébat, ad voluntátem eórum qui à te desiderábant; ut scirent filii tui quos dilexisti, Dómine, quóniam non nativitátis fructus pascunt hómines, sed sermo tuus hos qui in te credíderint, consérvat.

℟. *br.* Satiávit Dóminus * Animam inánem. *Rep.* Satiávit. ℣. Et ánimam esurientem satiávit bonis. * Animam. ℣. Glória. *Repet.* Satiávit. *Psal.* 106. 9.

℣. Dóminus facit judícium injúriam patiéntibus, ℟. Dat escam esuriéntibus. *Ps.* 145. 7.

AD NONAM.

Ant. 7. c. Dixit Jesus:

Collígite quæ superavérunt fragmenta, ne péreant. Collegérunt ergo, & implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum. *Joan.* 6. 12. 13.

Capitul. Deut. 30. 9. 10.

ABundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in rerum ómnium largitáte; revertétur enim Dóminus, ut gáudeat super te in ómnibus bonis, sicut gavísus est in pátribus tuis; si tamen audíeris vocem Dómini Dei tui, & custodíeris præcepta ejus.

℟. *br.* Edent páuperes * Et saturabúntur. *Repet.* Edent. ℣. Et laudábunt Dñm qui requírunt eum. * Et saturabúntur. ℣. Glória. *Rep.* Edent.

℣. Manducavérunt & adoravérunt: ℟. In conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram. *Ps.* 21. 27. 30.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Joël. 2. 13.

COnvertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benignus & miséricors est, & præstábilis super malítia.

Hymnus & Versiculus ut in Feriis p. 175.

Ad Magnificat. *Ant.* Illi ergò hómines cùm vidíssent quod Jesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est verè Prophéta qui ventúrus est in mundum. *Joan.* 6. 14.

Oratio ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De libro Numerórum.

LECTIO I. *Cap.* 13. 2.

Duodecim exploratores.

IN deserto Pharan locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Mitte viros, qui consíderent terram Chánaan, quam datúrus sum fíliis Israël, síngulos de síngulis tríbubus, ex princípibus. Pergentésque usque ad torrentem Botri, abscidérunt pálmitem cum uva sua, quem portavérunt in vecte duo viri. De malis quoque granátis & de ficis loci illíus tulérunt. Reversíque exploratóres terræ post quadraginta dies, venérunt ad Móysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiórum Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutíque eis & omni multitúdini, ostendérunt fructus terræ; & narravérunt, dicentes: Vénimus in terram, ad quam misísti nos, quæ revérà fluit lacte & melle, ut ex his frúctibus cognosci potest: sed cultóres fortíssimos habet, & urbes grandes atque murátas. Stirpem Enac vídimus ibi. Ibi vídimus monstra quædam

filiórum Enac de génere gigánteo, quibus comparáti, quasi locustæ videbámur.

℟. Accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, * Aspersi corda à consciéntia mala. *Hebr.* 10. 12. ℣. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne. *Ps.* 94. 2. * Aspersi.

LECTIO II. *Cap.* 14. *v.* 6.

Josue & Caleb.

AT vero Jósue filius Nun, & Caleb filius Jéphone, qui & ipsi lustráverant terram, scidérunt vestimenta sua, & ad omnem multitúdinem filiórum Israël locúti sunt: Terra, quam circuívimus, valdè bona est. Si propítius fúerit Dóminus, indúcet nos in eam: & tradet humum lacte & melle manantem. Nolíte rebelles esse contra Dóminum: neque timeátis pópulum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos póssumus devoráre. Recessit ab eis omne præsídium: Dóminus nobiscum est; nolíte metúere. Cumque clamáret omnis multitúdo, & lapídibus eos vellet opprímere, appáruit glória Dómini super tectum fœderis cunctis filiis Israël. Et dixit Dóminus ad Móysen: Usquequò détrahet mihi pópulus iste? Quousque non credent mihi, in ómnibus signis quæ feci coram eis? Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dóminus: sicut locúti estis audiente me, sic fáciam vobis. In solitúdine hac jacébunt cadávera vestra. Omnes qui numeráti estis à viginti annis & suprà, & murmurastis contra me, non intrábitis terram, super quam levávi manum meam ut habitáre vos fácerem, præter Caleb filium Jéphone, & Jósue filium Nun. Párvulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hóstibus forent, introdúcam: ut vídeant terram quæ vobis displícuit.

℟. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, * Et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis & bonórum óperum. *Hebr.* 10. 23. ℣. Procidámus & plorémus ante Dñm, qui fecit nos. *Ps.* 94. 6. * Et.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECT. III. *Cap.* 2. *v.* 13.

Vendentes è templo ejecti.

IN illo témpore; Prope erat Pascha Judæórum, & ascendit Jesus Jerosólymam; & invénit in Templo vendentes boves & oves, & columbas, & numulários sedentes. Et cùm fecisset quasi flagel-

lum de funículis, omnes ejécit de Templo, oves quoque & boves; & numulāriórū effūdit æs, & mensas subvertit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 10. *in Joan.*

QUid audívimus, fratres? Ecce templum illud figúra adhuc erat; & ejécit inde Dóminus omnes qui sua quærébant, qui ad núndinas vénerant: Et quæ ibi vendébant illi? quæ opus habébant hómines in sacrifíciis illíus témporis. Novit enim cháritas vestra, quòd sacrifícia illi pópulo pro ejus carnalitáte, & corde adhuc lapídeo, tália data sunt, quibus teneréur, ne in idóla deflúeret: & immolábant ibi sacrifícia, boves, oves & columbas. Nostis, quia legistis. Non ergo magnum peccátum, si hoc vendébant in Templo, quod emebátur ut offerrétur in Templo: & tamen ejécit inde illos. Quid si ibi ebriósos inveníret, quid fáceret Dóminus; si vendentes ea quæ lícita sunt, & contra justítiam non sunt, (quæ enim honestè emuntur, non illícitè venduntur) expulit tamen, & non est passus domum oratiónis fieri domum negotiatiónis?

℟. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis: * Si spíritu vívimus, † Spíritu & ambulémus. *Gal.* 5. *v.* 24. 25. ℣. Non quasi homo, sic Deus comminábitur; & ídeò humiliémus illi ánimas nostras. *Judith.* 8. *v.* 15. 16. * Si spíritu. ℣. Glória. † Spíritu.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Recordáti sunt verò discípuli ejus, quia scriptum est: Et zelus domûs tuæ comédit me. *Joan.* 2. 17.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut observatiónes sacras ánnuâ devotióne recolentes, & córpore tibi placeámus & mente; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *tit.* 6.

IN Confessáriis probandis hanc ratiónem hábeant Epíscopi, ut pii, bene moráti, docti, prudentes, patientes, de animárum salúte sollíciti, & fidéles custódes sint eórum quæ in confessióne dicuntur; provectâ étiam ætáte, præsertim illi quibus confessiónes mulíerum erunt audiendæ.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. F. Cùm esset Jesus Jerosólymis in Pascha in die festo,

multi credidérũt in nómine ejus, videntes signa ejus quæ faciébat. *Joan.* 2. 23.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEprecatiónem nostram, quæsumus, Dómine, benignus exaudi; & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensiónis auxílium; Per.

FERIA TERTIA.

De libro Numerórum.

LECTIO I. *Cap.* 16. *v.* 1.

Core, Dathan, & Abiron.

ECce autem Corè filius Isaar, filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abíron filii Elíab, Hon quoque fílius Pheleth de filiis Ruben, surrexérunt contra Móysen, aliíque filiórum Israël ducenti quinquaginta viri próceres synagógæ, & qui témpore concílii per nómina vocabantur. Cumque stetissent adversùm Móysen & Aaron, dixérunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitúdo sanctórum est, & in ipsis est Dóminus. Cur elevámini super pópulum Dómini? Quod cùm audisset Móyses, cécidit pronus in fáciem. Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregátio tua, state seorsùm coram Dómino, & Aaron die crástino separátim. Tóllite singuli thuríbula vestra, & pónite super ea incensum, offerentes Dño ducenta quinquaginta thuríbula: Aaron quoque téneat thuríbulum suum. Quod cùm fecissent, stántibus Móyse & Aaron, & coacervassent adversùm eos omnem multitúdinem ad óstium tabernáculi, appáruit cunctis glória Dómini.

℟. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii & hærédes, hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; * Si tamen compátimur, ut & conglorificémur. *Rom.* 8. *v.* 16. 17. ℣. Tu es, Dómine, qui restítues hæreditátem. *Psal.* 15. 5. * Si.

LECTIO II. *v.* 20.

Conjurati absorpti.

LOcutúsque Dóminus ad Móysen & Aaron, ait: Separámini de médio congregatiónis hujus, ut eos repentè dispérdam. Surrexítque Móyses, & ábiit ad Dathan & Abíron: & sequéntibus eum senióribus Israël, dixit ad turbam: Recédite à tabernáculis hóminum impiórum, & nolíte tángere quæ ad eos pértinent, ne involvámini in peccátis eórum. Conféstim ígitur ut cessávit loqui, dirup-

ta est terra sub pédibus eórum ; & apériens os suum, devorávit illos cùm tabernáculis suis, & univérsa substántia eórum. Descenderúntque vivi in inférnum operti humo, & periérunt de médio multitúdinis. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamórem pereúntium, dicens : Ne fortè & nos terra deglútiat. Sed & ignis egressus à Dómino, interfécit ducentos quinquaginta viros, qui offerébant incensum.

℞. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. *Hebr.* 4. *v.* 16. ℣. Humílium & mansuetórum semper tibi, Dómine, plácuit deprecátio. *Judith.* 9. *v.* 16. * Ut misericórdiam consequámur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 7. 14. *Doctrina Christi.*

IN illo témpore ; Jam die festo mediante, ascendit Jesus in templum, & docébat. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quómodo hic litteras scit, cùm non didícerit ? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 29.

QUis nésciat hoc esse fácere voluntátem Dei, operári opus ejus, id est, quod illi placet ? Ipse autem Dóminus apertè álio loco dicit : Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem ille misit. Ut credátis in eum, non ut credátis ei. Sed si créditis in eum, créditis ei. Non autem contínuò qui credit ei, credit in eum ; nam & dæmones credébant ei, & non credébant in eum. Rursùs étiam de Apóstolis ipsius póssumus dícere : Crédimus Paulo, sed non crédimus in Paulum : Crédimus Petro, sed non crédimus in Petrum. Credenti enim in eum qui justíficat ímpium, deputátur fides ejus ad justítiam. Quid est ergo, crédere in eum ? Credendo amáre, credendo dilígere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporári. Ipsa est ergo fides quam de nobis éxigit Deus : & non ínvenit quod éxigat, nisi donáverit quod invéniat. Quæ fides, nisi quam definívit álio loco Apóstolus pleníssimè dicens : Neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed fides quæ per dilectiónem

operátur? Non qualiſcumque fides, ſed fides quæ per dilectiónem operátur: hæc in te ſit, & intélliges de doctrína Dei. Quid enim intélliges? Quia doctrína iſta non eſt mea, ſed ejus qui me miſit; id eſt, Intélliges quia Chriſtus Dei Filius, qui eſt doctrína Patris, non eſt ex ſeipſo, ſed Filius eſt Patris.

℟. Ne confundas nos, Dómine; ſed fac nobiſcum juxtà manſuetúdinem tuam, & ſecundùm multitúdinem miſericórdiæ tuæ: * Et érue nos in mirabílibus tuis, † Et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3. *v.* 42. 43. ℣. Ne nos indúcas in tentatiónem, ſed líbera nos à malo. *Matth.* 6. *v.* 13. * Et érue. ℣. Glória Patri & Fílio. † Et da glóriam.

Ad Benedict. *Ant.* 7. d. Qui quærit glóriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt. *Joan.* 7. 18.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

SAcræ nobis, quæſumus, Dómine, obſervatiónis jejúnia, & piæ converſatiónis augmentum, & tuæ propitiatiónis contínuum præſtent auxílium; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

CANON.

Ex Concílio Colonienſi primo.

Ann. 1536. *Part.* 7. *Cap.* 33.

MAgnópere neceſſárium judicámus, ut ſacerdos qui à confeſſiónibus eſt, ſit ínteger, erudítus, ac ſiléntii tenax: alióqui ſi ad quæſtum intentus ſit, ſi ad malum ſollícitet, ſi curióſior explorátor ſit, ſi pertinácibus blandiátur, ſi intricátam conſciéntiam extricáre néſciat, ſi dénique vel ebrióſus, vel iracundus, vel levis, vel ſecréti mínimè tenax; diſſipandis magis quàm paſcendis óvibus vidébitur idóneus.

Ad Magníf. *Ant.* 3. à. Quærébant Judæi Jeſum apprehéndere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum vénerat hora ejus. De turba autem multi crediderunt in eum. *Joan.* 7. *v.* 30. 31.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

MIſerére, Dómine, pópulo tuo: & contínuis tribulatiónibus laborantem, propítius reſpiráre concéde; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

FERIA QUARTA.
De libro Numerórum.
LECTIO I. *Cap.* 20. 2.
Aqua contradictionis : mors Aaron.

CUm indigéret aquâ pópulus, convenérunt adversùm Móysen & Aaron. Ingressúsque Móyses & Aaron, dimissâ multitúdine, Tabernáculum fœderis, corruérunt proni in terram, clamaveruntque ad Dóminum, atque dixérunt : Dómine Deus, audi clamórem hujus pópuli, & áperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiáti, cesset murmurátio eórum. Et appáruit glória Dómini super eos. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Tolle virgam, & cóngrega pópulum, tu & Aaron frater tuus; & loquímini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque edúxeris aquam de petra, bibet omnis multitúdo, & jumenta ejus. Tulit igitur Móyses virgam, quæ erat in conspectu Dómini, sicut præcéperat ei. Cumque elevasset Móyses manum, percútiens virgâ bis sílicem, egressæ sunt aquæ largíssimæ, ita ut pópulus bíberet & jumenta. Hæc est aqua contradictiónis, ubi jurgáti sunt filii Israël. Locútus est Dóminus ad Móysen : Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudáveris patrem veste suâ, índues eâ Eleázarum filium ejus; Aaron colligétur, & moriétur ibi. Fecit Móyses ut præcéperat Dóminus : & ascendérunt in montem Hor coram omni multitúdine. Cumque Aaron spoliasset véstibus suis, índuit eis Eleázarum filium ejus. Illo mórtuo in montis supercílio, descendit cum Eleázaro. Omnis autem multitúdo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diébus per cunctas famílias suas.

℟. Audítui meo, Dómine, dabis gáudium & lætítiam; * Averte fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. *v.* 10. 11. ℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. *v.* 8. * Averte.

LECTIO II. *Cap.* 21. 4.
Serpens æneus : cædes Sehon & Og.

PRofecti sunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, ut circumírent terram Edom. Et tædére cœpit pópulum itíneris ac labóris : locutúsque contra Deum & Móysen, ait : Cur eduxisti nos de

Ægypto, ut moreremur in solitúdine? Deest panis; non sunt aquæ: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quámobrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt: Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum & te: ora ut tollat à nobis serpentes. OravitqueMóyses pro pópulo, & locutus est Dóminus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpentem æneũ, & pósuit eum pro signo: quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. Misit autem Israël núntios ad Sehon regem Amorrhæórum, dicens: Obsecro, ut transíre mihi líceat per terram tuam: non declinábimus in agros & víneas; non bibémus aquas ex púteis; viâ régiâ gradiémur, donec transeámus términos tuos. Qui concédere nóluit ut transíret Israël per fines suos; quin pótiùs exércitu congregáto, egressus est óbviam in desertum, & venit in Jasa, pugnavitque contra eum. A quo percussus est in ore gládii, & possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, & filios Ammon; quia forti præsídio tenebantur términi Ammonitárũ. Verteruntque se, & ascendérunt per viam Basan, & occurrit eis Og, rex Basan, cum omni pópulo suo, pugnatúrus in Edraï. Dixitque Dóminus ad Móysen: Ne tímeas eum; quia in manu tua trádidi illum, & omnem pópulum ac terram ejus: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæórum habitatóri Hésebon. Percussérunt ígitur & hunc cum fíliis suis, universúmque pópulum ejus usque ad interneciónem, & possedérunt terram illius.

℟. Nunc, Dómine, pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos: * Ne ultrà memíneris iniquitátis nostræ. *Is. 64. v. 8. 9.* ℣. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum. *Matth. 6. v. 9.* * Ne ultrà memíneris.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio III. *Cap. 9. 1.*
Cæcus à nativitate.

In illo témpore; Prætériens Jesus, vidit hóminem cæcum à nativitáte. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

In Joan. Tract. 44. n. 1.

GEnus humánum est iste cæcus; hæc enim cæcitas cóntigit in primo hómine per peccátum, de quo omnes oríginem dúximus, non solùm mortis, sed étiam iniquitátis. Si enim cæcitas est infidélitas, & illuminátio fides; quem fidélem, quando venit Christus, invénit? Quandóquidem Apóstolus natus in gente Prophetárum, dicit: Fúimus & nos aliquando natúrâ filii iræ, sicut & céteri. Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quómodo natúrâ, nisi quia peccante primo hómine, vítium pro natúra inolévit? Si vítium pro natúra inolévit, secundùm mentem omnis homo cæcus natus est. Si enim videt, non opus habet ductóre: si opus habet ductóre & illuminatóre, cæcus ergo est. Venit Dóminus, éxpuit in terram, de salíva sua lutum fecit, & inunxit óculos cæci. Inunctus erat, & nondum vidébat. Misit illum ad piscínam: lavit óculos in ea: baptizátus est in Christo. Hoc catechúmeni áudiant; non eis sússicit quòd inuncti sunt: festínent ad lavácrum, si lumen inquírunt.

℟. Tu irátus es, Dómine, & peccávimus, & cecídimus quasi fólium universi, & iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos: * Ne irascáris, Dómine; † Ecce pópulus tuus omnes nos. *Isai. 64. v. 5. 6. 9.* ℣. Dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris. *Matt. 6. v. 12.* * Ne. ℣. Glória. † Ecce.

Ad Benedict. *Ant.* 1. 2. A século non est audítum quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non póterat fácere quidquam. *Joan. 9. v. 32. 33.*

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui & justis præmia meritórum, & peccatóribus per jejúnium véniam præbes: miserére supplícibus tuis; ut reátûs nostri conféssio, indulgéntiam percípere váleat delictórum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

An. 1565. Part. 2. Cap. 6.

SAcerdótes nisi ex causa necessária, mulíeres ante solis ortum, vel post ejus occásum, confiténtes ne áudiant, neve in cel-

lis, sed públicè in Ecclésia; in sédibus in quibus tabella omníno inter confiténtem & pœniténtem interjecta sit.

Ad Magníf. *Ant*. 4. a. Cæcus ait: Credo, Dómine; & prócidens adorávit eum. *Joan*. 9. 38.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

Benedíctio, quæsumus, Dómine, in tuos fámulos copiósa descendat; & quam subjectis córdibus éxpetunt, lárgiter consequantur; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Numerórum.

LECTIO I. *Cap*. 22. *v*. 2.

Balaam ab asina correptus.

Balac filius Sephor erat eo témpore rex in Moab. Misit ergo núntios ad Bálaam filium Beor aríolum, qui habitábat super flumen terræ filiórum Ammon, ut vocárent eum & dícerent: Ecce egressus est pópulus ex Ægypto, qui opéruit superfíciem terræ, sedens contra me. Veni ígitur, & máledic pópulo huic, quia fórtior me est: si quo modo possim percútere & ejícere eum de terra mea. Novi enim quòd benedíctus sit cui benedíxeris, & maledíctus in quem maledícta congésseris. Surrexit Bálaam manè, & stratâ asinâ suâ profectus est cum eis. Et irátus est Deus. Stetitque Angelus Dómini in via contra Bálaam, qui insidébat ásinæ, & duos púeros habébat secum. Cernens ásina Angelum stantem in via, evagináto gládio, cóncidit sub pédibus sedentis, qui irátus veheméntiùs cædébat fuste látera ejus. Aperuitque Dóminus os ásinæ, & locúta est: Quid feci tibi? cur pércutis me? ecce jam tértiò? Prótinus apéruit Dóminus óculos Bálaam, & vidit Angelum stantem in via, evagináto gládio, adoravitque eum pronus in terram. Cui Angelus: Cur, inquit, tértiò vérberas ásinam tuam? Ego veni ut adversárer tibi; quia perversa est via tua, mihique contrária. Dixit Bálaam: Peccávi, nésciens quòd tu stares contra me; & nunc si dísplicet tibi ut vadam, revertar. Ait Angelus: Vade cum istis; & cave, ne áliud quàm præcépero tibi, loquáris. Ivit ígitur cum princípibus.

℞. Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, * Aspersi corda à consciéntia mala. *Hebr*. 10. *v*. 22. ℣. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne. *Ps*. 94. 2. * Aspersi

LECTIO II. *Cap.* 24. *v.* 2.

Balaam tertiò benedicit populo Isräel.

BAlaam élévans óculos, vidit Isräel in tentóriis commorantem per tribus suas, & irruente in se Spiritu Dei, assumptâ parábolâ, ait: Isräel áccubans dormívit ut leo, & quasi leæna quam suscitáre nullus audébit. Qui benedíxerit tibi, erit & ipse benedíctus; qui maledíxerit, in maledictióne reputábitur. Iratusque Balac contra Bálaam, complósis mánibus, ait: Ad maledicendum inimícis meis vocávi te, quibus è contrário tértiò benedixisti; revértere ad locum tuum. Decréveram quidem magníficè honoráre te; sed Dóminus privávit te honóre dispósito. Surrexitque Bálaam, & reversus est in locum suum; Balac quoque viâ, quâ vénerat, rédiit.

℟. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, * Et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis & bonórum óperum. *Hebr.* 10. 23. ℣. Procidámus & plorémus ante Dóminum, qui fecit nos. *Psal.* 94. 6. * Et considerémus ínvicem in provocatiónem.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 7. 11.

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Náim; & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur filius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. *Comment. in Luc.*

AUdíto Dei verbo, stetérunt acerbi illi fúneris portitóres, qui corpus humánum lethálí fluxu natúræ materiális urgébant. Quid enim áliud, nisi quasi in quodam féretro, hoc est, suprémi fúneris instrumento, jacémus exánimes; cùm vel ignis immódicæ cupiditátis exæstuat, vel frígidus humor exundat, vel pigrâ quâdam terréni córporis habitúdine vigor hebetátur animórum; vel concrétâ noster spíritus labe, puræ lucis vácuus, mentem alit? Hi sunt nostri fúneris portitóres. Sed quamvis supréma mortis spem vitæ omnis aboléverint, & túmulo próxima córpora jáceant defunctórum: verbo tamen Dei jam moritúra resurgunt cadávera; vox rédit, rédditur filius matri, revocátur

revocátur à túmulo, erípitur à sepulcro. Quis est iste túmulus tuus, nisi mali mores? Túmulus tuus perfidia est; sepulcrum tuum guttur est: sepulcrum patens est guttur eórum, unde verba mórtua proferuntur. Ab hoc sepulcro te líberat Christus: ab hoc túmulo resurges, si áudias verbum Dei. Et si grave peccátum est, quod pœniténtiæ tuæ lácrymis ipse laváre non possis, fleat pro te mater Ecclésia, quæ pro síngulis tamquam pro únicis filiis vídua mater intérvenit. Compátitur enim quodam spiritáli dolóre natúræ, cùm suos líberos lethálibus vítiis ad mortem cernit urgéri.

℟. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis: * Si Spíritu vívimus, † Spíritu & ambulémus. *Gal.* 5. *v.* 24. 25. ℣. Non quasi homo, sic Deus comminábitur; & ideò humiliémus illi ánimas nostras. *Judith.* 8. *v.* 15. 16. * Si Spíritu. ℣. Glória. † Spíritu.

Ad Benedict. *Ant.* 4. *D.* Accessit Jesus, & tétigit lóculum, & resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. *Luc.* 7. *v.* 14. 15.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet; ut terrénis affectibus mitigátis, facíliùs cœléstia capiámus; Per.

CANON.

Ex Statútis synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

An. 1272. *Cap.* 4.

CAveat Sacerdos ne verbo, aut signo, aut álio quólibet modo revélet aliquátenùs peccatórem; sed si prudentióri consílio indiguerit, illud absque ulla expressióne personæ cautè requírat: alióquin juxta sanctiónes Canónicas puniétur.

Ad Magnífic. *Ant.* 1. f. Accépit autem omnes timor, & magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7. 16.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

POpuli tui, Deus, institútor & rector, peccáta quibus impugnátur, expelle: ut semper tibi plácitus, & tuo munímine sit secúrus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum.

FERIA SEXTA.
De libro Numerórum.
LECTIO I. *Cap.* 25. 1.
Zelus Phinees.

MOrabátur autem eo témpore Israël in Settim, & fornicátus est pópulus cum filiábus Moab. Quæ vocavérunt eos ad sacrificia sua: at illi comedérunt, & adoravérunt deos eárum. Initiatusque est Israël Beélphegor; & irátus Dóminus, ait ad Móysen: Tolle cunctos príncipes pópuli, & suspende eos contra solem in patíbulis; ut avertátur furor meus ab Israël. Dixitque Móyses ad júdices Israël: Occídat unusquísque próximos suos, qui initiáti sunt Beélphegor. Et ecce unus de filiis Israël intrávit coram frátribus suis ad scortum Madianítidem, vidente Móyse, & omni turbâ filiórum Israël, qui flebant ante fores Tabernáculi. Quod cùm vidísset Phínees filius Eleázari filii Aaron sacerdótis, surrexit de médio multitúdinis; & arrepto pugióne, ingressus est post virum Israëlítem in lupánar, & perfódit ambos simul, virum scílicet & mulíerem, in locis genitálibus. Cessavitque plaga à filiis Israël; & occísi sunt vigínti quátuor míllia hóminum. Dixitque Dóminus ad Móysen: Phínees filius Eleázari filii Aaron sacerdótis avertit iram meã à filiis Israël; quia zelo meo commótus est contra eos, ut non ipse delérem Israël in zelo meo. Idcircò lóquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei.

℟. Ipse spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii & hærédes, hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi; * Si tamen compátimur, ut & conglorificémur. *Rom.* 8. *v.* 16. 17. ℣. Tu es, Dómine, qui restítues hæreditátem. *Ps.* 15. 5. * Si.

LECTIO II. *Cap.* 27. 12.
Moysi successor datur.

DIxit quoque Dóminus ad Móysen: Ascende in montem istum Abarim, & contempláre inde terram quam datúrus sum filiis Israël. Cumque víderis eam, ibis & tu ad pópulum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron; quia offendistis me in deserto Sin in contradictióne multitúdinis, nec sanctificáre me voluistis coram ea super aquas: hæ sunt aquæ contradictiónis in Cades deserti Sin. Cui respondit Móyses: Provídeat Dóminus Deus spírituum omnis

carnis, hóminem qui sit super multitúdinem hanc: & possit exíre & intráre ante eos, & edúcere eos vel introdúcere; ne sit pópulus Dómini sicut oves absque pastóre. Dixitque Dóminus ad eum: Tolle Jósue filium Nun, virum in quo est Spíritus, & póne manum tuam super eú. Qui stabit coram Eleázaro sacerdóte, & omni multitúdine; & dabis ei præcepta cunctis vidéntibus, & partem glóriæ tuæ, ut áudiat eum omnis synagóga filiórum Israël. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleázar sacerdos consúlet Dóminum. Ad verbum ejus egrediétur & ingrediétur ipse, & omnes filii Israël cum eo, & cétera multitúdo.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ; * Ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. *Hebr. 4. v. 16.* ℣. Humílium & mansuetórum semper tibi, Dómine, plácuit deprecátio. *Judith 9. v. 16.* * Ut.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap. 11. v. 1.*

Lazarus suscitatus.

IN illo témpore; Erat quidam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ & Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 98. de verbis Evang.

VIdéte genus resuscitatiónis. Processit de monumento vivus, & ambuláre non póterat. Et Dóminus ad discípulos: Solvite eum, & sinite abíre. Ille suscitávit mórtuum; illi solvérunt ligátum. Aliquid pertinére vidéte ad própriam majestátem Dei suscitantis. Increpátur áliquis in mala consuetúdine pósitus, verbo veritátis. Quàm multi increpantur, & non áudiunt! Quis ergo agit intùs cum illo qui audit? Quis vitam inspírat intrínsecùs? Quis est qui secrétam pellit mortem, secrétam dat vitam? Nonne post objurgatiónes, post increpatiónes dimittuntur hómines cogitatiónibus suis, & incípiunt secum vólvere quàm malam vitam gerant, quàm péssimâ consuetúdine premantur? Deinde displicentes sibi mutáre vitam instítuunt. Resurrexérunt isti; revixérunt quibus displicet quod fuérunt: sed reviviscentes ambuláre non possunt. Hæc sunt víncula ipsíus reátûs. Opus est ergo, ut qui revixit, solvátur, & ire permittátur. Hoc offícium discípulis

dedit, quibus ait: Quæ solvéritis in terra, solúta sunt & in cœlo.

℟. Ne confundas nos, Dómine; sed fac nobiscum juxta mansuetúdinem tuam, & secundùm multitúdinem misericórdiæ tuæ: * Et érue nos in mirabílibus tuis, † Et da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3. *v.* 42. 43. ℣. Ne nos indúcas in tentatiónem, sed líbera nos à malo. *Matth.* 6. *v.* 13. * Et érue. ℣. Glória. † Et da.

Ad Benedict. *Ant.* 1. g. Voce magnâ clamávit Jesus: Lázare, veni foras. Et statim pródiit, qui fúerat mórtuus, ligátus pedes & manus ínstitis, & fácies illíus sudário erat ligáta. *Joan.* 11. *v.* 43. 44.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacramentis: præsta, quæsumus, ut Ecclésia tua & æternis proficiat institútis, & temporálibus non destituátur auxíliis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. Cap.* 8.

DEbent Sacerdótes Dómini, quantùm spíritus & prudéntia suggésserit, pro qualitáte críminum, & pœniténtium facultate salutáres & convenientes satisfactiónes injúngere: ne, si fortè peccátis connívean; & indulgéntiùs cum pœniténtibus agant, levíssima quædam ópera pro graníssimis delictis injungendo; alienórum peccatórum partícipes efficiantur.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. f. Multi ex Judæis, qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. *Joan.* 11. 45.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus; ut qui infirmitátis nostræ cónscii, de tua virtúte confidimus, sub tua semper pietáte gaudeámus; Per Dóminum.

SABBATO.

De libro Deuteronómii.

LECTIO I. *Cap.* 31. 1. & 32. 48.

Josue constituitur ductor populi: Moyses ascendit in montem.

ABiit Móyses, & locútus est ómnia verba hæc ad universum Israël, & dixit ad eos: Centum viginti annórum sum hódie, non possum ultrà égredi & íngredi, præsertim cùm & Dóminus díxerit mihi: Non transíbis Jordánem istum.

Dóminus ergo Deus tuus transíbit ante te : ipse delébit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidébis eas ; & Jósue iste transíbit ante te, sicut locútus est Dóminus. Vocavitque Móyses Jósue, & dixit ei coram omni Israël : Confortáre, & esto robustus ; tu enim introdúces pópulum istum in terram quam datúrum se pátribus eórum jurávit Dóminus, & tu eam sorte dívides. Et Dóminus qui ductor est vester, ipse erit tecum ; non dimittet, nec derelinquet te : noli timére, nec páveas. Locutusque est Dóminus ad Móysen in eádem die, dicens : Ascende in montem istum Abarim, id est, transítuum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jéricho ; & vide terram Chánaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, & mórere in monte. Quem conscendens jungéris pópulis tuis, sicut mórtuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appósitus pópulis suis : quia prævaricáti estis contra me in médio filiórum Israël, ad aquas contradictiónis in Cades deserti Sin : & non sanctificastis me inter filios Israël. E contrà vidébis terram, & non ingrediéris in eam, quam ego dabo filiis Israël.

℟. Audítui meo, Dómine, dabis gáudium & lætítiam ; * Averte fáciem tuam à peccátis meis, & omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. *v.* 10. 11.
℣. Quia homo peccátor sum, Dómine. *Luc.* 5. *v.* 8. * Averte.

LECTIO II. *Cap.* 34. *v.* 1.
Mors Moysis.

AScendit ergo Móyses de campéstribus Moab super montem Nebo, in vérticem Phasga contra Jéricho ; ostenditque ei Dóminus omnem terram Gálaad usque Dan, & universum Néphtali, terramque Ephraïm & Manasse, & omnem terram Juda usque ad mare novíssimum ; & austrálem partem, & latitúdinem campi Jéricho civitátis palmárum usque Segor. Dixitque Dóminus ad eum : Hæc est terra pro qua jurávi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens : Sémini tuo dabo eam. Vidisti eam óculis tuis, & non transíbis ad illam. Mortuusque est ibi Móyses servus Dómini, in terra Moab, jubente Dómino, & sepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor ; & non cognóvit homo sepulchrum ejus

re tàm ad Vesperas, quàm ad Officium Nocturnum, omittitur Glória Patri, *in Responsoriis ubi dici solet; & ejus loco repetitur* ℟. *ab initio usque ad* ℣.

Hymnus & Versiculus ut infrà in Vesperis pro tempore Passionis, p. 283.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Malè tractavérunt illum qui à ventre matris consecrátus est prophéta. *Ecli.* 49. 9.

Orémus. *Oratio.*

Quæsumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: ut, te largiente, regátur in corpóre; & te servante, custodiátur in mente; Per Dóminum.

Non dicuntur ampliùs Commemorationes communes vel Suffragia, etiam in Feriis.

Ad Completorium, *ut infrà in Feriis. p.* 283.

DOMINICA Passionis Domini.

Ad Officium Noct.

Invitatorium ut infrà in Feriis, pag. 280.

In fine Psalmi Veníte, *non dicitur* Glória, *sed ejus loco repetitur Invitatorium.*

Hymnus ut infrà in Feriis. Antiphonæ & Psalmi ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

℣. Captábunt in ánimam justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Psalm.* 93. 21.

Incipit Jeremías Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 1. *v.* 1.

Vocatio Jeremiæ.

Verba Jeremíæ fílii Hélciæ, de sacerdótibus qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priusquàm te formárem in útero, novi te; & ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, & prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer sum; quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis; & univérsa quæcumque mandávero tibi, loquéris. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, & in columnam férream, & in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, & sacerdótibus, & pópulo terræ. Et bellábunt advérsùm te, & non prævalébunt: quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te. ¶ Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

¶ *Sic terminantur Lectiones Jeremiæ ab hac die us-*

quæ ad Pascha exclusivè, nihil respondendo.

℟. *j.* Consilium fecérunt in unum, * Dicentes: Deus, derelíquit eum; persequímini & comprehéndite eum, quia non est qui erípiat. *Ps.* 70. *v.* 10. 11. ℣. Misérunt Príncipes & Pharisæi minístros, ut apprehénderent Jesum. *Joan.* 7. 32. * Dicentes.

LECTIO II. *Cap.* 2. *v.* 1. *Beneficus Deus : ingrati Judæi.*

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Vade, & clama in áuribus Jerúsalem, dicens: Hæc dicit Dóminus: Recordátus sum tuî, míserans adolescéntiam tuam, & charitátem desponsatiónis tuæ, quando secúta es me in deserto, in terra quæ non seminátur. Sanctus Israël Dómino, primítiæ frugum ejus: omnes qui dévorant eum, delinquunt; mala vénient super eos, dicit Dóminus. Audíte verbum Dómini, domus Jacob, & omnes cognatiónes domûs Israël: Hæc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres vestri in me iniquitátis, quia elongavérunt à me, & ambulavérunt post vanitátem, & vani facti sunt? Et non dixérunt: Ubi est Dóminus, qui ascéndere nos fecit de terra Ægypti: qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitábilem & ínviam: per terram sitis, & imáginem mortis: per terram, in qua non ambulávit vir, neque habitávit homo? Et induxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum ejus, & óptima illíus; & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditátem meam posuistis in abominatiónem. Sacerdótes non dixérunt: Ubi est Dóminus? & tenentes legem nesciérunt me, & pastóres prævaricáti sunt in me: & prophétæ prophetavérunt in Baal, & idóla secúti sunt. Jerúsalem.

℟. *ij.* Sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto, * Ita exaltári oportet Filium hóminis, ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam æternam. *Joan.* 3. *v.* 14. 15. ℣. Fecit Móyses serpentem æneum, & pósuit eum pro signo; quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. *Num.* 21. 9. * Ita exaltári.

LECTIO III. *v.* 29. *Excusationes non admissæ.*

QUid vultis mecum judício conténdere? omnes dereliquistis me, dicit Dóminus. Frustrà percussi filios vestros, disciplínam non recepérunt:

devorávit gládius vester prophétas vestros; quasi leo vastátor, generátio vestra. Vidéte verbum Dómini: Numquid solitúdo factus sum Israéli, aut terra serótina? quare ergo dixit pópulus meus: Recéssimus; non veniémus ultrà ad te? Numquid obliviscétur virgo ornamenti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ? pópulus verò meus oblitus est meî diébus innúmeris. Quid nitéris bonam osténdere viam tuam ad quærendam dilectiónem, quæ ínsuper & malítias tuas docuisti vias tuas; & in alis tuis inventus est sanguis animárum páuperum & innocentûm? Non in fossis invéni eos, sed in ómnibus quæ suprà memorávi. Et dixisti: Absque peccáto & ínnocens ego sum: & proptéreà avertátur furor tuus à me. Ecce ego judicio contendam tecum, eò quòd díxeris: Non peccávi. Jerúsalem.

℟. *iij.* Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; * Quantò magis sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis? *Hebr.* 9. 13. 14. ℣. Dixit Dóminus ad Móysen: Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocaustum. *Num.* 28. 1. 15. * Quantò magis. *Reper.* Si sanguis, *usque ad versum.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Convenérunt in unum adversùs Dóminum, ℟. Et adversùs Christum ejus. *Psal.* 2. 2.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO IV. *Cap.* 9. *De Quadrag.* 9.

IN ómnibus, dilectíssimi, solemnitátibus christiánis, non ignorámus Paschále sacraméntum esse præcípuum. Cui condignè & cóngruè suscipiendo, totíus quidem nos témporis institúta præformant; sed devotiónem nostram præséntes vel máximè dies éxigunt, quos illi sublimíssimo divínæ misericórdiæ sacraménto scimus esse contíguos. In quibus méritò à sanctis Apóstolis per doctrínam Spíritûs sancti majóra sunt ordináta jejúnia, ut per commúne consórtium crucis Christi, étiam nos áliquid in eo quod propter nos gessit, agerémus; sicut Apóstolus ait: Si compátimur, & conglorificábimur. Certa atque secúra est expectátio promíssæ beatitúdinis, ubi est participátio Domínicæ passiónis. Tu autem.

℟. *iv.* Post hebdóma-

dies sexaginta duas * Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. *Dan.* 9. 26. ℣. Consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Filio hóminis. *Luc.* 18. 31. * Occidétur.

LECTIO V.

NEmo est, dilectíssimi, cui per conditiónem témporis sócietas hujus glóriæ denegétur, tamquam tranquíllitas pacis vácua sit occasióne virtútis. Apóstolus enim prædicat, dicens: Omnes qui piè volunt vívere in Christo, persecutiónem patientur; & ideò numquam deest tribulátio persecutiónis, si numquam desit observántia pietátis. Dóminus ipse in exhortatiónibus suis dicit: Qui non áccipit crucem suam, & séquitur me, non est me dignus. Nec dubitáre debémus hanc vocem non solùm ad discípulos Christi, sed ad cunctos fidéles, totamque Ecclésiam pertinére, quæ salutáre suum in his qui áderant, universáliter audiébat.

℟. v. Ponet in púlvere os suum: * Dabit percutienti se maxillam; saturábitur oppróbriis. *Thr.* 3. 29. 30. ℣. Tradétur Géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur. *Luc.* 18. 32. * Dabit.

LECTIO VI.

SIcut ergo totíus est témporis piè vívere, ita totíus est témporis crucem ferre; quæ méritò unicuíque sua dícitur, quia própriis modis atque mensúris ab unoquóque tolerátur. Unum nomen est persecutiónis, sed non una est causa certáminis: & plùs plerumque perículi est in insidiatóre occulto, quàm in hoste manifesto. Beátus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus erudítus, piè veraciterque dicébat: Nonne tentátio est vita hóminis super terram? quóniam non solis dolóribus córporis atque suppliciis ánima fidélis impétitur; verùm étiam, salvâ incolumitáte membrórum, gravi morbo urgétur, si carnis voluptáte mollítur. Sed cùm caro concupíscit advérsùs spíritum, & spíritus advérsùs carnem, præsídio crucis mens rationális instrúitur; nec cupiditátibus nóxiis illecta consentit, quóniam continéntiæ clavis, & Dei timóre transfígitur.

℟. vj. Sicut fuit Jonas in ventre ceti, * Sic erit Filius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nóctibus. *Matt.* 12. 40. ℣. Erat Jonas in ven-

tre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. *Jon.* 2. 1. * Sic erit. *Repet.* Sicut, *usque ad versum.*

IN III. NOCTURNO.

℣. Locúti sunt vanitátes, ℟. Et dolos totâ die meditabantur. *Ps.* 37. 13.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECT. VII. *Cap.* 2. *v.* 5.

Auctor salutis per passionem consummatus.

NOn Angelis subjécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Testátus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hóminis quóniam vísitas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: glóriâ & honóre coronasti eum, & constituisti eum super ópera mánuum tuárum: ómnia subjecisti sub pédibus ejus. In eo enim quòd ómnia ei subjécit, nihil dimísit non subjectum ei. Nunc autem necdum vidémus ómnia subjecta ei. Eum autem, qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum: ut grátiâ Dei, pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos filios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum. Et íterùm: Ecce ego, & púeri mei, quos dedit mihi Deus.

℟. *vij.* Cùm esset Cáiphas póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jesus moritúrus erat pro gente, & non tantùm pro gente, * Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum. *Joan.* 11. 51. 52. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum. *Joan.* 3. 17. * Sed ut.

LECTIO VIII. *v.* 14.

Christus pro hominibus, non pro Angelis mortuus est.

QUia ergo púeri communicavérunt carni & sanguini, & ipse simíliter participávit eisdem: ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehen-

dit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis qui tentantur, auxiliári.

℟. *viij.* Illúdent ei, & cónspuent eum, * Et flagellábunt eum, & interficient eum. *Marc.* 10. 34. 8. ℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. *Isa.* 53. 7. * Et flagellábunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio IX. *Cap.* 8. 46.

Qui ex Deo est, verba Dei audit.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Proptéreà vos non audítis, quia ex Deo non estis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 18. *in Evang. hab. in Bas. S. Petri, Dom. in Passione.*

PEnsáte, fratres charíssimi, mansuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, & dicébat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Non dedignátur ex ratióne osténdere se peccatórem non esse, qui ex virtúte divinitátis póterat peccatóres justificáre. Sed terribile est valdè quod súbditur: Qui ex Deo est, verba Dei audit: proptéreà vos non audítis, quia ipsi ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est, & audire verba ejus non potest, quisquis ex illo non est: intérroget se unusquisque, si verba Dei in aure cordis pércipit; & intélliget unde sit. Cœlestem pátriam desideráre Véritas jubet, carnis desidéria cónteri, mundi glóriam declináre, aliéna non appétere, própria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrûm, si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, & quia jam ex Deo sit, agnoscit.

℟. *ix.* Filius hóminis tradétur in manus hóminum, & occídent eum; * Et occísus, tértiâ die resurget. *Marc.* 9. 30. ℣. Inglórius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hóminum. *Is.* 52. 14. * Et occísus. *Rep.* Filius, *usque ad versum.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ℟. Ad annun-

tiandum manè misericórdiam tuam. *Ps.* 91. 2. 3.

Psalmi de Dominica, excepto Cantico.

Ant. 3. a. IPse asperget gentes multas; super ipsum continébunt reges os suum. *Is.* 52. 15.

Ant. 5. a. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. *Is.* 53. 7.

Ant. 8. G. Vidébit semen longævum, & voluntas Dómini in manu ejus dirigétur. *Ibid.* 10.

Ant. 4. E. Vidébit.

Canticum. Isa. 53. 5.

IPse vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * attrítus est propter scélera nostra.

Disciplína pacis nostræ super eum, * & livóre ejus sanáti sumus.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit; * & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm.

Oblátus est quia ipse vóluit; * & non apéruit os suum.

Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, * & non apériet os suum.

De angústia & de judício sublátus est: * generatiónem ejus quis enarrábit?

Quia abscissus est de terra vivéntium: * propter scelus pópuli mei percussi eum.

Glória Patri, &c.

Ant. Vidébit & saturábitur; in sciéntia sua justificábit multos. *Is.* 53. 11.

Ant. 1. *f.* Iniquitátes ipse portábit, & fórtium dívidet spólia. *Ibid.* 11. 12.

Capitulum. Hebr. 9. *v.* 11. 12.

FRatres, Christus assistens Póntifex futurórum bonórum per ámplius & perféctius tabernáculum non manufactum, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem, introivit semel in Sancta, ætérnâ redemptióne inventâ.

Hymnus & Versic. ut infrà in Feriis. p. 281.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Oportet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum & crucifigi. *Luc.* 24. 7.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui Unigéniti tui Passióne antiqui hostis contrivisti supérbiam: da pópulo tuo, & quæ ipse pértulit dignè recólere, & adversa ómnia æquanímiter toleráre; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD PRIMAM.

Ant. 7. b. Qui ex Deo est, verba Dei audit. *Joan.* 8. 47.

Capitulum & ℟. br. ut infrà in Feriis. p. 281.

C A N O N.

Ex Concilio Tridentino. *Sess.* 14. *de Pœnit. Cap.* 8.

HAbeant præ óculis (Sacerdótes) ut satisfáctio quam impónunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custódiam & infirmitátis medicamentum; sed étiam ad præteritórum peccatórũ vindíctam & castigatiónem.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Respondérunt ergo Judæi, & dixérunt: Nonne benè dícimus nos, quia Samaritánus es tu? *Joan.* 8. 48.

Capitulum. Rom. 15. 3.

CHristus non sibi plácuit; sed sicut scriptum est: Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me.

℟. *br.* Exurge, Deus; * Júdica causam tuam. *Rep.* Exurge. ℣. Memor esto improperiórum tuórum, * Júdica. *Repet.* Exurge. *Ps.* 73. 22.

℣. Exprobravérunt inimíci tui, Dómine, ℟. Exprobravérunt commutatiónem Christi tui. *Ps.* 88. 52.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Si ego glorífico meipsum, glória mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me; & non cognovistis eum. *Joan.* 8. 54. 55.

Capitulum. Hebr. 5. 7.

CHristus in diébus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia.

℟. *br.* Ipse * Rédimet Israël. *Rep.* Ipse. ℣. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. * Rédimet. *Rep.* Ipse. *Ps.* 129. 8.

℣. Dómini est salus, ℟. Et super pópulum tuum benedíctio tua. *Psal.* 3, 7. 9.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, Antequam Abraham fieret, ego sum. *Joan.* 8. 58.

Capitulum. Gal. 3. 13.

CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum, quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno; ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu.

℟. *br.* Memor fuit in séculum * Testamenti sui. *Rep.* Memor. ℣. Quod dispósuit ad Abraham. *

Testamenti. *Rep.* Memor. *Ps.* 104. 8.

℣. Exultábit Jacob, ℟. Et lætábitur Isráël. *Ps.* 52. 7.

AD VESPERAS.

Ant. de Laudibus.

Capitul. Jer. 11. *v.* 18. 19.

OStendisti mihi, Dómine, stúdia eórum. Et ego quasi Agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam.

Hymnus & Vers. ut infrà in Feriis. p. 283.

Ad Magnífic. *Ant.* 7. 5. Tulérunt ergo lápides ut jácerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exívit de templo. *Joan.* 8. 59.

Oratio ut suprà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM, *ut infrà in Feriis. p.* 283.

IN FERIIS

Per Hebdomadam Passionis, & usque ad Feriam V. in Cœna Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fílium hóminis tradendum in manus hóminum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 17. 21.

Ps. Veníte, *sine* Glória Patri; *cujus loco repetitur Invitat.*

Hymnus.

PANGE, lingua, gloriósi
Prælium certáminis,
Et super crucis trophæum
Dic triumphum nóbilem,
Quáliter Redemptor orbis
Immolátus vícerit.

DE parentis protoplasti
Fraude factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
Morsu in mortem córruit;
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multiformis proditóris
Ars ut artem fálleret;
Et medélam ferret inde,
Hostis unde læserat.

QUANDO venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis cónditor;
Atque ventre virgináli
Caro factus pródiit.

VAGIT infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo mater álligat;
Et manus, pedesque, & crura,
Strictâ cingit fásciâ.

GLORIA & honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclero;
Cui laus est & potestas
Per æterna sécula. Amen.

Antiphona & Psalmi ut in Psalterio.

Vers. Lectiones & Res-

pensoria ut in quolibet die notantur.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Antiph. Psalmi, ut in Psalterio.*

Capitulum. Jerem. 19. 11.

COgitavérunt super me consília, dicentes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs.

Hymnus.

LUSTRIS sex qui jam peractis,
Tempus implens córporis,
Se volente, natus ad hoc,
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolandus stípite.

Hic acétum, fel, arundo,
Sputa, clavi, láncea:
Mite corpus perforátur;
Sanguis, unda prófluit,
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flúmine.

CRUX fidélis inter omnes,
Arbor una nóbilis:
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sústinet.

FLECTE ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentescat ille
Quem dedit natívitas;
Ut superni membra Regis
Miti tendas stípite.

SOLA digna tu fuisti
Ferre secli prétium,
Atque portum præparáre
Nauta mundo náufrago;
Quem sacer cruor perunxit
Fusus Agni córpore.

GLORIA & honor Deo,
Usquequáque Altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Parácleto;
Cui laus est & potestas
Per æterna sécula.
Amen.

℣. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis, ℟. Sicut áspidis surdæ. *Ps.* 57. 5.

Antiph. ad Benedictus, *ut in quolibet die. Preces flexis genibus; Oratio ut in quolibet die. Non dicuntur Suffragia ad Laudes & Vesperas.*

AD PRIMAM.

Antiph. 1. ℣. Ingrédiens mundum dicit Christus: Corpus aptasti mihi; tunc dixi: Ecce vénio. *Hebr.* 10. 5. 7.

Capitulum. Is. 63. 1.

ISte formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ: ego qui loquor justítiam, & propugnátor sum ad salvandum.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe. ℣. Qui passus es pro nobis. * Miserére nobis. *Repet.* Christe.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. 1. *Petr.* 2. 21. *Psal.* 43. 26.

Preces flexis genibus.

AD TERTIAM.

Ant. 1. a. Impossíbile est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. *Hebr.* 10. 4.

Capitulum. Hebr. 10. 8.

Supériùs dicens, quia hóstias, & oblatiónes, & holocautómata pro peccáto noluisti; nec plácita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur, tunc dixi: Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam.

℟. *br.* Fiat manus tua, Dómine, * Ut salvet me. *Rep.* Fiat. ℣. Concupívi salutáre tuum. * Ut. *Rep.* Fiat.

℣. Vivet ánima mea, ℟. Et laudábit te. *Ps.* 118. 173. 174. 175.

Preces flexis genibus.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi. *Hebr.* 9. 14.

Capitulum. Hebr. 9. 15.

IDeò novi testamenti mediátor est, ut morte intercedente in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri Testamento, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt, ætérnæ hæreditátis.

℟. *br.* Véniat super me * Misericórdia tua, Dómine. *Rep.* Véniat. ℣. Salutáre tuum. * Misericórdia. *Rep.* Véniat. *Ps.* 118. 41.

℣. Tu es ipse rex meus & Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43. 5.

Preces flexis genibus.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matt.* 26. 45.

Capitulum. Hebr. 9. 16.

UBi enim testamentum est, mors necesse est intercédat testatóris; testamentum enim in mórtuis confirmátum est, alióquin nondum valet.

℟. *br.* Páuperum tuórum, Dómine, * Ne obliviscáris. *Repet.* Páuperum. ℣. Réspice in testamentum tuum. * Ne obliviscáris. *Repet.* Páuperum. *Ps.* 73. 19. 20.

℣. Tribulátio próxima est; ℟. Non est qui ádjuvet. *Psal.* 21. 12.

Preces flexis genibus.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Psalterio.

Capitulum. Deut. 9. 26.

DOmine Deus, ne disperdas pópulum tuum, & hæreditátem tuã quam redemisti in magnitúdine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordáre servórum tuórum Abraham, Isaac & Jacob: ne aspícias durítiam pópuli hujus.

Hymnus.

VExilla regis pródeunt;
Fulget crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspensus est patíbulo.

Hic vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Aqua fluit cum sánguine.

Impleta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicens: In natiónibus
Regnávit à ligno Deus.

Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpurâ,
Electa digno stípite,
Tam sancta membra tángere.

Beata, cujus bráchiis
Secli pependit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædamque tulit tártari.

O Crux, ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore,
Auge piis justítiam,
Reisque dona véniam.

Te, summa Deus Trínitas,
Collaudet omnis spíritus:
Quos per crucis mystérium
Salvas, rege per sécula.
Amen.

℣. Exacuérunt ut gládium linguas suas; ℟. Intendérunt arcum. *Psalm.* 63. 4.

Ad Magníficat, *Antiphona ut in qualibet Feria.*

Preces flexis genibus.

Oratio ut in qualibet Feria.

AD COMPLETORIUM.

Antiphona & Psalmi ut in Psalterio.

Hymnus ut in Feriis Quadragesimæ, suprà, p. 175. cum Doxologia sequenti.

Noctis per umbras glória,
Jugis tibi sit, Trínitas:
Quam placat orbis víctima,
Fuso cruóre, Fílius.
Amen.

Capitulum. 1. Petr. 5. 8.

FRatres; Sóbrii estóte, & vigiláte; quia adversárius vester diábolus, tamquam leo rúgiens, círcuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide.

℟. *br.* In manus, &c.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 4. *D.* Recogitábo tibi, Dómine, omnes annos

meos in amaritúdine ánimæ meæ. *Job.* 38. 14.

Deinde Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nostram quiétem dolorósis Fílii tui consecrasti vigíliis; præsta, Passiónis ejus virtúte, ut per hanc noctem superáre insidiantem inimícum, tuamque benedictiónem ássequi mereámur; Per eumdem Dóminum.

FERIA SECUNDA.

℣. Captábunt in ánimam justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Psalm.* 93. 21.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 3. *v.* 1.

Deus pœnitentibus se offert.

VUlgò dícitur: Si dimíserit vir uxórem suam, & recédens ab eo, dúxerit virum álterum: numquid revertétur ad eam ultrà? numquid non pollúta & contamináta erit múlier illa? Tu autem fornicáta es cum amatóribus multis: tamen revértere ad me, dicit Dóminus, & ego suscípiam te. Leva óculos tuos in diréctum, & vide ubi non prostráta sis: in viis sedébas, expectans eos quasi latro in solitúdine; & polluisti terram in fornicatiónibus tuis & in malítiis tuis. Quamobrem prohíbitæ sunt stillæ pluviárum, & serótinus imber non fuit: frons mulíeris meretrícis facta est tibi; noluisti erubéscere. Ergo saltem ámodò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es: numquid irascéris in perpétuum, aut perseverábis in finem? Ecce locúta es, & fecisti mala, & potuisti. Et dicit Dóminus ad me in diébus Josíæ regis: Numquid vidisti quæ fécerit aversátrix Israël? ábiit síbimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondóso, & fornicáta est ibi. Et dixi, cùm fecisset hæc ómnia: Ad me revértere; & non est reversa: Jerúsalem.

℟. Consílium fecérunt in unum, * Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini & comprehéndite eum, quia non est qui erípiat. *Ps.* 70. *v.* 10. 11. ℣. Misérunt príncipes & Pharisæi ministros ut apprehénderent Jesum. *Joan.* 7. 32. * Dicentes.

De libro Sapiéntiæ.

LECTIO II. *Cap.* 2. *v.* 12.

Prophetia de Christo passuro.

CIrcumveniámus justum; quóniam inútilis est nobis, & contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis pec-

gis, & diffámat in
ccáta disciplínæ no-
Promittit se sciéń-
Dei habére, & Fí-
Dei se nóminat. Fa-
st nobis in tradu-
m cogitatiónum no-
n. Gravis est nobis
ad videndum; quó-
dissímilis est áliis
llíus, & immutátæ
iæ ejus. Tamquam
es æstimáti sumus
o, & ábstinet se à
ostris tamquam ab
ndítiis; & præfert
ima justórum, &
tur patrem se habé-
um. Videámus ergo
iónes illíus veri sint,
témus quæ ventúra
lli, & sciémus quæ
novíssima illíus. Si
est verus Fílius Dei,
iet illum, & liberá-
m de mánibus con-
rum. Contumélià &
nto interrogémus
ut sciámus reverén-
ejus, & probémus
itiam illíus. Morte
simâ condemnémus
erit enim ei respe-
x sermónibus illíus.
cogitavérunt, & er-
unt: excæcávit enim
malítia eórum.

Sicut Móyses exal-
serpentem in deser-
* Ita exaltári opor-
ílium hóminis; ut
is qui credit in ip-
, non péreat, sed há-
beat vitam ætérnam. *Joan.* 3. *v.* 14. 15. ℣. Fecit Móyses serpentem æneum, & pósuit eum pro signo; quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. *Num.* 21. 9. * Ita exaltári.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 7. *v.* 32.

Christus quærendus & non inveniendus.

IN illo témpore; Misérunt Príncipes & Pharisæi ministros ut apprehénderent Jesum. Dixit ergò eis Jesus: Adhuc módicum tempus vobíscum sum, & vado ad eum qui me misit: quærétis me, & non inveniétis; & ubi ego sum, vos non potestis veníre. Et réliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 49. *in c.* 7. *Joan.*

NOn si Gentes significáret, díceret: Quò vado vos non potestis veníre. Cùm autem dícerent: Numquid in dispersiónem géntium itúrus est; non dixérunt, & perditúrus eas, sed doctúrus: sic jam mitigáta erat illórum ira, & ipsíus verbis credidérunt; neque enim áliter quæsíssent invicem quid díceret. Verùm hæc illis dicta sunt; sed timendum

ne in nobis quoque ea verba locum hábeant, quòd ubi est, veníre non póssumus. Síquidem vita nostra scélerum plena est. De discípulis enim ait: Volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum. De nobis contrà tímeo ne dicátur: Ubi ego sum, vos non potestis veníre. Quómodo enim potérimus; cùm contrária quàm præcipiuntur, operémur? Etenim inter séculi hómines, si quis mílitum præter regis voluntátẽ facit, ad regem non admíttitur; sed múnere & dignitáte exautorátus, último afficitur supplício. Itidem & nos cùm cupiditáti servímus, cùm rápimus, cùm vim inférimus, cùm verberámus, cùm non fácimus eleemósynam, illuc nullo pacto admíttimur: sed id nobis, quod & virgínibus, accidet, quibus ad sponsum íngredi non lícuit.

℟. Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; * Quantò magis sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis. *Hebr.* 9. 13. 14. ℣. Dixit Dóminus ad Móysen: Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocaustum. *Num.* 28. 1. 15. * Quantò magis. *Repet.* Si sanguis, *usque ad* ℣.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Misérunt Príncipes & Pharisæi minístros ut apprehénderent Jesum. *Joan.* 7. *v.* 32.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

SAnctífica, quæsumus, Dómine, nostra jejúnia; & cunctárum nobis indulgéntiam propítius largíre culpárum; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

An. 1565. *part.* 2. *tit.* 6.

COnfessóres, Cánones pœnitentiáles bene nóverint; & de pœniténtia quam cuique peccáto præscripsérunt, confitentes admóneant; ut tantò diligéntiùs à peccátis cavére stúdeant, quantò in pœniténtiis Cánonum mitigandis benigniórem in se Ecclésiam experiuntur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Nondum erat Spíritus datus; quia Jesus nondum erat glorificátus. *Joan.* 7. 39.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

CLamántium ad te, quæsumus, Dómine, preces dignanter exaudi; ut sicut Ninivítis in afflictióne pósitis pepercisti,

ita & nobis in præsenti tribulatióne succurras; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

℣. Convenérunt in unum adversùs Dóminum, ℟. Et adversùs Christum ejus. *Ps.* 2. 2.

De Jeremía Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 5. 3.

Prophetæ mendaces.

Dómine, óculi tui respíciunt fidem: percussísti eos, & non doluérunt: attrivísti eos, & renuérunt accípere disciplínam: induravérunt fácies suas supra petram, & noluérunt reverti. Ego autem dixi: Fórsitan páuperes sunt & stulti, ignorantes viam Dómini, judícium Dei sui. Ibo ígitur ad optimátes, & loquar eis; ipsi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei sui: & ecce magis hi simul confregérunt jugum, rupérunt víncula. Negavérunt Dóminum, & dixérunt: Non est ipse: neque véniet super nos malum; gládium & famem non vidébimus. Prophétæ fuérunt in ventum locúti, & responsum non fuit in eis. Hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Peccáta vestra prohibuérunt bonum à vobis: quia inventi sunt in pópulo meo ímpii insidiantes quasi áucupes, láqueos ponentes & pedícas ad capiendos viros. Sicut decípula plena ávibus, sic domus eórum plenæ dolo: ideò magnificáti sunt & ditáti; incrassáti sunt & impinguáti; & præteriérunt sermónes meos péssimè. Causam víduæ non judicavérunt, causam pupilli non direxérunt, & judícium páuperum non judicavérunt. Numquid super his non visitábo, dicit Dóminus? aut super gentem hujúsmodi non ulciscétur ánima mea? Stupor & mirabília facta sunt in terra: Prophétæ prophetábant mendácium, & Sacerdótes applaudébant mánibus suis; & pópulus meus diléxit tália: quid ígitur fiet in novíssimo ejus? Jerúsalem.

℟. Post hebdómades sexaginta duas * Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. *Dan.* 9. 26. ℣. Consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18. 31. * Occidétur.

De Isaía Prophéta.

Lect. II. *Cap.* 50. *v.* 4.

Passio Christi prædicta.

Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo: éri-

git manè, manè érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magistrum. Dóminus Deus apéruit mihi aurem: ego autem non contradíco; retrorsùm non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus: fáciem meam non averti ab increpántibus, & conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus; ídeò non sum confúsus: ídeò pósui fáciem meam ut petram duríssimam, & scio quóniam non confundar. Juxtà est qui justíficat me; quis contradícet mihi? stemus simul, quis est adversárius meus? accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condemnet me? ecce omnes quasi vestimentum conterentur; tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? Qui ambulávit in ténebris, & non est lumen ei, speret in nómine Dómini, & innitátur super Deum suum.

℟. Ponet in púlvere os suum; * Dabit percutienti se maxillam; saturábitur oppróbriis. *Thren.* 3. 29. 30. ℣. Tradétur géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur. *Luc.* 18. 32. * Dabit percutienti.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 7. *v.* 1.

Christus latens.

IN illo témpore; Ambulábat Jesus in Galilæam: non enim volébat in Judæam ambuláre; quia quærébant eum Judæi interfícere. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 28.

CHristus manens Deus, accépit hóminem, qui fecit hóminem. Quando ergo látuit ut homo, non poténtiam perdidisse putandus est, sed exemplum nostræ infirmitáti præbuisse. Ille enim quando vóluit, detentus est; quando vóluit, occísus est. Sed quóniam futúra erant membra ejus, id est, fidéles ejus, qui non habérent illam potestátem quam habébat ipse Deus noster: quòd latébat, quòd se, tamquam ne occiderétur, occultábat; hoc indicábat factúra esse membra sua, in quibus útique membris suis ipse erat. Non enim Christus in cápite, & non in córpore: sed Christus totus in cápite, & in córpore. Quod ergo membra ejus, hoc ipse: quod autem ipse, non contínuò membra ejus. Nam si non ipse essent membra ejus, non díceret:

diceret : Saule, quid me perséqueris ? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est, fidéles ejus in terra persequebátur. Nóluit tamen dicere sanctos meos, servos meos; postrémò honorabiliùs, fratres meos; sed, me: hoc est, membra mea, quibus ego sum caput.

℟. Sicut fuit Jonas in ventre ceti, * Sic erit Filius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nóctibus. *Matt.* 12. 40. ℣. Erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. *Jon.* 2. 1. * Sic erit. *Repet.* Sicut, *usque ad versum.*

Ad Benedict. *Ant.* 4. f. Ambulábat Jesus in Galilæam, non enim volébat in Judæam ambuláre; quia quærébant eum Judæi interficere. *Joan.* 7. 1.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

NOstra tibi, Dómine, quæsumus, sint accepta jejúnia : quæ nos expiando, grátiâ tuâ dignos effíciant, & ad remédia perdúcant ætérna; Per.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 24. *c.* 8. *de reform.*

QUando ab áliquo públicè & in multórum conspectu crimen commissum fúerit, unde álios scándalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœniténtiam públicè injungi oportet.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Ascendit Jesus ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. *Joan.* 7. 10.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, persevérantem in tua voluntáte famulátum : ut in diébus nostris, & mérito, & número pópulus tuus tibi sérviens augeátur; Per.

FERIA QUARTA.

℣. Locúti sunt vanitátes; ℟. Et dolos totâ die meditabantur. *Ps.* 37. 13.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 6. *v.* 16.

Holocautomata Judæorum rejecta.

HÆc dicit Dóminus: State super vias, & vidéte, & interrogáte de sémitis antíquis, quæ sit via bona, & ambuláte in ea : & inveniétis refrigérium animábus vestris. Et dixérunt : Non ambulábimus. Et constítui super vos speculatóres. Audíte vocem tubæ. Et dixérunt: Non audiémus. Ideò audíte, gentes, & cognosce congregátio, quanta ego fáciam eis. Audi terra : Ecce ego addúcam mala super pópulum istum,

fructum cogitatiónum ejus : quia verba mea non audiérunt, & legem meam projecérunt. Ut quid mihi thus de Saba affertis, & cálamum suáve olentem de terra longinqua ? holocautómata vestra non sunt accepta, & víctimæ vestræ non placuérunt mihi. Proptéreà hæc dicit Dñs : Ecce ego dabo in pópulum istum ruinas, & ruent in eis patres & filii simul, vicínus & próximus períbunt. Jerúsalem.

℟. Cùm esset Cáiphas Póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jesus moritúrus erat pro gente ; & non tantùm pro gente, * Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum. *Joan.* 11. 51. 52. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum. *Joan.* 3. 17. * Sed ut.

De Isaía Prophéta.

LECTIO II. *Cap.* 53. *v.* 1.

Prophetia de Christo passuro.

QUis crédidit audítui nostro ? & bráchium Dómini cui revelátum est ? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti : non est spécies ei, neque decor : & vídimus eum, & non erat aspectus, & desiderávimus eum. Despectum, & novíssimum virórum, virū dolórum, & scientem infirmitátem : & quasi abscónditus vultus ejus & despectus, unde nec reputávimus eum. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit : & nos putávimus eum quasi leprósum, & percussum à Deo & humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit : & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm.

℟. Illúdent ei, & cónspuent eum, * Et flagellábunt eum, & interfícient eum. *Marc.* 10. 34. ℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. *Is.* 53. 7. * Et.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 10. 22.

IN illo témpore ; Facta sunt Encænia in Jerosólymis ; & hyems erat. Et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 48.

ENcænia festívitas erat dedicatiónis templi.

Illum enim diem quo templum dedicátum est, Judæi solémniter celebrábant. Dicébant ei: Quousque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me; sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Didicistis quæ sint oves; estóte oves. Oves credendo sunt; oves pastórem sequendo sunt; oves redemptórem non contemnendo sunt; oves per óstium intrando sunt; oves exeundo, & páscua inveniendo sunt; oves vitâ æternâ perfruendo sunt. De illis autem óvibus, de quibus dicit Apóstolus, Novit Dóminus qui sunt ejus: &, Quos præscívit, ipsos & prædestinávit; quos autem prædestinávit, ipsos & vocávit; quos autem vocávit, illos & justificávit; quos autem justificávit, ipsos & glorificávit: de óvibus, inquam, istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro intérficit. Secúrus est de número eárum, qui pro eis novit quod dedit.

℟. Fílius hóminis tradétur in manus hóminum, & occídent eum; * Et occísus tértiâ die resúrget. *Marc.* 9. 30. ℣. Inglórius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter fílios hóminum. *Is.* 52. 14. * Et occísus. *Repet.* Fílius, *usque ad versum.*

Ad Benedict. *Ant.* 1. g. Sustulérunt lápides Judæi, ut lapidárent eum. *Joan.* 8. 31.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

SAnctificáto hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium, miserátor illustra: & quibus devotiónis præstas affectum, præbe supplicántibus pium benignus audítum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Parisiensi.

An. 829. *Cap.* 32. *Can.* 1.

SAcerdótes qui aut múneris, aut amóris, aut timóris, aut certâ favóris causâ, témpora modumque pœniténtiæ, ad líbitum pœniténtium índicant; áudiant quid Dñs per Ezechiélem Prophétam terribíliter dicat: Erit manus mea super prophétas qui decéperint pópulum meum, dicentes; Pax, pax; & non est pax.

Ad Magnífic. *Ant.* 7. d. Quærébant ergo eum apprehéndere, & exívit de

mánibus eórum. *Joan.* 10. 39.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

EXaudi, quæsumus, Dómine, gémitum pópuli supplicantis; ut, qui de meritórum qualitáte diffidimus, non judícium, sed misericórdiam consequámur; Per.

FERIA QUINTA.

℣. Captábunt in ánimam justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93. 21.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 7. *v.* 11.

Templum destruendum.

NUmquid spelunca latrónum facta est domus ista, in qua invocátum est nomen meum in óculis vestris? Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dóminus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitávit nomen meum à princípio: & vidéte quæ fécerim ei propter malítiam pópuli mei Israël. Et nunc, quia fecistis ómnia ópera hæc, dicit Dóminus: & locútus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: & vocávi vos, & non respondistis: Fáciam dómui huic, in qua invocátum est nomen meum, & in qua vos habétis fidúciam, & loco quem dedi vobis & pátribus vestris, sicut feci Silo. Et projiciam vos à fácie mea, sicut projéci omnes fratres vestros, univérsum semen Ephraïm. Tu ergo noli oráre pro pópulo hoc, nec assúmas pro eis laudem & oratiónem, & non obsistas mihi: quia non exáudiam te. Jerúsalem.

℟. Consílium fecérunt in unum, * Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini & comprehéndite eum, quia non est qui erípiat. *Psal.* 70. *v.* 10. 11. ℣. Misérunt Príncipes & Pharisæi minístros ut apprehénderent Jesum. *Joan.* 7. 32. * Dicentes.

De Isaía Prophéta.

LECTIO II. *Cap.* 53. *v.* 7.

Prophetia de Christo passuro.

OBlátus est quia ipse vóluit, & non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non apériet os suum. De angústia & de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscissus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percussi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, & divitem pro morte sua: eò quòd iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore

ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte : si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, & voluntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quòd laborávit ánima ejus, vidébit & saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, & iniquitátes eórum ipse portábit. Ideò dispértiam ei plúrimos, & fórtium dívidet spólia, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam, & cum scelerátis reputátus est ; & ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit.

℞. Sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto, * Ita exaltári oportet Fílium hóminis, ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. *Joan.* 3. *v.* 14. 15. ℣. Fecit Móyses serpentem æneum, & pósuit eum pro signo ; quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. *Num.* 21. 9. * Ita exaltári.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 7. 36.

IN illo témpore ; Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo : & ingressus domum Pharisæi, discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 33.

LIquet, fratres, quòd illícitis áctibus priùs múlier intenta, unguentum sibi pro odóre suæ carnis adhíbuit. Quod ergo sibi túrpiter exhibúerat, hoc jam Deo laudabíliter offerébat. Oculis terréna concupíerat ; sed hos jam per pœniténtiam cónterens flebat. Capillos ad compositiónem vultûs exhibúerat ; sed jam capillis lácrymas tergébat. Ore supérba díxerat ; sed pedes Dómini ósculans, hoc in Redemptóris sui vestígia figébat. Quot ergo in se hábuit oblectamenta, tot de se invénit holocausta. Convertit ad virtútum númerum, númerum críminum ; ut totum servíret Deo in pœniténtia, quidquid ex se Deum contémpserat in culpa. Sed hoc Pharisæus íntuens déspicit : & non solùm venientem peccatrícem mulíerem, sed étiam suscipientem Dóminum reprehendit, dicens intra se : Hic si esset prophéta, sciret utique quæ & qualis est múlier quæ tangit eum, quia peccátrix est. Ecce Pharisæus, veráciter apud se superbus, & falláciter justus, ægram reprehendit

de ægritúdine, médicum de subventióne; qui ipse quoque de elatiónis vúlnere ægrotábat, & ignorábat. Inter duos autem ægros médicus áderat: sed unus æger in febre íntegrum sensum tenébat; alter verò in febre carnis & sensum perdíderat mentis. Illa quippe flebat quod fécerat: Pharisæus autem de falsa justítia elátus, vim suæ invalitúdinis exaggerábat. In ægritúdine ergo & sensum perdíderat, qui hoc ipsum quoque, quòd à salúte longè esset, ignorábat. Sed inter hæc nos gémitus cogit quosdam nostri órdinis viros intuéri, qui sacerdotáli offício prædíti, si quid fortasse justè extériùs vel tenúiter égerint, prótinus subjectos despíciunt, & peccatóres quosque in plebe pósitos dedignantur, eisque cómpati culpam suam confiténtibus nolunt; ac velut Pharisæi more, à peccatríce mulíere tangi despíciunt. Quæ profectò múlier si ad Pharisæi pedes venisset, nimírum cálcibus repulsa discéderet. Inquinári enim se aliéno peccáto créderet. Sed quia hunc vera justítia non replébat, de aliéno vúlnere ægrotábat. Unde semper necesse est, ut cùm peccatóres quosque conspícimus, nosmetipsos priùs in illórum calamitáte defleámus; quia fortasse in símilibus, aut lapsi sumus, aut labi póssumus, si lapsi non sumus.

℞. Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, * Quantò magis sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis. *Hebr.* 9. 13. 14. ℣. Dixit Dóminus ad Móysen: Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocaustum. *Num.* 28. 1. 15. * Quantò magis. *Repet.* Si sanguis, *usque ad versum.*

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Remittuntur ei peccáta multa; quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7. 47.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut dígnitas conditiónis humánæ per immoderántiam sauciáta, medicinális parcimóniæ stúdio reformétur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Lateranensi secundo œcuménico.

An. 1139. *Can.* 22.

QUia inter cætera unum est quod sanctam máximè perturbat Ecclésiam, falsa vidélicet pœniténtia: Confratres

nostros & Presbyteros admonémus, ne falsis pœniténtiis, laïcórum ánimas décipi, & in infernum pértrahi patiantur. Falsam pœniténtiam esse constat, cùm spretis plúribus, de uno solo pœniténtia ágitur; aut cùm sic ágitur de uno, ut non discedátur ab álio: cùm pœnitens ab offício non recédit, quod sine peccáto agi nullâ ratióne prævalet; aut si ódium in corde gestétur, aut si offénso cuílibet non satisfiat, aut si offendenti offénsus non indúlgeat.

FERIA SEXTA.

Fit Officium

DE COMPASSIONE B. M.

Duplex-majus.

AD I. VESPERAS.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. b. Cui comparábo te, filia Jerúsalem? cui exæquábo te, filia Sion? *Thren.* 2. 13.

Ant. 3. a. Lácrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus. *Thr.* 1. 2.

Ant. 8. c. Torcúlar calcávit Dóminus vírgini filiæ Juda, quóniam inváluit inimícus. *Thr.* 1. 15. 16.

Ant. 6. F. Fília Sion oppressa est amaritúdine, & egressus est omnis decor ejus. *Thr.* 1. 4. 6.

Ant. 4. f. Ipsa gemens conversa est retrorsùm: depósita est vehementer, non habens consolatórem. *Thr.* 1. 8. 9.

Capitulum. Thren. 1. 20.

Vide, Dómine, quóniam tríbulor; conturbátus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa; quóniam amaritúdine plena sum: foris intérficit gládius, & domi mors símilis est.

℟. Símeon dixit ad Maríam matrem Jesu: Ecce pósitus est hic in signum cui contradicétur; * Et tuam ipsíus ánimam pertransibit gládius. *Luc.* 2. *v.* 34. 35. ℣. Fílium tuum unigénitum quem díligis, ófferes. *Gen.* 22. 2. * Et tuam. *Non dicitur* Glória Patri; *sed repetitur* Símeon.

Hymnus. H. Vabr. Ep.

Dum spargit aram sánguine
Jesus salútis hóstia,
Præsens dolóris æmulum
María pectus ímmolat.

Caput cruentum filii
Matris corónat vérticem:
Clavis iisdem figitur
Christus cruci, Christo parens.

O passionis mútuæ,
Jesu, María, cónscii;
Alterna vobis vúlnera
Inferre tandem párcite.

Quem vos dolétis, noster est
Error, furorque críminum:

Totum scelus faténtibus
Partem dolóris réddere.
Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus ipse te enútriet; ℟. Non dabit in ætérnum fluctuatiónem. *Ps.* 54. 23.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. *Zachar.* 12. 10.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, córdibus nostris íntimum veræ pietátis affectum; ut in tui Fílii passióne sanctíssimæ Matri ejus dignè compatientes, salutáris mystérii fructum percípere mereámur; Per Dóminum.

Pro commemor. Feriæ.

Ant. Dixit Jesus ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit. *Luc.* 7. 50.

℣. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis, ℟. Sicut áspidis surdæ. *Psal.* 57. 5.

Orémus. *Oratio.*

ESto, quæsumus, Dómine, propítius plebi tuæ; ut, quæ tibi non placent respuentes, tuórum pótiùs repleantur delectatiónibus; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM, *ut in Feriis suprà, pag.* 157. *At non dicuntur Preces.*

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesum crucifixum, super quem planxit Mater quasi super unigénitum, * Veníte, adorémus, *Zach.* 12. 10.

Psalm. Veníte, *sine*, Glória Patri; *cujus loco repetitur Invitatorium.*

Hymnus Dum spargit aram, *ut suprà in primis Vesperis, pag.* 295.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Projécit de cœlo Dóminus in terram ínclytam Israël. *Thren.* 2. *v.* 1.

Ant. 7. ç. Non est recordátus scabelli pedum suórum in die furóris sui. *Ibid.*

Ant. 6. F. Destruxit in furóre suo munitiónes vírginis Juda. *Ibid.*

℣. Usquequò, Dómine, oblivísceris in finem? ℟. Usquequò avertis fáciem tuam? *Ps.* 12. *v.* 1.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 8. *v.* 8. *Filia Jerusalem contrita.*

QUómodo dícitis: Sapientes nos sumus, & lex Dómini nobiscum est? verè mendácium operátus est stylus mendax scribárum. Confúsi sunt sapientes, pertérriti & capti sunt: verbum enim Dómini pro-

fecérunt, & sapiéntia nulla est in eis. Proptéreà dabo mulíeres eórum éxteris, agros eórum herédibus: quia à mínimo usque ad máximum omnes avarítiam sequuntur; à prophéta usque ad sacerdótem cuncti fáciunt mendácium. Et sanábant contritiónem fíliæ pópuli mei ad ignomíniam, dicentes: Pax, pax; cùm non esset pax. Confúsi sunt, quia abominatiónem fecérunt: quin immò confusióne non sunt confúsi, & erubéscere nesciérunt: idcircò cadent inter corruentes, in témpore visitatiónis suæ córruent, dicit Dóminus. Jerúsalem.

℟. *j.* Quò ábiit diléctus tuus, * O pulchérrima mulíerum! quò declinávit diléctus tuus! *Cant.* 5. *v.* 17. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * O pulchérrima.

Lectio II. *v.* 16.

Clamor filiæ Jerusalem.

ADan audítus est frémitus equórum ejus; à voce hinnítuum pugnatórum ejus commóta est omnis terra; & venérunt, & devoravérunt terram, & plenitúdinem ejus; urbem, & habitatóres ejus. Quia ecce ego mittam vobis serpentes régulos, quibus non est incantátio; & mordébunt vos, ait Dóminus. Dolor meus super dolórem, in me cor meum mœrens. Ecce vox clamóris fíliæ pópuli mei de terra longinqua: Numquid Dóminus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Quare ergo me ad iracúndiam concitavérunt in sculptílibus suis, & in vanitátibus aliénis? Tránsiit messis, finíta est æstas, & nos salváti non sumus. Super contritióne fíliæ pópuli mei contrítus sum & contristátus: stupor obtínuit me. Numquid resína non est in Galaad? aut médicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicátrix fíliæ pópuli mei? Jerúsalem.

℟. Sequebátur Jesum turba mulíerum, * Quæ plangébant & lamentabantur eum. *Luc.* 23. 27. ℣. Abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. *Thr.* 2. 10. * Quæ plangébant.

Lect. III. *Cap.* 9. *v.* 17.

Vox lamentationis.

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Isræl: Contemplámini, & vocáte lamentatríces, & véniant: & ad eas quæ sapientes sunt míttite, & próperent. Festínent, & assúmant super nos lamentum: dedúcant óculi nostri lácrymas, & pál-

pebræ nostræ défluant aquis. Quia vox lamentatiónis audíta est de Sion: Quómodò vastáti sumus & confúsi vehementer? quia derelíquimus terram, quóniam dejecta sunt tabernácula nostra. Audíte ergo, mulíeres, verbum Dómini; & assúmant aures vestræ sermónem oris ejus: & docéte filias vestras lamentum, & unaquæque próximam suam planctum. Quia ascendit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras, dispérdere párvulos déforis, júvenes de platéis. Jerúsalem.

℟. iij. Omnis turba eórum qui simul áderant ad spectáculum illud, percutientes péctora sua revertebantur. Stabant autem * Noti ejus & mulíeres de longè aspicientes. *Luc.* 23. 48. 49. ℣. Plangent eum planctu quasi super unigénitum. *Zach.* 12. 10. * Noti ejus. *Rep.* Omnis.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. à. Tetendit Dóminus arcum suum quasi inimícus. *Thr.* 2. *v.* 4.

Ant. 7. d. Firmávit déxteram suam quasi hostis. *Ibid.*

Ant. 5. a. Occídit omne quod pulchrũ erat visu in tabernáculo fíliæ Sion. *Ib.*

℣. Deus in médio ejus; ℟. Non commovébitur. *Psi.* 45. 6.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

LECTIO IV.

In Sign. magn.

MArtyrium Vírginis tam in Simeónis prophetía, quàm in ipsa Domínicæ passiónis história commendátur. Pósitus est hic, ait sanctus senex de párvulo Jesu, in signum cui contradicétur; & tuam ipsíus ánimam, (ad Maríam autem dicébat,) pertransibit gládius. Verè tuam, ô beata Mater, ánimam gládius pertransívit; alióquin, nonnisi eam pertránsiens, carnem Fílii tui penetráret. Et quidem, postéaquàm emísit spíritum tuus ille Jesus, ómnium quidem, sed speciáliter tuus; ipsíus planè non áttigit ánimam crudélis lánceа, quæ ipsíus, nec mórtuo parcens cui nocére non posset, apéruit latus: sed tuam útique ánimam pertransívit. Ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat; sed tua planè inde nequíbat avelli. Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris; ut plusquàm mártyrem non immériò prædicémus, in qua nimírum corpóreæ sensum passiónis excésserit compassiónis affectus. Tu autem.

℟. iv. Dedúcant óculi nostri lácrymas: * Vox lamentatiónis audíta est de Sion. Jer. 9. 18. ℣. Si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet. Luc. 23. 31. * Vox.

LECTIO V.

AN non tibi plusquàm gládius fuit sermo ille, revéra pertránsiens ánimam, & pertingens usque ad divisiónem ánimæ & spíritûs: Múlier, ecce fílius tuus? O commutatiónem! Joannes tibi pro Jesu tráditur; servus pro dómino; discípulus pro magistro; filius Zebedæi pro Fílio Dei; homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosíssimam ánimam pertransíret hæc audítio; quando & nostra, licèt sáxea, licèt férrea péctora, sola recordátio scindit?

℟. v. Ipsa gemens convérsa est retrorsùm; * Depósita est vehementer, non habens consolatórem. Thr. 1. 8. 9. ℣. María de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. Matt. 1. 16. * Depósita est vehementer.

LECTIO VI.

NOn mirémini, fratres, quòd María martyr in ánima fuisse dicátur. Mirétur qui non memínerit se audísse Paulum inter máxima géntium crímina memorantem, quòd sine affectióne fuissent. Longè id fuit à Maríæ viscéribus; longè id sit étiam à sérvulis ejus. Sed fortè quis dicat: Numquid non eum præscíerat moritúrum? Et indubitanter. Numquid non sperábat contínuò resurrectúrum? Et fidenter. Super hæc dóluit crucifixum? Et vehementer. Alióquin, quisnam tu, frater; aut unde tibi hæc sapiéntia, ut miréris plus Maríam compatientem, quàm Maríæ Fílium patientem? Ille étiam mori córpore pótuit; ista cómmori corde non pótuit? Fecit illud cháritas, quâ majórem nemo hábuit; fecit & hoc cháritas, cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. vj. Fília Jerúsalem, * Numquid rex non est tibi, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? Mich. 4. 9. ℣. Ne tímeas, María; invenisti enim grátiam apud Deum. Luc. 1. 30. * Numquid. Rep. Fília.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Magna est velut mare contrítio tua: quis medébitur tuî? Thr. 2. 13.

Ant. 4. D. Non repellet in sempitérnum Dóminus. Thr. 3. 31.

Ant. 2. D. Si abjécit

& miserébitur secundùm multitúdinem misericordiárum suárum. *Thr.* 3. 32.

℣. Potestas Dei est, ℟. Et tibi, Dómine, misericórdia. *Ps.* 61. 12.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

LECT. VII. *Cap.* 6. *v.* 14.

Gloria in cruce.

MIhi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicumque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, & misericórdia, & super Israël Dei. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto.

℟. *vij.* Supra modum mater mirábilis pereuntem filium conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat: * Repléta sapiéntia, & femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens. 2. *Mach.* 7. *v.* 20. 21. ℣. Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. *Joan.* 19. *v.* 25. * Repléta sapiéntiâ, & feminеæ.

De Epístola béati Pauli Apóstoli ad Ephésios.

LECT. VIII. *Cap.* 2. *v.* 13.

Per crucem reconciliatio.

IN Christo Jesu, vos, qui aliquando erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hóminem, fáciens pacem; & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetipso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longè fuistis; & pacem iis qui propè.

℟. *viij.* Erit tibi Dóminus in lucem sempiternam; * Et complebuntur dies luctûs tui. *Isai.* 60. *v.* 20. ℣. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45. * Et complebuntur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECT. IX. *Cap.* 19. *v.* 25.

Maria juxta crucem.

IN illo témpore; Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

De Institut. Virg. Cap. 7.

CLáudite ora, ímpii; aperíte aures, pii: audíte quid Christus loquátur. Testátur de cruce Dóminus Jesus, & paulísper públicam differt salútem, ne matrem inhonóram relinquat. Subscríbitur Joannes in testaménto Christi: legátur matri pudóris defénsio, testimónium integritátis: legátur & discípulo matris custódia, pietátis grátiâ commendátur. Ex illo suscépit eam discípulus in sua. Non útique Christus faciébat divórtium, non María relinquébat virum; sed cum quo Virgo habitáre debébat, quàm cum eo quem fílii hærédem, integritátis sciret esse custódem? Stabat ante crucem mater, & fugiéntibus viris stabat intrépida. Vidéte, utrùm pudórem mutáre potúerit mater Jesu, quæ ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis Fílii vúlnera, per quem sciébat ómnibus futúram redemptiónẽ. Stabat non degéneri mater spectáculo, quæ non metúeret peremptórem. Pendébat in cruce Fílius; mater se persecutóribus offerébat. Si hoc solùm esset ut ante Fílium prosternerétur, laudandus pietátis affectus, quòd Fílio superstes esse nolébat. Sin verò, ut cum Fílio morerétur, cum eódem gestiébat resúrgere, non ignára mystérii quòd genuísset resurrectúrum.

℟. *ix.* Ex illa hora accépit matrem Jesu discípulus in sua; erat ferè hora sexta, * Et ténebræ factæ sunt in universam terram. *Joan.* 19. 27. *Luc.* 23. 44. ℣. Infirmáta est quæ péperit; defécit ánima ejus; óccidit ei sol, cùm adhuc esset dies; *Jer.* 15. 9. * Et ténebræ. *Rep.* Ex illa.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lect. X. *Cap.* 11. *v.* 47.

Mortem Jesu Judæi statuunt.

IN illo témpore; Collegérunt Pontífices & Pharisæi concílium, & dicébant: Quid fácimus? quia hic homo multa signa facit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 49.

DIcébant: Quid fácimus? nec tamen dicébant: Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodo nocérent, ut pérderent; quàm quómodò sibi consúlerent, ne perírent. Et tamen timébant, & quasi consulébant. Dicébant enim: Quid fácimus? quia

hic homo multa signa facit : si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum; & vénient Románi, & tollent nostrum locum & gentem. Temporália pérdere timuérunt, & vitam ætérnam non cogitavérunt; ac sic utrumque amisérunt. Nam & Románi post Dómini passiónem & glorificatiónem tulérunt eis & locum & gentem, expugnando & transferendo; & illud eos séquitur quod álibi dictum est : Filii autem regni hujus ibunt in ténebras exterióres.

Non dicitur Responsorium; nec Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Adjuvábit eam Deus, ℟. Manè dilúculo. *Ps.* 45. 6.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. *g.* STabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ. *Joan.* 19. 25.

Ant. 2. D. Cùm vidísset ergo Jesus matrem & discípulum stantem quem diligébat, dicit matri suæ : Ecce filius tuus. *Joan.* 19. 26.

Ant. 3. b. Deinde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discípulus in sua. *Joan.* 19. 27.

Ant. 4. f. Obtexit.

Canticum. Thren. 2. 1.

QUómodo obtexit calígine in furóre suo Dóminus * filiam Sion :

Projécit de cœlo in terram * ínclytam Israël :

Et non est recordátus scabelli pedum suórum * in die furóris sui.

Præcipitávit Dóminus, nec pepercit, * ómnia speciósa Jacob :

Destruxit in furóre suo munitiónes vírginis Juda : * & dejécit in terram.

Pólluit regnum * & príncipes ejus.

Confrégit in ira furóris sui * omne cornu Israël :

Avertit retrorsùm déxteram suam * à fácie inimíci :

Et succendit in Jacob quasi ignem flammæ * devorantis in gyro.

Tetendit arcum suum quasi inimícus; * firmávit déxteram suam quasi hostis :

Et occídit omne quod pulchrum erat visu, * in tabernáculo filiæ Sion.

Ant. Obtexit calígine in furóre suo Dóminus fíliam Sion. *Thr.* 2. 1.

Ant. 7. b. Fecit Dóminus quæ cogitávit; complévit sermónem suum, & non pepercit. *Thren.* 2. 17.

Capitulum. Thr. 3. *v.* 48. 49.

DIvisiónes aquárũ dedúxit óculus meus, in contritióne filiæ pópuli mei. Oculus meus afflíctus est, nec tácuit; eò quòd non esset réquies.

Hymnus. H. Vabr. Ep.

ILLÆSA, te, puérpera,
Non fécerat matrem dolor:
Nascente, quem nescíveras,
Orbáta sentis Fílio.

DUM te salútat últimùm
Natóque tradit álteri,
Natumque tradit álterum,
In morte Christum párturis.

NON ejulantem cérnimus,
Non ungue vellentem comas;
Silensque plus novit pati
Virtus dolóre fórtior.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus, ℟. Et adorábunt eum. *Ps.* 44. 12.

Ad Benedict. *Ant.* 6. F. Fortis est ut mors diléctio: aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, neque flúmina óbruent illam. *Cant.* 8. 6. 7.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, córdibus nostris íntimum veræ pietátis affectum; ut in Fílii tui passióne sanctíssimæ Matri ejus dignè compatientes, salutáris mystérii fructum percípere mereámur; Per Dóminum.

Fit Comm. Feriæ.

Antiphona. Expedit ut unus moriátur homo pro pópulo, & non tota gens péreat; hoc autem à semetipso non dixit. *Joan.* 11. 50.

℣. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis, ℟. Sicut áspidis surdæ. *Ps.* 57. 5.

Orémus. *Oratio.*

COrdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; ut peccáta nostra castigatióne voluntáriâ cohibentes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm supplíciis deputémur ætérnis; Per Dóminum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, dicitur sequens Doxologia:

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *g.* Stabant.

Capitulum. Thren. 1. 12.

O Vos omnes qui transítis per viam, atténdite & vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

℟. *br.* Christe, Fili. ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Non dicitur* Glória, *sed repet.* Christe. ℣. Exurge.

C A N O N.

Ex Concílio Lateranensi quarto œcuménico:

An. 1215. *Can.* 21.

SAcerdos sit discrétus & cautus, ut more períti médici superinfúndat vinum & óleum vulnéribus sauciáti; diligenter inquírens & peccatóris circumstántias & peccáti, per quas prudenter intélligat quale illi consílium débeat exhibére, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrótum.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Cùm vidisset.

Capitulum. Jerem. 14. 17.

DEdúcant óculi mei lácrymam per noctem & diem, & non táceant: quóniam contritióne magnâ contríta est virgo filia pópuli mei, plagâ péssimâ vehementer.

℟. *br.* Deus virtútum, * Quousque irascéris? *Rep.* Deus. ℣. Cibábis nos pane lacrymárum? * Quousque. *Rep.* Deus.

℣. Potum dabis nobis in lácrymis, ℟. In mensúra. *Ps.* 79. 6.

AD SEXTAM.

Ant. 5. b. Deinde dicit.

Capitulum. Tob. 4. 3.

HOnórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus.

℟. *br.* Ego, Dómine, * Servus tuus. *Rep.* Ego. ℣. Et filius ancillæ tuæ. * Servus. *Rep.* Ego, Dómine.

℣. Dirupisti víncula mea; ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Psal.* 115. 16. 17.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Fecit Dóminus.

Capitulum. Jerem. 8. 18.

DOlor meus super dolórem: in me cor meum mœrens: ecce vox clamóris filiæ pópuli mei.

℟. *br.* Usquequò, Deus, * Improperábit inimícus? *Rep.* Usquequò. ℣. Irrítat adversárius nomen tuum in finem? * Improperábit. *Repet.* Usquequò. *Ps.* 73. 10.

℣. Usquequò, Dómine, avertis in finem? ℟. Exardescet sicut ignis ira tua. *Ps.* 88. 47.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Psalmi Feriales.

Capitulum. Thren. 2. 1.

QUómodo obtexit calígine in furóre suo

Dóminus filiam Sion: projécit de cœlo in terram inclytam Isráël, & non est recordátus scabelli pedum suórum in die furóris sui.

Hymnus Dum spargit, *ut in prim. Vesperis.* 295.

℣. Ad vésperum demorábitur fletus; ℟. Et ad matutínum lætítia. *Psal.* 29. 6.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Dedúcant óculi mei lácrymam per noctem & diem, & non táceant; quóniam contritióne magnâ contríta est virgo. *Jer.* 14. 17.

Oratio, Da quæsumus, *ut suprà ad Laudes.*

Pro Commemoratione Feriæ.

Ant. Prophetávit Póntifex, quòd Jesus moritúrus erat, non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum. *Joan.* 11. *v.* 51. 52.

℣. Exacuérunt ut gládium linguas suas; ℟. Intendérunt arcum. *Psal.* 63. 4.

Orémus. *Oratio.*

CONcéde, quæsumus, omnípotens Deus; ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus, liberáti à malis ómnibus, secúrâ tibi mente serviámus; Per Dóminum nostrum.

AD COMPLETORIUM, *ut in Feriis Passionis.*

SABBATO.

℣. Locúti sunt vanitátes; ℟. Et dolos totâ die meditabantur. *Ps.* 37. 13.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 9. *v.* 1.

Luctus Prophetæ.

QUis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lachrymárum? & plorábo die ac nocte interfectos filiæ pópuli mei. Quis dabit me in solitúdine diversórium viatórum, & derelinquam pópulum meum, & recédam ab eis? quia omnes adúlteri sunt, cœtus prævaricatórum. Et extendérunt linguam suam quasi arcum mendácii & non veritátis: confortáti sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognovérunt, dicit Dóminus. Unusquisque se à próximo suo custódiat, & in omni fratre suo non hábeat fidúciam: quia omnis frater supplantans supplantábit, & omnis amicus fraudulenter incédet. Et vir fratrem suum deridébit, & veritátem non loquentur: docuérunt enim linguam suam loqui mendácium: ut iníquè ágerent, laboravérunt. Habitátio tua in médio doli: in dolo renuérunt scire me, dicit

Dóminus. Proptéreà hæc dicit Dóminus exercítuum : Ecce ego conflábo, & probábo eos ; quid enim áliud fáciam à fácie filiæ pópuli mei ? Sagitta vúlnerans lingua eórum ; dolum locúta est : in ore suo pacem cum amíco suo lóquitur, & occultè ponit ei insídias. Jerúsalem.

℟. Cùm esset Cáiphas Póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jesus moritúrus erat pro gente ; & non tantùm pro gente, * Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum. *Joan.* 11. *v.* 51. 52. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum. *Joan.* 3. 17. * Sed ut filios.

De Daniéle Prophéta.

LECTIO II. *Cap.* 9. *v.* 24.

Mors Christi prædicta.

SEptuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum & super urbem sanctam tuã, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempiterna, & impleátur vísio & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo, & animadverte : Ab éxitu sermónis, ut íterùm ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, & hebdómades sexaginta duæ erunt : & rursùm ædificábitur platéa, & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus ; & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro ; & finis ejus vástitas, & post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una ; & in dimídio hebdómadis deficiet hóstia & sacrificium : & erit in templo abominátio desolatiónis ; & usque ad consummatiónem & finem persevérabit desolátio.

℟. Illúdent ei, & conspuent eum, * Et flagellábunt eum, & interfícient eum. *Marc.* 10. *v.* 34. ℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. *Is.* 53. 7. * Et flagellábunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 12. 10.

Jesus Jerusalem ingreditur.

IN illo témpore ; Cogitavérunt príncipes sacerdótum, ut & Lázarum interficerent : quia multi propter illum abíbant ex Judæis, & credébant in Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 50.

VIso Lázaro resuscitáto, quia tantum miráculum Dómini tantâ erat evidéntiâ diffamátum, tantâ manifestatióne declarátum, ut non possent vel occultáre quod factum est, vel negáre; quid invenérunt, vidéte. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum, ut & Lázarum interficerent. O stulta cogitátio, & cæca sævítia! Dóminus Christus qui suscitáre pótuit mórtuum, non posset occísum? Quando Lázaro inferebatis necem, numquid auferebátis Dómino potestátem? Si áliud vobis vidétur mórtuus, áliud occísus: ecce Dóminus utrumque fecit; & Lázarum mórtuum, & seipsum suscitávit occísum. In crástinum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cùm audissent quia venit Jesus Jerosólymam, accepérunt ramos palmárum, & processérunt óbviam ei, & clamábant: Hosanna, benedictus qui venit in nómine Dómini, rex Israël. Rami palmárum laudes sunt, significantes victóriam; quia erat Dóminus mortem moriendo superatúrus, & trophæo crucis de diábolo mortis príncipe triumphatúrus.

℟. Fílius hóminis tradétur in manus hóminum, & occídent eum; * Et occísus tértiâ die resurget. *Marc.* 9. *v.* 30. ℣. Inglórius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter fílios hóminum. *Is.* 52. 14. * Et occísus. *Repet.* Fílius *usque ad versum.*

Ad Benedict. *Ant.* 6. F. Nunc judícium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. *Joan.* 12. 13.

Orémus. *Oratio.*

PRoficiat, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis affectu: ut, sacris actiónibus erudíta, quantò majestátis tuæ sit grátior, tantò donis potióribus augeátur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnitent.* *Can.* 11.

SI quis díxerit Epíscopos non habére jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam polítiam, atque ídeò cásuum reservatiónem non prohibére quóminùs sacerdos à reservátis verè absolvat: anathéma sit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi ut in Psalterio.

Capitulum. Jerem. 26. 15.

SCitóte, & cognóscite quòd si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos & contra civitátem istam, & habitatóres ejus; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos.

℟. Décimâ die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per famílias & domos suas: * Immolabitque eum universa multitúdo filiórum Israël quartâ décimâ die ad vésperam. *Exod.* 12. *v.* 3. 6. ℣. Ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matth.* 26. 45. * Immolabitque. *Repet.* Décimâ, *usque ad versum.*

Hymnus, Vexilla, *ut suprà*, pag. 283.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Exulta satis, filia Sion; júbila, filia Jerúsalem: ecce rex tuus véniet tibi justus & salvátor; ipse pauper, & ascendens super ásinam, & super pullum filium ásinæ. *Zachar.* 9. 9.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, & crucem subíre fecisti; concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documenta, & resurrectiónis consórtia mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum.

AD COMPLETORIUM, *ut in Feriis, suprà. At non dicuntur Preces.*

DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitator. & Hymnus, ut in Dominica Passionis: Antiphonæ & Psalmi, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

℣. Captábunt in ánimam justi; ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93. 21.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 11. *v.* 15.

Christus cruci affigendus.

QUid est quòd diléctus meus in domo mea fecit scélera multa? Numquid carnes sanctæ áuferent à te malítias tuas, in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, speciósam, vocávit Dóminus nomen tuum; ad vocem loquélæ, grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt frutéta ejus. Tu autem, Dómine, demonstrasti mihi, & cognóvi: tunc ostendisti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad

victimam; & non cognóvi quia cogitavérunt super me consília, dicentes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam. Jerúsalem.

℟. j. Consílium fecérunt in unum, * Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini & comprehéndite eum, quia non est qui erípiat. *Psal.* 70. *v.* 10. 11. ℣. Misérunt Príncipes & Pharisæi minístros ut apprehénderent Jesum. *Joan.* 7. 32. * Dicentes.

LECTIO II. *Cap.* 12. *v.* 7.

Vita Christi data in manu inimicorum.

RElíqui domum meam; dimísi hæreditátem meam: dedi dilectam ánimam meam in manu inimicórum ejus. Facta est mihi hæréditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem, ídeò odívi eam. Numquid avis díscolor hæréditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Veníte, congregámini, omnes béstiæ terræ, properáte ad devorandum. Pastóres multi demoliti sunt víneam meam, conculcavérunt partem meam; dedérunt portiónem meam desiderábilem in desertum solitúdinis. Posuérunt eam in dissipatiónem, luxitque super me: desolatióne desoláta est omnis terra; quia nullus est qui recógitet corde. Super omnes vias deserti venérunt vastatóres, quia gládius Dómini devorábit ab extrémo terræ usque ad extrémum ejus; non est pax universæ carni. Seminavérunt tríticum, & spinas messuérunt; hæreditátem accepérunt, & non eis próderit: confundémini à frúctibus vestris propter iram furóris Dómini. Jerúsalem.

℟. ij. Sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto; * Ita exaltári oportet Fílium hóminis, ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. *Joan.* 3. *v.* 14. 15. ℣. Fecit Móyses serpentem æneum, & pósuit eum pro signo; quem cùm percussi aspícerent, sanabantur. *Num.* 21. 9. * Ita.

LECTIO III. *Cap.* 17. *v.* 13.

Postulat liberari à persequentibus.

DOmine, omnes qui te derelinquunt, con-

fundentur ; recedentes à te, in terra ſcribentur : quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, & ſanábor ; ſalvum me fac, & ſalvus ero : quóniam laus mea tu es. Ecce ipſi dicunt ad me ? Ubi eſt verbum Dómini ? véniat. Et ego non ſum turbátus, te paſtórem ſequens ; & diem hóminis non deſiderávi, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de lábiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit. Non ſis tu mihi formídini, ſpes mea tu in die afflictiónis. Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego ; páveant illi, & non páveam ego : induc ſuper eos diem afflictiónis, & dúplici contritióne cóntere eos. Jerúſalem.

℟. *iij.* Si ſanguis hircórum inquinátos ſanctíficat ad emundatiónem carnis, * Quantò magis ſanguis Chriſti emundábit conſciéntiam noſtram ab opéribus mórtuis? *Hebr.* 9. 13. 14. Dixit Dóminus ad Móyſen : Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocauſtum. *Num.* 28. 1. 15. * Quantò magis. *Repet.* Si ſanguis, *uſque ad verſum.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Convenérunt in unum adversùs Dóminum ; ℟. Et adversùs Chriſtum ejus. *Pſalm.* 2. 2.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 60. de Paſſione Domini. 11.

LECTIO IV. *Cap.* 1.

DEſideráta nobis, dilectíſſimi, & univerſo optábilis mundo, adeſt feſtívitas Domínicæ Paſſiónis, quæ nos inter exultatiónes ſpirituálium gaudiórum ſilére non pátitur ; quia etſi difficile eſt de eádem ſolemnitáte ſæpiùs dignè aptéque diſſérere, non eſt tamen líberum ſacerdóti, in tanto divínæ miſericórdiæ ſacramento, fidélis pópuli áuribus ſubtráhere ſermónis officium : cùm ipſa matéria, ex eo quòd eſt ineffábilis, fandi tríbuat facultátem ; nec poſſit deſícere quod dicátur, dum numquam poteſt ſatis eſſe quod dícitur. Quid autem inter ómnia ópera Dei, in quibus humánæ admiratiónis fatigátur inténtio, ita contemplatiónem mentis noſtræ & oblectat & ſúperat, ſicut páſſio Salvatóris ? De cujus omnipoténtia, quæ ei cum Patre uníus & æquális eſſéntiæ eſt, quóties, ut póſſumus, cogitámus, mirabílior nobis fit in Deo humílitas quàm poteſtas ; & difficíliùs cápi-

tur divínæ majestátis exinanítio, quàm servílis formæ in summa provéctio.

℟. *iv.* Post hebdómades sexaginta duas * Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. *Dan.* 9. 26. ℣. Consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18. 31. * Occidétur.

LECTIO V. *Cap.* 3.

CHristus ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis absólveret, & sævienti diábolo poténtiam suæ majestátis occúluit, & infirmitátem nostræ humilitátis objécit. Si enim crudélis & supérbus inimícus, consílium misericórdiæ Dei nosse potuisset, Judæórum ánimos mansuetúdine pótiùs temperáre, quàm injustis ódiis studuisset accéndere; ne ómnium captivórum amítteret servitútem, dum nihil sibi debentis perséquitur libertátem. Fefellit ergo illum malígnitas sua: intulit supplícium Fílio Dei, quod cunctis fíliis hóminum in remédium verterétur. Fudit sánguinem justum, qui reconciliando mundo, & prétium esset & póculum. Suscépit Dóminus, quod secundùm propósitum suæ voluntátis elégit. Admísit in se ímpias manus furéntium, quæ dum próprio incumbunt scéleri, famulátæ sunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres suos tanta erat pietátis afféctio, ut de cruce súpplicans Patri, non se vindicári, sed illis postuláret ignosci.

℟. *v.* Ponet in púlvere os suum: * Dabit percutienti se maxillam; saturábitur oppróbriis. *Thr.* 3. 29. 30. ℣. Tradétur géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur. *Luc.* 18. 32. * Dabit.

LECTIO VI. *Cap.* 5.

QUod ergo falsi testes, quod cruenti príncipes, quod ímpii sacerdótes in Dómini Jesu Christi mystério, ignáviâ præsidis & famulátu imperítæ cohortis egérunt, & detestandum universis séculis, & amplectendum fuit. Crux enim Dómini, sicut in Judæórum erat mente crudélis, ita est in Crucifixi virtúte mirábilis. Furit in unum pópulus, & miserétur ómnium Christus. Quod sævítiâ infertur, potestáte suscípitur; ut licéntia facinóris, æternæ opus ímpleat voluntátis. Unde omnis ordo rerum gestá-

rum, quem pleníssimè Evangélica narrátio percurrit, ita fidélium est accipiendus audítu, ut salvâ fide actiónum, quæ témpore Domínicæ Passiónis implétæ sunt, intelligámus non solùm remissiónem peccatórum in Christo complétam, sed étiam formam justítiæ esse propósitam.

℟. *vj.* Sicut fuit Jonas in ventre ceti, * Sic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nóctibus. *Matth.* 12. 40. ℣. Erat Jonas in ventre piscis tribus diébus, & tribus nóctibus. *Jon.* 2. 1. * Sic erit. *Repet.* Sicut.

IN III. NOCTURNO.

℣. Locúti sunt vanitátes, ℟. Et dolos totâ die meditabantur. *Psalm.* 37. 13.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

LECTIO VII. *Cap.* 1. *v.* 19.

Pax per sanguinem Christi.

IN Christo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre; & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cùm essétis aliquando alienáti, & inimíci sensu in opéribus malis: nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipso; si tamen permanétis in fide fundáti, & stábiles, & immóbiles à spe Evangélii, quod audístis, quod prædicátum est in universa creatúra quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus miníster. Qui nunc gáudeo in passiónibus pro vobis, & adimplébo ea quæ desunt passiónum Christi, in carne mea, pro córpore ejus, quod est Ecclésia.

℟. *vij.* Factum est dum complerentur dies assumptiónis Jesu, * Et ipse fáciem suam firmávit ut iret in Jerúsalem. *Luc.* 9. 51. ℣. Dedit se ut liberáret pópulum suum. * Et ipse. 1. *Mach.* 6. 44.

LECTIO VIII. *Cap.* 2. *v.* 9.

Christus victor per crucem.

IN ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter: & estis in illo repléti, qui est caput omnis principátûs & potestátis. In quo & circumcísi estis circumcisióne non manufactâ in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi: consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis

stis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis. Et vos, cùm mórtui essétis in delíctis, & præpútio carnis vestræ, convivificávit cum illo, dónans vobis ómnia delícta : delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit de médio, affígens illud cruci. Et expólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

℟. *viij.* Duxérunt duo discípuli pullum ad Jesum : & impónunt illi vestimenta sua, * Et sedit super eum. *Marc.* 11. 7. ℣. Ipse pauper & ascendens super ásinam & super pullum filium ásinæ. *Zach.* 9. 9. * Et sedit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 21. *v.* 1.

Triumphalis ingressus Christi in Jerusalem.

IN illo témpore; Cùm appropinquassent Jerosólymis, & venissent Béthphage ad montem Olivéti; tunc Jesus misit duos discípulos, dicens eis : Ite in castellum, quod contra vos est; & statim inveniétis ásinam alligátam & pullum cum ea; sólvite & addúcite mihi. Et adduxérunt ásinam & pullum, & imposuérunt super eos vestimenta sua, & eum désuper sedére fecérunt. Et réliqua.

Homília sancti Justíni Mártyris.

1. *Apol. ad Anton. Senatumque Rom. anno* 150. §. 32.

EX omni hóminum génere expectant Christum in Judæa crucifixum, post quem statim bello capta Judæórum terra vobis trádita est. Istud porrò, ligans ad vitem pullum suum, & lavans in sánguine uvæ stolam suã; symbolum erat, res signíficans partim Christo eventúras, partim ab ipso gerendas. Nam pullus quidam ásinæ stabat in quodam intróitu vici ad vitem alligátus : quem cùm sibi à discípulis tunc addúci jussisset, adductum conscendit, eíque ínsidens Jerosólymam ingressus est, ubi máximum templum Judæórum erat, quod pósteà à vobis eversum est. Ac pósteà in crucem actus est, ut quod réliquum erat prophetíæ expleretur. Nam illud, lavans in sánguine uvæ stolam suam; passiónem illam prænuntiábat, quam erat passúrus, sánguine eos éxpians, qui ipsi credunt.

℟. *iv.* Turba multa cùm audiſſent quia venit Jeſus Jeroſólymam, accepérunt ramos palmárum, & clamábant: Hoſanna, * Benedictus qui venit in nómine Dómini. *Joan.* 12. *v.* 12. 13. ℣. O Dómine, ſalvum me fac; ô Dómine, bene proſperáre. * Benedictus. *Pſal.* 117. 26. *Repet.* Turba.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteantur tibi pópuli, Deus, ℟. Confiteantur tibi pópuli omnes. *Pſal.* 66. 4.

Pſalmi de Dominica, excepto Cantico.

Ant. 2. D. POpuli dicébant: Hic eſt Jeſus Prophéta à Názareth Galilææ. *Matth.* 21. 11.

Ant. 8. G. Videntes príncipes Sacerdótum & ſcribæ mirabília quæ fecit, & púeros clamantes: Hoſanna filio David; indignáti ſunt. *Matth.* 21. 15.

Ant. 6. b. Dixérunt eì: Audis quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis: Quia ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem. *Matth.* 21. 16.

Ant. 6. F. Hoc totum factum eſt.

Canticum. Zach. 9. 9.

EXulta ſatis, filia Sion; * júbila, filia Jerúſalem;

Ecce Rex tuus véniet tibi, * juſtus & Salvátor:

Ipſe pauper & aſcendens ſuper áſinam, * & ſuper pullum filium áſinæ.

Et diſperdam quadrígam ex Ephraïm, * & equum de Jerúſalem;

Et diſſipábitur arcus belli, * & loquétur pacem géntibus;

Et poteſtas ejus à mari * uſque ad mare,

Et à flumínibus * uſque ad fines terræ.

Tu quoque in sánguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, * in quo non eſt aqua.

Convertímini ad munitiónem, vincti ſpei; * hódiè quoque annúntians duplícia reddam tibi.

Ant. Hoc totum factum eſt, ut adimplerétur quod dictum eſt per Prophétam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit. *Matth.* 21. *v.* 4. 5.

Ant. 1. *f.* Cœpérunt turbæ diſcipulórum gaudentes laudáre Deum ſuper ómnibus quas víderant virtútibus. *Luc.* 19. 37.

Capitulum. Philip. 2. 5.

FRatres, Hoc ſentíte in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapínam arbitrátus eſt eſſe ſe æquálem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accípiens, in

ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo.

Hymnus, Luſtris ſex, *ut in Feriis*; *Verſiculus*, *ut in Feriis*. 281.

Ad Benedict. *Ant.* I. Turbæ quæ præcedébant, & quæ ſequebantur, clamábant, dicentes : Hoſanna filio David : Benedictus qui venit in nómine Dómini; hoſanna in altíſſimis. *Matth.* 21. 9.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens ſempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem noſtrum carnem súmere, & crucem ſubíre fecíſti, concéde propítius : ut & patiéntiæ ipsíus habére documenta, & reſurrectiónis consórtia mereámur; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 2. D. Pópuli.

Capitul. & ℟. br. ut in Feriis, pag. 281.

CANON.

Ex Statútis ſynodálibus Diœceſis Carcaſſonenſis.

An. 1272. *Cap.* 4.

STatútum eſt quòd omnis utriuſque ſexûs fidélis, poſtquàm ad annos diſcretiónis pervénerit, ómnia ſua ſolus peccáta, ſemel in anno fidéliter confiteátur, próprio ſacerdóti, & injunctam pœniténtiam pro víribus ſtúdeat adimplére. Alióquin vivens ab ingreſſu Eccléſiæ arceátur, & móriens Chriſtiánâ cáreat ſepultúrâ. Quod quidem ſalutáre ſtatútum, annis síngulis, in Parochiálibus Eccléſiis, præcípimus publicári.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Videntes.

Capitulum. Iſaiæ. 55. 12.

MOntes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro ſaliunca aſcendet ábies; & pro urtíca creſcet myrtus : & erit Dóminus nominátus in ſignum æternum quod non auferétur.

℟. *br.* Benedictus qui venit * In nómine Dómini. *Repet.* Benedictus. ℣. Deus Dóminus & illuxit nobis. * In nómine Dómini. *Repet.* Benedictus.

℣. Conſtitúite diem ſolemnem in condenſis, ℟. Uſque ad cornu altáris. *Pſal.* 117. 26. 27.

AD SEXTAM.

Ant. 7. b. Dixérunt ei.

Capitulum. Sap. 10. 20.

DEcantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter; quóniam ſapiéntia apéruit os mutórum,

& linguas infántium fecit disertas.

℟. *br.* Ex ore infántium & lacténtium * Perfecisti laudem. *Repet.* Ex ore. ℣. Propter inimícos tuos, Dómine. * Perfecisti. *Rep.* Ex ore. *Psal.* 8. 3.

℣. Laudáte, pueri, Dóminum; ℟. Laudáte nomen Dómini. *Ps.* 112. 1.

AD NONAM.

Ant. 1. *f.* Cœpérunt.

Capitulum. Tob. 13. 5. 6.

IPse salvábit nos propter misericórdiam suã. Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; regemque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

℟. *br.* Fílii Sion * Exultent in Rege suo. *Rep.* Fílii. ℣. Laudent nomen ejus in choro. * Exultent. *Rep.* Fílii.

℣. Beneplácitum est Dómino, ℟. In pópulo suo. *Ps.* 149. 2. 4.

AD II. VESPERAS.

Ant. 3. a. REx tuus, filia Sion, venit tibi mansuétus, sedens super ásinam & pullum filium subjugális. *Matth.* 21. 5.

Ant. 7. d. Dixérunt ad semetipsos: Vidétis quia nihil profícimus; ecce mundus totus post eum ábiit. *Joan.* 12. 19.

Ant. 2. D. Quærébant Jesum pérdere; & non inveniébant quid fácerent illi. *Luc.* 19. 47. 48.

Ant. 1. g. Ex princípibus multi credidérunt in eum; sed non confitebantur, ut è Synagóga non ejiceréntur. *Joan.* 12. 42.

Ant. 4. E. Jam enim conspiráverant Judæi, ut si quis eum confiterétur esse Christum, extra Synagógam fieret. *Joan.* 9. 22.

Capitulum. Hebr. 12. 3. 4.

REcogitáte eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes: nondum enim usque ad sánguinem restitistis, adversùs peccátum repugnantes.

Hymnus & versic. ut in Feriis. pag. 283.

Ad Magnífic. *Ant.* 6. F. Benedíctus qui venit Rex in nómine Dómini; pax in cœlo, & glória in excelsis. *Luc.* 19. 38.

Oratio ut suprà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM, *ut in Feriis, suprà.*

FERIA SECUNDA.

Hâc Feriâ, & duabus sequentibus, omnia ut in Feriis hebdomad. præcedentis, exceptis quæ propria hic habentur.

℣. Captábunt in áni-

mam justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93. 21.

De Jeremia Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 18. *v.* 18.

Jeremias, figura Christi patientis.

DIxérunt : Veníte, & cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes : non enim períbit lex à sacerdóte, neque consílium à sapiente, nec sermo à prophéta : veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérsos sermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, & audi vocem adversarióꝝrum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ ? Recordáre quòd stéterim in conspectu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptéreà da filios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii ; fiant uxóres eórum absque líberis, & víduæ ; & viri eárum interficiantur morte : júvenes eórum confodiantur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum : addúces enim super eos latrónem repentè ; quia fodérunt fóveam, ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum adversùm me in mortem : ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum à fácie tua non deleátur : fiant corruentes in conspectu tuo ; in témpore furóris tui abútere eis. Jerúsalem.

℟. Cùm esset Cáiphas Póntifex anni illíus, prophetávit quòd Jesus moritúrus erat pro gente, & non tantùm pro gente, * Sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregáret in unum. *Joan.* 11. 51. 52. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum. *Joan.* 3. 17. * Sed.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Lectio II. *Cap.* 2. *v.* 5.

Christus exinanitus.

HOc sentíte in vobis, quod & in Christo Jesu : qui cùm in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo : sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. Humiliávit semetipsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est su-

per omne nomen. Ut in nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium & infernórum; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. Illúdent ei, & cónspuent eum, * Et flagellábunt eum, & interfícient eum. *Marc.* 10. *v.* 34. ℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. *Is.* 53. 7. * Et flagellábunt.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio III. *Cap.* 12. 1.

Profusio nardi pistici.

IN illo témpore; Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 50.

NE putárent hómines phantasma esse factum, quia mórtuus resurrexit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus; vivébat, loquebátur, epulabátur: véritas ostendebátur, infidélitas Judæórum confundebátur. Discumbébat ergo Dóminus cum Lázaro & céteris; ministrábat Martha una ex soróribus Lázari. María verò áltera soror Lázari, accépit libram unguenti nardi pístici pretiósi, unxit pedes Jesu, & extersit capíllis suis pedes ejus, & domus impléta est ex odóre unguenti. Factum audívimus; mystérium requirámus. Quæcumque ánima fidélis vis esse, cum María unge pedes Dómini pretióso unguento: unge pedes Jesu; bene vivendo Domínica sectáre vestígia. Capillis terge: si habes supérflua, da paupéribus, & Dómini pedes tersisti; capilli enim supérflua córporis videntur. Habes quod agas de supérfluis tuis: tibi supérflua sunt, sed Dómini pédibus necessária.

℟. Ante sex dies Paschæ accépit María libram unguenti nardi pístici pretiósi, & unxit pedes Jesu, & extersit capíllis suis: * Et domus impléta est ex odóre unguenti. *Joan.* 12. *v.* 1. 3. ℣. Odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. *Cant.* 4. 10. * Et domus. *Repet.* Ante sex, *usque ad* ℣.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Bonum est confitéri Dómino, ℟. Et psállere nómini tuo, Altíssime. *Psal.* 91. 2.

Ant. 4. *E.* OMnes nos quasi oves errávimus. *Is.* 53. 6.

Ant. 8. c. Pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. *Ibid.*

Ant. 4. a. Disciplína pacis nostræ super eum. *Ibid.*

Ant. 3. c. Quasi abscónditus vultus ejus & despectus. *Ibid.*

Ant. 7. b. Non est spécies ei neque decor. *Ibid.*

Capitulum, Hymnus, versus, ut in Feriis.

Ad Benedict. *Ant.* 1. f. Accessit ad Jesum múlier habens alabastrum unguenti pretiósi, & effúdit super caput ipsíus recumbentis. *Matt.* 26. 7.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus; ut, qui in tot adversis ex nostra infirmitáte deficimus, intercedente unigéniti Fílii tui passióne respirémus; Qui tecum.

CANON.

Ex Statútis synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

An. 1272. *Cap.* 4.

VOlumus & mandámus, ut quílibet fidélis, ad minus in Pascha, reverenter recípiat Eucharístiæ Sacramentum; nisi forte de præpósiti consílio sacerdótis, ob causam rationábilem, ab ejus perceptióne dúxerit abstinendum. ... Ne quis verò in mortáli constitútus peccáto præsúmat recípere corpus Dómini nostri Jesu Christi.

AD VESPERAS.

Antiphona de Laudibus, Psalmi ut in Psalt. Capit. Hymn. & Versiculus, ut suprà. 283.

Ad Magnif. *Ant.* 4. a. Ubicumque prædicátum fúerit hoc Evangélium, dicétur & quòd hæc fecit in memóriam ejus. *Matt.* 26. 13.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

ADjuva nos, Deus, salutáris noster: & ad beneficia recolenda, quibus nos instauráre dignátus es, tríbue veníre gaudentes; Per Dóminum nostrum.

FERIA TERTIA.

℣. Convenérunt in unum adversùs Dóminum, ℟. Et adversùs Christum ejus. *Ps.* 2. 2.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 20. *v.* 10.

Contumelia & terror.

AUdívi contumélias multórum, & terrórem in circúitu: Persequímini, & persequámur eum: ab ómnibus viris qui erant pacífici mei, & custodientes latus meum: si quo modo decipiátur, & prævaleámus adversùs eum, & consequámur ultiónem ex eo. Dóminus

autem mecum est quasi bellátor fortis : idcircò qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt : confundentur vehementer, quia non intellexérunt oppróbrium sempiternum, quod numquam delébitur. Et tu, Dómine exercítuum, probátor justi, qui vides renes & cor; vídeam, quæso, ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam. Jerúsalem.

℟. Post hebdómadas sexaginta duas * Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. *Dan.* 9. 26. ℣. Consummabuntur ómnia quæ scripta sunt per Prophétas de Fílio hóminis. *Luc.* 18. 31. * Occidétur.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

LECTIO II. *Cap.* 3. *v.* 13.

Qui sint crucis Christi hostes.

QUæ retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiámus : & si quid áliter sápitis, & hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus, & in eádem permaneámus régula. Imitatóres meî estóte, fratres; & observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis (nunc autem & flens dico) inimícos crucis Christi; quorum finis intéritus; quorum Deus venter est : & glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt.

℟. Ponet in púlvere os suum : * Dabit percutienti se maxillam; saturábitur oppróbriis. *Thr.* 3. 29. 30. ℣. Tradétur géntibus, & illudétur, & flagellábitur, & conspuétur. *Luc.* 18. 32. * Dabit.

Ex Apológia S. Justíni Mártyris ad Antonínum Imperatórem Senatumque Románum. *An.* 150.

LECTIO III.

IPsi pedes meos fodérunt & manus, sortesque de veste mea jecérunt. David quidem Rex & Prophéta qui hæc dixit, nihil horum pértulit : Jesus autem Christus manus expandit & tetendit, cùm cruci suffixus est à Judæis ei contradicéntibus, eum-

que Christum esse negántibus; nam quemádmodum vates ait, eum rapientes ad tribúnal, dixérunt: Júdica nobis. Illud porrò, Fodérunt manus meas & pedes, significátio erat eórum clavórum, qui in ejus mánibus & pédibus defixi sunt. Et postéaquàm eum in crucem egérunt, sortes in illíus vestes jecérunt, divíseruntque inter se ii qui eum in crucem sustulérunt. Hæc autem gesta esse, ex iis actis, quæ Póntio Piláto Prætóre facta sunt, perspícere potestis.

℟. Sicut fuit Jonas in ventre ceti, * Sic erit Filius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nóctibus. *Matt.* 12. 40. ℣. Erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. *Jon.* 2. 1. * Sic erit. *Repet.* Sicut, *usque ad versum.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Bonum est confitéri Dómino, ℟. Et psállere nómini tuo, Altíssime. *Psal.* 91. 2.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. b. ISte asperget gentes multas; super ipsum continébunt reges os suum. *Is.* 52. 15.

Ant. 1. a. Quasi agnus coram tondente se obmutescet. *Is.* 53. 7.

Ant. 7. *d.* Vidébit semen longævum, & voluntas Dómini in manu ejus dirigétur. *Ibid.* 10.

Ant. 2. D. Vidébit & saturábitur; in sciéntia sua justificábit multos. *Is.* 11.

Ant. 8. *G.* Iniquitátes ipse portábit, & fórtium dividet spólia. *Ibid.* 11. 12.

Ad Bened. *Ant.* 4. *D.* Quærébant summi Sacerdótes & Scribæ quómodo Jesum dolo tenérent & occíderent. *Marc.* 14. 1.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ passiónis sacramenta perágere, ut indulgéntiam percípere mereámur; Per eúmdem Dóminum.

AD HORAS, *Antiphonæ de Laudibus.*

CANON.

Ex Concílio Burdigalensi. *An.* 1624. *Cap.* 5. *de Sacram. n.* 3.

SÆpíssime fidéles ad sacratíssimæ Eucharístiæ sumptiónem, cum omni devotióne & compunctis córdibus, accédere peroptámus: sed ne omittant témpore Páschatis id in própria Parochiáli præstáre; sacris canónibus insisténtes, statúimus, eo témpore omnes Christi fidéles, tum ad confessiónem peccató-

rum próprio Párocho, aut álii de ejus licéntia faciendam, tum ad sacram Eucharistiam in eádem Ecclésia percipiendam tenéri & obligári, nullósque áliàs præcepto Ecclésiæ satisfecisse; ac proinde in eos, ni resipiscant, ab Ordinário censuris agendum esse declarámus.

AD VESPERAS.

Ant. de Laud. Psalmi de Psalt.

Ad Magníf. *Ant.* I. D. Dicébant autem: Non in die festo; ne fortè tumultus fieret in pópulo. *Marc.* 14. 2.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

TUa nos misericórdia, Deus, & ab omni subreptióne vetustátis expurget, & capáces sanctæ novitátis efficiat; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

℣. Locúti sunt vanitátes; ℟. Et dolos totâ die meditabantur. *Ps.* 37. 13.

De Jeremía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 26. *v.* 11.

Judicium mortis.

ET locúti sunt sacerdótes & prophétæ ad príncipes, & ad omnem pópulum, dicentes: Judícium mortis est viro huic: quia prophetávit adversùs civitátem istam, sicut audistis áuribus vestris. Et ait Jeremías ad omnes príncipes, & ad universum pópulum dicens: Dóminus misit me, ut prophetárem ad domum istam, & ad civitátem hanc, ómnia verba quæ audistis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra; & audite vocem Dómini Dei vestri: & pœnitébit Dóminum mali, quod locútus est adversùm vos. Ego autem ecce in mánibus vestris sum; fácite mihi quod bonum & rectum est in óculis vestris: verúmtamen scitóte & cognóscite, quòd si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam, & habitatóres ejus; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc. Et dixérunt príncipes, & omnis pópulus, ad sacerdótes & ad prophétas: Non est viro huic judícium mortis: quia in nómine Dómini Dei nostri locútus est ad nos. Jerúsalem.

℟. *j.* Intrávit Sátanas in Judam; * Et locútus est cum princípibus Sacerdótum, quemádmodum Jesum tráderet eis. *Luc.* 22. 3. 4. ℣. Sedet peccátor in insidiis, cum divítibus in occultis, ut

interficiat innocentem. *Ps.* 9. 29. * Et locútus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio II. *Cap.* 12. *v.* 1.

Christi exemplo toleranda afflictiones.

DEponentes omne pondus, & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspicientes in auctórem fidei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contemptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum, qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem: ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sánguinem restitistis, adversùs peccátum repugnantes. Et obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat: flagellat autem omnem filium quem récipit. In disciplína perseveráte. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non córripit pater?

℟. ij. Pacti sunt pecúniam illi dare, & spopondit: * Et quærébat opportunitátem ut tráderet illum sine turbis. *Luc.* 22. 6. ℣. Nóluit intellígere ut benè ágeret; iniquitátem meditátus est. *Ps.* 35. 4. * Et quærébat.

Ex libro quarto S. Irenæi Epíscopi & Mártyris contra hæreses.

Lectio III.

C. 34. *num.* 3. *secul.* 2.

UNde póterant prædícere Prophétæ Regis adventum, & eam libertátem quæ ab eo dabátur prævangelizáre, & ómnia quæ à Christo facta sunt, & sermónem & operatiónem & passiónem ejus prænuntiáre, & novum testamentum prædícere, si ab áltero deo prophéticam inspiratiónem accepérunt? Neque enim casu quodam hæc evenisse potestis dicere tamquàm à Prophétis quidem de áltero quodam dicta, simíliter autem evenérunt Dómino. Omnes enim Prophétæ hæc éadem prophetavérunt: sed neque alicui ex vetéribus evenérunt. Si enim evenissent alicui ex vetéribus ista, non útique qui postea fuérunt, prophetassent in novíssimis tempóribus futúra hæc. Adhuc étiam nemo est, ne-

que patrum, neque Prophetárum, neque antiquórum regum, circa quem próprie ac speciáliter factum sit áliquid horum. Nam omnes quidem Christi passiónes prophetavérunt; ipsi autem ad patiendum simíliter, ut ipsa prædicta sunt, longè erant. Argumenta autem quæ prædicta sunt Domínicæ passiónis, in nullo áltero facta sunt. Neque enim sol médiâ die óccidit áliquo de vetéribus mórtuo, neque scissum est velum templi, neque terra mota est, neque petræ disruptæ sunt, neque mórtui resurrexérunt.

℟. Omnes nos quasi oves errávimus; * Et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. *Is.* 53. 5. ℣. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. *Joan.* 1. 29. * Et pósuit. *Repet.* Omnes.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Bonum est confitéri Dómino, ℟. & psállere nómini tuo, Altíssime. *Ps.* 91. 2.

Ant. 7. c. AD occisiónem ducétur, & non apériet os suum. *Is.* 53. 7.

Ant. 2. D. Ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Marc.* 14. 41.

Ant. 1. *g.* Damnábunt eum morte, & tradent eum géntibus. *Marc.* 10. 33.

Ant. 6. F. Illúdent ei, & cónspuent eum, & flagellábunt eum, & interfícient eum. *Marc.* 10. 34.

Ant. 5. a. In dimídio hebdómadis deficiet hóstia & sacrifícium. *Dan.* 9. 27.

Capitulum. Apoc. 19. 13.

VEstítus erat veste aspersâ sánguine; & vocátur nomen ejus Verbum Dei.

Ad Benedict. *Ant.* 4. f. Cogitavérunt Pontífices & Pharisæi, ut interfícerent Jesum. *Joan.* 11. 53.

Preces flexis genibus.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui nostris excéssibus incessánter afflígimur, per unigéniti Fílii tui passiónem liberémur; Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Concílio Cabillonensi secundo.

An. 813. *Can.* 46.

IN perceptióne córporis & sanguinis domínici magna discrétio adhibenda est. Cavendum est enim ne, si nímium in longum differátur, ad perníciem ánimæ pertíneat, dicente Dómino: Nisi manducavéritis car-

nem Fílii hóminis & bibéritis ejus sanguinem, non habébitis vitam in vobis. Si verò indiscrétè accípitur, timendum est illud quod ait Apóstolus: Qui mandúcat & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit.

AD VESPERAS.

Ant. de Laudibus, Psalmi de Psalterio.

Capitulum. Jerem. 11. 20.

TU, Dómine Sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam.

Hymnus, Vexilla, *cum versic.* pag. 283.

Ad Magníf. *Ant.* 1. g. Appropinquábat dies festus azymórum qui dícitur Pascha. *Luc.* 22. 1.

Non dicuntur Preces.

Orémus. *Oratio.*

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

℟. Amen.

Et nihil additur: sicque terminantur Horæ usque ad Vesperas Sabbati sancti.

AD COMPLETORIUM, *incipitur absolutè à Psalmo* Cùm invocárem, *ut in Completorio Dominicæ, & continuò dicitur Cant.* Nunc dimittis: *deinde Oratio* Réspice, *ut suprà, & nihil additur.*

FERIA QUINTA in Cœna Domini.

Tribus Feriis sequentibus, dictis, ex more, secretò Pater, Ave, Credo, *incipitur absolutè Officium ab Antiphona primi Psalmi; nec dicitur* Glória Patri *in fine Psalmorum & Responsoriorum. Ad Nocturna, Laudes, Horas, & Vesperas omittuntur Hymni & Capitula: nec dicitur* Dóminus vobiscum; *nec post Orationem*, Benedicámus Dómino.

In fine cujuslibet Antiphonæ Nocturnorum & Laudum extinguitur unus ex quindecim cereis, in loco conspicuo ante vel retro Altare positis.

IN I. NOCTURNO.

In Ps. Quare fremuérunt. *p.* 3. *Ant.* 1. g. Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

In Ps. Dóminus regit me. *p.* 102. *Ant.* 6. F. Parasti, Dómine, in conspectu meo mensam adversùs eos qui tríbulant me: & calix meus inébrians

quàm præclárus est!

In Ps. Júdica me .... quóniam. *p.* 63. *Ant.* 8. G. Cum impiis non sedébo : lavábo inter innocentes manus meas.

℣. Lavábis me, Dómine, ℟. Et super nivem dealbábor. *Ps.* 50. 9.

Hoc triduo post ℣. *cujusque Nocturni*, Pater *dicitur integrè secretò. Et statim sine Absolut. & sine Bened. leguntur Lectiones, in quarum fine non dicitur* Tu autem.

Incipit Lamentátio Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *Cap.* 1. 1.

Sion deserta.

QUómodò sedet sola cívitas plena pópulo: facta est quasi vídua, dómina géntium: princeps provinciárum facta est sub tribúto. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus: omnes amíci ejus sprevérunt eam, & facti sunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem, & multitúdinem servitútis: habitávit inter gentes, nec invénit réquiem: omnes persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias. Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui véniant ad solemnitátem: omnes portæ ejus destructæ, Sacerdótes ejus gementes, vírgines ejus squálidæ, & ipsa oppressa amaritúdine. Facti sunt hostes ejus in cápite, inimíci ejus locupletáti sunt: quia Dóminus locútus est super eam propter multitúdinem iniquitátū ejus: párvuli ejus ducti sunt in captivitátem ante fáciem tribulantis. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem: * Cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Joan.* 13. 1. ℣. Panem cœli dedit eis; panem Angelórum manducávit homo. *Psalm.* 77. 24. * Cùm.

LECTIO II. *v.* 6.

Sion in ignominia.

ET egressus est à filia Sion omnis decor ejus: facti sunt príncipes ejus velut aríetes non invenientes páscua: & abiérunt absque fortitúdine ante fáciem subsequentis. Recordáta est Jerúsalem diérum afflictiónis suæ, & prævaricatiónis ómnium desiderabílium suórum, quæ habúerat à diébus antiquis, cùm cáderet pópulus ejus in manu hostili, & non esset

auxiliátor : vidérunt eam hostes, & derisérunt sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúsalem, propteréà instábilis facta est : omnes qui glorificábant eam, sprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam ejus : ipsa autem gemens conversa est retrorsùm. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta est finis sui : depósita est veheménter, non habens consolatórem : vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus. Jerúsalem.

℟. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua ; & cùm accepisset línteum, * Præcinxit se, & cœpit laváre pedes discipulórum. *Joan.* 13. 4. ℣. Vídimus eum despectum & novíssimum virórum. *Is.* 53. 3. * Præcinxit.

LECTIO III. *v.* 10.

Sion desolata.

MAnum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus ; quia vidit gentes ingressas sanctuárium suum, de quibus præcéperas ne intrárent in Ecclésiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens & quærens panem : dedérunt pretiósa quæque pro cibo ad refocillandam ánimam : vide, Dómine, & consídera quóniam facta sum vilis. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus ; quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus in die iræ furóris sui. De excelso misit ignem in óssibus meis, & erudívit me : expandit rete pédibus meis, convertit me retrorsùm : pósuit me desolátam, totâ die mœróre conféctam. Vigilávit jugum iniquitátum meárum : in manu ejus convolútæ sunt, & impósitæ collo meo ; infirmáta est virtus mea : dedit me Dóminus in manu de qua non pótero súrgere. Jerúsalem.

℟. Cùm intinxisset Jesus panem, dedit Judæ Simónis Iscariótæ,* Et post buccellam introívit in eum Sátanas. *Joan.* 13. 26. ℣. Dolóse egit in conspectu ejus, ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium. *Psal.* 35. 3. * Et post. *Resumitur* Cùm intinxisset.

IN II. NOCTURNO.

In Ps. Ad te, Dómine. *p.* 7. *Ant.* 5. a. Loquuntur pacem cum próximo suo ; mala autem in córdibus eórum.

In Ps. Expectans. *cum sua divisione*, *p.* 118. *Ant.* 7. d. Cogitatióni-

bus tuis, Dómine, non est qui símilis sit tibi.

In Ps. Beátus qui intélligit. *p.* 126. *Ant.* 1. *g.* Cor ejus congregávit iniquitátem sibi; egrediebátur foras, & loquebátur in idipsum.

℣. Loquuntur adversùs justum iniquitátem, ℟. In supérbia. *Ps.* 30. 19.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 56. *de Passione Domini.* 7. *Cap.* 1. & 2.

LECTIO IV.

INcipientes, dilectíssimi, Evangélicam de Passióne Dómini históriam retractáre, divíno intelligimus dispósitum fuisse consílio, ut sacrílegi Judæórum Príncipes, & ímpii sacerdótes, ... nonnisi in solemnitáte Paschâli exercendi furóris sui accíperent potestátem. Oportébat enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fúerant figuráto promissa mystério: ut ovem significatívam ovis vera removéret, & ut uno explerétur sacrificio variárum differéntia victimárum .... Ut ergo umbræ céderent córpori, & cessárent imágines sub præséntia veritátis; antíqua observántia novo exclúditur Sacramento, hóstia in hóstiam transit, sánguine sanguis aufertur; & legális festívitas dum mutátur, implétur .... Incipiente enim festivitáte Paschâli, qui ornáre templum, mundáre vasa, victimas providére .... debuérunt, parricidális ódii furóre concepto, ad unum opus vacant, & in unum fácinus símili crudelitáte conjúrant. Quid assecutúri supplício innocéntiæ, condemnatióne justítiæ, nisi ut & nova mystéria non apprehénderent, & antíqua violárent?

℟. Egressus est Jesus cum discípulis suis trans torrentem Cedron, * Ubi erat hortus, in quem introívit ipse, & Discípuli ejus; sciébat autem & Judas qui tradébat eum, locum. *Joan.* 18. 1. ℣. Rex quoque transgrediebátur torrentem Cedron. 2. *Reg.* 15. 23. * Ubi.

LECTIO V. *Cap.* 2. 3.

PRovidéntibus ergo Princípibus, ne in die sancto tumultus orirétur, non devotióni, sed facínori studebátur; nec religióni serviébat hæc cura, sed crímini .... Seditiónes turbárum fieri in præcípua solemnitáte metuébant; non ut pópulus non peccáret, sed, ne Christus evádcret. At Jesus consílii sui certus, & in ópere paternæ. disposi-

ııs intrépidus, vetus amentum consummá-, & novum Pascha débat. Discumbénti- enim discípulis ad ndam mysticam cœ-n, cùm in Cáiphæ á-ı tractarétur, quómo- Christus posset occídi; córporis & sánguinis órdinans sacramen-ı; docébat qualis Deo tia debéret offerri, ne hoc quidem mystério litóre submóto: ut nderétur nullâ injúriâ sperátus, qui in vo-tária erat impietáte scítus.... Dicens ita Dóminus: Amen di-vobis, quòd unus rûm me traditúrus est; .. non ásperâ, nec rtâ ímpium increpa-ıe confundens, sed ac tácitâ admonitió-convéniens: ut fací-corrígeret pœnitúdo, m nulla deformasset ctio.

. Assumpto Petro & bus filiis Zebedæi, * pit contristári & mœ-esse. *Matth.* 26. 37. Dóminus vóluit con-re eum in infirmitá-*Is.* 53. 10. * Cœpit tristári.

TIO VI. *Cap.* 3. *v.* 4.

Ur infélix Juda, tan-tâ benignitáte non is? Ecce parcit áusi-tuis Dóminus... Misericórdiæ verbo, cordis tantùm tui arcána tangun-tur. Non apostólici ór-dinis honor, non sacra-mentórum tibi commú-nio denegátur. Redi in íntegrum, & depósito fu-róre resipísce. Cleméntia invítat, salus pulsat, ad vitam vita te révocat. Ec-ce immaculáti & inno-centes condiscípuli tui ad significatiónem facínoris expavéscunt, & omnes si-bi, non édito impietátis auctóre, formídant.... timentes ne minùs verum esset, quod in se quisque nóverat, quàm quod ipsa Véritas prævidébat. Tu autem.... abúteris Dó-mini patiéntiâ, & abs-condi te tuâ credis audá-ciâ.... Dénique videns Dóminus, cui flagítio Ju-das esset intentus: Quod facis, inquit, fac cí-tiùs. Vox hæc, non ju-bentis est, sed sinentis; nec trépidi, sed paráti: qui habens ómnium tém-porum potestátem, osten-dit se & moram non fá-cere traditóri, & sic ad redemptiónem mundi, pa-ternam éxequi voluntá-tem, ut fácinus, quod à persequéntibus parabátur, nec impélleret, nec ti-méret.

℟. Factus in agónia, prolixiùs orábat: * Et factus est sudor ejus sicut

guttæ sánguinis decurrentis in terram. *Luc.* 22. 43. 44. ℣. Attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum. *Is.* 53. 5. * Et factus est. *Repet.* Factus in agónia.

IN III. NOCTURNO.

In Ps. Exaudi, Deus, oratiónem. *cum sua divisione.* 108. *Ant.* 2. D. Nequítia in habitáculis eórum in médio eórum.

In Ps. Miserére . . . . . quóniam. 126. *Ant.* 4. E. Omnes cogitatiónes eórum in malum.

In Ps. Deus laudem. *cum suis divisionibus.* 67. *Ant.* 3. b. Episcopátum ejus accípiat alter.

℣. Consumétur nequítia peccatórum, ℟. Et díriges justum. *Psalm.* 7. 10.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio VII. *Cap.* 11. *v.* 17.

Cœna Dominica.

HOc præcipio: non laudans, quòd non in méliùs, sed in detériùs convénitis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam, áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifesti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquisque enim suam cœnam præsúmit ad manducandum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducandum & bibendum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Ecce appropinquávit hora * Et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matt.* 26. 45. ℣. Ecce peccatóres intendérunt arcum; paravérunt sagittas suas. *Psal.* 10. 3. * Et Fílius.

Lectio VIII. *v.* 23.

Eucharistiæ institutio.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit: Accípite, & manducáte; hoc est corpus meum quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sánguine; hoc fácite quotiescumque bibé-

ctis in meam commemoratiónem. Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis; mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Venit Judas Iscariótes unus de duódecim, & cum eo turba multa cum gládiis & lignis: * Déderat autem tráditor ejus signum eis. *Marc.* 14. 43. ℣. In ore suo pacem cum amíco suo lóquitur, & occultè ponit ei insídias. *Jerem.* 9. 8. * Déderat.

LECTIO IX. *v.* 27. *Probet seipsum homo.*

ITaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè: reus erit córporis & sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cùm convénitis ad manducandum, ínvicem expectáte. Si quis ésurit, domi mandúcet: ut non in judicium conveniátis. Cétera autem, cùm vénero, dispónam.

℟. Spiritus oris nostri Christus Dóminus * Captus est in peccátis nostris, cui díximus: In umbra tua vivémus in géntibus. *Thr.* 4 20. ℣. Accessérunt, & manus injecérunt in Jesum, & tenuérunt eum. *Matt.* 26. 50. * Captus est. *Repet.* Spíritus, *usque ad versum.*

AD LAUDES.

In Ps. Dómine, ne in furóre .... corrípias me. *p.* 52.

Ant. 1. f. ECcè unus ex his qui erant cum Jesu percútiens servum Príncipis Sacerdótum, amputávit aurículam ejus. *Matt.* 26. 51.

In Ps. Usquequo. *p.* 70.

Ant. 4. a. Cùm tetigisset Jesus aurículam ejus, sanávit eum. *Luc.* 22. 51.

In Ps. Exaudi, Dómine, justítiam, *cum sua divisione,* p. 131.

Ant. 7. b. Tunc discípuli omnes, relicto Jesu, fugérunt. *Matt.* 26. 56.

Ant. 3. g. At illi.

Canticum. 2. Reg. 22. 2.

DOminus petra mea & robur meum, * & salvátor meus.

Deus fortis meus, spe-

tábo in eum, * ſcutum meum & cornu ſalútis meæ.

Elevátor meus & refúgium meum, * ſalvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum, * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis, * torrentes Bélial terruérunt me.

Funes inferni circumdedérunt me: * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocábo Dóminum, * & ad Deum meum clamábo.

Et exáudiet de templo ſuo vocem meam, * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. At illi tenentes Jeſum, duxérunt ad Cáipham príncipem Sacerdótum. *Matt.* 26. 57.

In Pſ. Laudáte Dóminum de cœlis. *p.* 12.

Ant. 4. A. Petrus autem ſequebátur Jeſum à longè, uſque in átrium príncipis Sacerdótum. *Mat.* 26. 58.

Dum cantatur Benedictus, *extinguuntur cerei altaris.*

Ad Benedict. *Ant.* 1. g. Eámus & nos ut moriámur cum Jeſu. *Joan.* 11. 16.

Dum dicitur hæc Antiphona, amovetur à cuſpide ſummus cereus accenſus, & abſconditur retrò altare.

Finitâ Antiphonâ, cantatur hac nocte à duobus Presbyteris, ſecundâ à duobus Diaconis, tertiâ à duobus Subdiaconis, retro altare flexis genibus, Kyrie, *cum Tropis; & omnes de choro genuflexi repetunt* Kyrie, *vel* Chriſte, *ut infrà notatur; quod etiam obſervatur in ſecunda & tertia nocte.*

PRECES.

Clerici. Kyrie, eléiſon. *Chorus.* Kyrie, eléiſon.

Cl. Dómine, miſerére; parce fámulis: Chriſtus Dóminus factus eſt obédiens uſque ad mortem. *Philip.* 2. 8. *Chorus*, Kyrie, eléiſon.

Cl. Qui dediſti redemptiónem teipſum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. 6. *Chorus*, Chriſte, eléiſon.

Cl. Qui à Juda óſculo tráditus, ſicut ovis ad occiſiónem ductus es. *Luc.* 22. 48. *Iſ.* 53. 7. *Ch.* Chriſte, eléiſon.

Cl. Qui exaltátus à terra, ómnia traxiſti ad teipſum. *Joan.* 12. 32. *Ch.* Chriſte, eléiſon.

Cl. Qui per Prophétam dixiſti: Ero mors tua,

& mors. *Os.* 13. 14. *Ch.* Kyrie, eléison.

Cl. Auctor vitæ per mortem destruxit eum qui habébat mortis impérium. *Act.* 3. 15. *Hebr.* 2. 14. *Ch.* Kyrie, eléison.

Cl. A forti prædam ábstulit, expólians potestátes, & palàm triumphávit. *Is.* 49. 24. *Colos.* 2. 15. *Ch.* Kyrie, eléison; Dómine, miserére; parce fámulis: Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem, *Clerici,* Mortem autem crucis. *Philipp.* 2. 8.

Inchoatur absolutè à Celebrante genuflexo Psalm. Miserére. 145. *quem omnes, flexis genibus, alternis choris, prosequuntur mediocri voce.*

Quo finito, Celebrans, flexis genibus, simili voce dicit absolutè sequentem Orationem.

RÉspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre torméntum; *secretò*, Qui tecum.

Et statim fit strepitus à Celebrante. Mox profertur cereus accensus; & omnes surgunt, & cum silentio discedunt.

AD HORAS, dicuntur recto vocis tono Psalmi de Dominica, excepto quòd ad Primam, loco Psalm. Confitémini, *dicitur Ps.* Deus, in nómine. 113. *omisso Symbolo* Quicumque. *Quibus finitis, dicitur Ant.* Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philip.* 2. 8. *Deinde,* Miserére. 145. *flexis genibus, & Orat.* Réspice. *quæ sub silentio concluditur.*

Hoc triduo Officium Capituli, Lectio Martyrologii, &c. omittuntur. Sine Benedictione & sine Tu autem *legitur:*

CANON.

Ex sancto Ambrósio.

Lib. de Jacob. c. 6.

COhæres Christi es, si compatiáre, si commoriáre, si consepeliáre cum Christo: súscipe passiónes, ut supra passiónes cum eódem esse mereáris.

Hodie dicuntur septem Psalmi Pœnitentiales deinde fit Absolutio eo ritu qui notatur in Missali.

AD VESPERAS.

In Ps. Diiexi. *p.* 50.

Ant. 1.D. TRáditus est Christus propter delicta nostra. *Rom.* 4. 25.

In Ps. Crédidi. *p.* 104.

Ant. 3. a. Non habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia. *Hebr.* 4. 15.

In Ps. Ad Dominum. *p.* 68.

Ant. 4. E. In quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliári. *Hebr.* 2. 18.

In Ps. Levávi. *p.* 50.

Ant. 6. F. Cùm esset Fílius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obediéntiam. *Hebr.* 5. 8.

In Ps. Beáti omnes. *p.* 142.

Ant. 8. G. Consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis æternæ. *Hebr.* 5. 9.

Ad Magníf. *Ant.* 1. f. Cœnántibus eis, accépit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discípulis suis. *Matt.* 26. 26.

Deinde, Pater noster, *secretò. Psalm.* Miserére, *Oratio*, Réspice, *pag.* 325.

AD COMPLETORIUM, *ut suprà*, 325.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

IN I. NOCTURNO.

In Ps. Dómine, quid multiplicáti sunt. *pag.* 3. *Ant.* 3. à. Multi dicunt: Non est salus ipsi in Deo ejus.

In Ps. Deus, Deus meus, réspice. *cum suis divisionibus. p.* 121. *Ant.* 2. D. Tribulátio próxima est; non est qui ádjuvet.

In Ps. Dóminus illuminátio mea. *cum sua divisione. pag.* 100. *Ant.* 8. G. Insurrexérunt testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

℣. Captábunt in ánimam justi; ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93. 21.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 8. *Sion destructa.*

COgitávit Dóminus dissipáre murum fíliæ Sion: tetendit funículum suum, & non avertit manum suam à perditióne: luxitque antemurále, & murus páriter dissipátus est. Defixæ sunt in terra portæ ejus: pérdidit & contrívit vectes ejus; regem ejus & príncipes ejus in géntibus: non est lex, & prophétæ ejus non invenérunt visiónem à Dómino. Sedérunt in terra, conticuérunt senes fíliæ Sion: conspersérunt cínere cápita sua, accincti sunt ciliciis: abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. Defecérunt præ láchrymis óculi mei, conturbáta sunt víscera mea: effúsum est in terra jecur meum super contritióne fíliæ pópuli mei; cùm

deficeret párvulus & lactens in platéis óppidi Jerúsalem.

℟. j. Quærébant adversùs Jesum testimónium, ut eum morti tráderent, nec inveniébant; multi enim testimónium falsum dicébant, * Et conveniéntia testimónia non erant. *Marc.* 14. *v.* 55. 56. ℣. Corrupti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis. *Ps.* 13. 2. * Et conveniéntia testimónia.

LECTIO II. *v.* 12.
Sion à Prophetis decepta.

MAtribus suis dixérunt: Ubi est tríticum & vinum? cùm defícerent quasi vulneráti in platéis civitátis: cùm exhalárent ánimas suas in sinu matrum suárum? Cui comparábo te? vel cui assimilábo te, filia Jerúsalem? cui exæquábo te, & consolábor te, virgo fília Sion? magna est enim velut mare contrítio tua: quis medébitur tuî? Prophétæ tui vidérunt tibi falsa & stulta, nec aperiébant iniquitátem tuam, ut te ad pœniténtiam provocárent: vidérunt autem tibi assumptiónes falsas & ejectiónes. Plausérunt super te mánibus omnes transeuntes per viam: sibilavérunt, & movérunt caput suum super filiam Jerúsalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decóris, gáudium universæ terræ? Jerúsalem.

℟. ij. Plectentes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, & arúndinem in déxtera ejus, * Et expuentes in eum, percutiébant caput ejus. *Matt.* 27. *v.* 29. 30. ℣. Venénum áspidum sub lábiis eórum, quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est, velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem. *Ps.* 13. 3. * Et expuentes.

LECTIO III. *Cap.* 3. 1.
Vir dolori suo traditus.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit & adduxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convertit manum suam totâ die. Vetustam fecit pellem meam & carnem meam; contrívit ossa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle & labóre. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempiternos. Circumædificávit adversùm me, ut non egrédiar: aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero, & rogávero, exclúsit oratiónem meam. Conclúsit vias meas lapídibus quadris; sémitas

meas subvertit. Jerúsalem.

℟. *iij.* Exívit Jesus portans corónam spíneam, & purpúreum vestimentum: * Dixit ad Jesum Pilátus: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. *Joan.* 19. *v.* 5. 9. ℣. Oblátus est quia ipse vóluit, & non apéruit os suum. *Isai.* 53. 7. * Dixit. *Repet.* Exívit Jesus, *usque ad versum.*

IN II. NOCTURNO.

In Ps. Dómine, ne in furóre, Quóniam. *cum sua divisione. pag.* 125. *Ant.* 8. c. Vim faciébant, qui inquirébant mala.

In Ps. Eripe me de inimícis. *cum sua divisione. p.* 109. *Ant.* 7. b. Loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum.

In Ps. Nonne Deo. *p.* 128. *Ant.* 5. a. Quousque irrúitis in hóminem? interfícitis universi vos.

℣. Non est in ore eórum véritas; ℟. Cor eórum vanum est. *Ps.* 5. 10.

Ex tractátu sancti Cypriáni Episcopi & Mártyris, de bono patiéntiæ.

LECTIO IV.

Circa initium.

IN Judæis tolerandis æquanímitas quanta, & quanta patiéntia! Incrédulos ad fidem suadendo flěctere, obséquio ingrátos fovére, contradicéntibus respondére léniter, supérbos sustinére clementer, humíliter persequéntibus cédere, Prophetárum interfectóres & adversùm Deum semper rebelles, usque ad crucis & passiónis horam, velle collígere. Sub ipsa autem passióne & cruce, priusquàm ad crudelitátem necis & effusiónem sánguinis veniréetur, quæ conviciórum probra patienter audíta, quæ contumeliárum toleráta ludíbria ut insultántium sputámina patienter excíperet, qui sputo suo cœci óculos paulò antè formasset, & in cujus nómine à servis nunc ejus, diábolus cum ángelis suis flagellátur, flagella ipse paterétur. Coronarétur spinis, qui Mártyres flóribus corónat ætérnis.

℟. *iv.* Aperuérunt super te os suum omnes inimíci tui: * Sibilavérunt, & fremuérunt déntibus, & dixérunt: Devorábimus; en ista est dies. *Thr.* 2. 16. ℣. Pilátus ait illis: Quid ergo vultis fáciam regi Judæórum? At illi iterùm clamavérunt: Crucifige eum. *Marc.* 15. 12. 13. * Sibilavérunt.

LECTIO V.

PAlmis in fáciem verberátur, qui palmas veras

veras vincéntibus tribuit: spoliarétur veste terrénâ, qui indumento immortalitátis céteros vestit: cibarétur felle, qui cibum cœlestem dedit: acéto potarétur, qui salutáre póculum propinávit. Ille innocens, ille justus; immò innocéntia ipsa, & ipsa justítia; inter facinorósos deputátur: & testimóniis falsis Véritas prémitur, judicátur judicatúrus, & Dei Sermo ad víctimam tacens dúcitur. Et cùm ad crucem Dómini confundantur sídera, contremiscat terra, nox diem claudat; sol, ne Judæórum fácinus aspícere cogátur, & rádios & óculos suos súbtrahat: ille non lóquitur, nec movétur, nec majestátem suam, sub ipsâ saltem passióne, profitétur: usque ad finem perseveranter ac júgiter tolerantur ómnia, ut consummétur in Christo plena & perfecta patiéntia.

℟. v. Suscepérunt Jesum, & eduxérunt; * Et bájulans sibi crucem exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum. *Joan.* 19. *v.* 16. 17. ℣. Tulit Abraham ligna holocausti, & impósuit super Isaac fílium suum. *Gen.* 22. 6. * Et bájulans sibi crucem.

Lectio VI.

Et post ista ómnia adhuc interfectóres suos, si conversi ad eum vénerint, súscipit; & patiéntiâ salutári ad conservandum, benignus & pátiens Ecclésiam suam némini claudit: illos adversários, illos blasphémos, illos nóminis sui semper inimícos, si pœniténtiam delicti agant, si admissum fácinus agnoscant, non solùm ad indulgéntiam críminis, sed & ad præmium regni cœlestis admittit. Quid potest patiéntius, quid benígnius! vivificátur Christi sánguine, étiam qui fudit sánguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patiéntia, quæ nisi talis ac tanta exísteret, Paulum quoque Apóstolum Ecclésia Dei non habéret. Quòd si & nos, fratres dilectíssimi, in Christo sumus, si ipsum indúimus, si ipse est salútis nostræ via: qui Christum vestígiis salutáribus séquimur, per Christi exempla gradiámur.

℟. vj. Crucifixérunt eum, & latrónes, unum à dextris, & álterum à sinistris. Jesus autem dicébat: * Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid fáciunt. *Luc.* 23. 33. ℣. Cum sceleratis

reputátus est ; & ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit. *Is.* 53. 12. * Pater. *Repet.* Crucifixérunt.

IN III. NOCTURNO.

In Ps. Exaudi .... cùm déprecor. *p.* 129. *Ant.* 1. *g.* Exacuérunt ut gládium linguas suas ; intendérunt arcum.

In Ps. Salvum me fac, Deus. *cum suis divisiónibus. p.* 111. *Ant.* 6. F. Quem tu percussísti, Dñe, persecúti sunt ; & super dolórem vúlnerũ addidérunt.

In Ps. Ut quid, Deus. *cum sua divisione. p.* 141. *Ant.* 4. E. Quanta malignátus est inimícus in sancto ! gloriáti sunt, Dómine, qui odérunt te.

℣. Dómini est salus, ℟. Et super pópulum tuum benedíctio tua. *Ps.* 3. 9.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECT. VII. *Cap.* 5. *v.* 1. *Christus pro impiis mortuus est.*

JUstificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum : per quem & habémus accessum, per fidem in grátiam istam in qua stamus, & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solùm autem, sed & gloriámur in tribulatiónibus : sciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur ; patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem, spes autem non confundit : quia cháritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essémus, secundùm tempus pro ímpiis mórtuus est? Vix enim pro justo quis móritur : nam pro bono forsitan quis áudeat mori.

℟. *vij.* A sexta hora ténebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam, & circa horam nonam exclamávit Jesus voce magnâ, dicens : * Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ! Jesus autem íterum clamans voce magnâ emísit spíritum. *Matt.* 27. 45. 46. 50. ℣. Usquequo, Dómine, oblivísceris me in finem ; úsquequo avertis fáciem tuam à me. *Ps.* 12. 1. * Deus.

LECTIO VIII. *v.* 8. *Christus pro nobis mortuus.*

COmmendat autem charitátẽ suam Deus in nobis : quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus Christus pro nobis mórtuus est : multò ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Si enim

cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem filii ejus : multò magis reconciliáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solùm autem, sed & gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónē accépimus. Proptéreà sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránsiit, in quo omnes peccavérunt. Usque ad legem enim peccátum erat in mundo : peccátum autem non imputabátur, cùm lex non esset. Sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen, étiam in eos qui non peccavérunt in similitúdinem prævaricatiónis Adæ, qui est forma futúri.

℟. *viij.* Vulnerátus est propter iniquitátes nostras ; attrítus est propter scélera nostra : * Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus. *Is.* 53, 5. ℣. Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui justítiæ vivámus. 1. *Pet.* 2, 24. * Disciplína.

LECTIO IX. *v.* 15.
Gratia superabundans.

SEd non sicut delíctum, ita & donum. Si enim unius delícto multi mórtui sunt : multò magis grátia Dei & donum in grátia uníus hóminis Jesu Christi in plures abundávit. Et non sicut per unum peccátum, ita & donum ; nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem : grátia autem ex multis delíctis in justificatiónem. Si enim uníus delícto mors regnávit per unum : multò magis abundántiam grátiæ, & donatiónis, & justítiæ accipientes, in vita regnábunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem : sic & per uníus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi : ita & per uníus obeditiónem, justi constituentur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delíctum. Ubi autem abundávit delíctum, superabundávit grátia. Ut sicut regnávit peccátum in mortem : ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. *ix.* Convenérunt advérsùs sanctum púerum tuum Jesum quem unxísti, Heródes & Póntius

Pilátus cum géntibus & pópulis Israël, * Fácere quæ manus tua, Dómine, & consílium tuum decrevérunt fieri. *Act.* 4. 27. 28. ℣. Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum advers̀us Dñm, & advers̀us Christum ejus. *Ps.* 2. 2. * Fácere. *Rep.* Convenérunt.

AD LAUDES.

In Ps. Verba mea. 78.

Ant. 3. b. PRóprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. *Rom.* 8. 32.

In Ps. Quemádmodum. *cum sua divisione.* 83.

Ant. 7. c. Vídimus eum, & non erat aspectus, & desiderávimus eum: despectum & novíssimum virórum, virum dolórum, & sciéntem infirmitátem. *Is.* 53. *v.* 2. 3.

In Ps. Miserére meî, Deus, miserére. *p.* 132.

Ant. 8. c. Pro ómnibus mórtuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est. 2. *Cor.* 5. 15.

Ant. 4. E. Occidétur.

Canticum. Dan. 9. *v.* 25.

AB éxitu sermónis, ut íterùm ædificétur Jerúsalem; * usque ad Christum ducem;

Hebdómades septem, * & hebdómades sexaginta duæ erunt.

Et rursùm ædificábitur plátea, * & muri in angústia témporum.

Et post hebdómades sexaginta duas * occidétur Christus:

Et non erit ejus pópulus * qui eum negatúrus est.

Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus * cum duce ventúro:

Et finis ejus vástitas, * & post finem belli statúta desolátio.

Confirmábit autem pactum multis * hebdómada una:

Et in dimídio hebdómadis * defíciet hóstia & sacrifícium.

Et erit in templo * abominátio desolatiónis:

Et usque ad consummatiónem & finem, * persevérábit desolátio.

Ant. Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. *Dan.* 9. 26.

In Ps. Cantáte Dómino . . . . laus ejus. 139.

Ant. 2. D. Tamquam ovis ad occisiónem ductus est; & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non apéruit os suum. *Act.* 8. 32.

Ad Benedict. *Ant.* 1. g. Omnis turba eórum qui simul áderant ad spectáculum istud, & vidébant quæ fiébant, percutientes péctora sua revertebantur. *Luc.* 23. 48.

Kyrie, eléison, *cum re-*

Siquis ut in die præcedenti.

A D H O R A S.

Post Psalmos dicitur : Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* 2. 8.

Ps. Miserére. 145. *Oratio*, Réspice. 325.

Post Primam sine benedict. Ex sancto Ambrósio.

In Psalm. 40.

INtéllige in vulnus Christi, ut vúlnera tua curet: intéllige in mortem, ut acquíras vitam ætérnam: intéllige in sepultúram, ut invénias resurrectiónē.

AD VESPERAS.

Dicuntur sine cantu Psal. & Antiph. sequentes.

In Ps. Nisi quia. 51.

Antiph. TRáditus est Christus propter delícta nostra. *Rom.* 4. 25.

In Ps. Sæpè expugnavérunt. 122. *Ant.* Non habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia. *Hebr.* 4. 15.

In Ps. Eripe me, Dómine. *cum sua divisione.* 124. *Ant.* In quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis qui tentantur, auxiliári. *Hebr.* 2. 18.

In Ps. Dómine, clamávi. 69. *Ant.* Cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est, obediéntiam. *Hebr.* 5. 8.

In Ps. Voce meâ. 70. *Ant.* Consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ. *Hebr.* 5. 9.

Ad Magníficat. *Ant.* Deus, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. *Act.* 3. 18.

Oratio. Réspice. 325.

AD COMPLETORIUM, *ut in die præcedenti.*

SABBATO SANCTO.

AD OFFICIUM NOCT.

IN I. NOCTURNO.

In Ps. Dómine Deus meus. *cum sua divisione.* 53. *Ant.* 2. D. Consumétur nequítia peccatórum; & díriges justum, Dómine.

In Ps. Dómine, quis habitábit? 54. *Ant.* 4. E. Habitábit in tabernáculo tuo; requiéscet in monte sancto tuo.

In Ps. Conserva me. 90. *Ant.* 1. g. Non dabis, Dómine, sanctum tuum vidére corruptiónem.

℣. Fremuérunt gentes. ℟. Et pópuli meditáti sunt inánia. *Ps.* 2. 1.

De lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO I. *Cap.* 3. *v.* 22.

Deus misericors est : sit homo patiens.

MIsericórdiæ Dñi, quia non sumus consumpti, quia non defecérunt misera-

tiónes ejus. Novi dilúculo; multa est fides tua. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptéreà expectábo eum. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærenti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua. Sedébit solitárius, & tacébit: quia levávit super se. Ponet in púlvere os suum, si fortè sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturábitur oppróbriis. Jerúsalem.

℟. j. In diébus carnis suæ, * Preces, supplicationesque cum clamóre válido, & lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. *Hebr.* 5. 7. ℣. Vídimus eum novíssimum virórū, virum dolórum, & sciéntem infirmitátem. *Is.* 53. 3. * Preces.

LECTIO II. *Cap.* 4. *v.* 1.
Sion devastata.

QUómodò obscurátum est aurum; mutátus est color óptimus: dispersi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum? Fílii Sion ínclyti, & amicti auro primo: quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum fíguli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos suos: fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto. Adhæsit lingua lacténtis ad palátum ejus in siti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui vescebantur voluptuósè, interiérunt in viis: qui nutriebantur in cróceis, amplexáti sunt stércora. Et major effecta est iníquitas fíliæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subversa est in moménto, & non cepérunt in ea manus. Jerúsalem.

℟. ij. Quorum animálium infertur sanguis pro peccáto in sancta, horum córpora cremantur extra castra: * Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portantes. *Hebr.* 13. *v.* 11. 12. 13. ℣. Quorum sanguis illátus est in Sanctuárium, ut expiátio compleréetur, asportábunt forás castra, & combúrent igni. *Levit.* 16. 27. * Propter quod.

Orátio Jeremíæ Prophétæ.

LECTIO III. *Cap.* 5. *v.* 1.
Oratio Jeremiæ Prophetæ pro renovatione Jerusalem.

REcordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére & réspice oppró-

brium nostrum. Hæréditas nostra versa est ad aliénos, domus nostræ ad extráneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecúnia bíbimus: ligna nostra prétio comparavimus. Cervícibus nostris minabámur; lassis non dabátur réquies. Ægypto dédimus manum & Assyriis, ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, & non sunt: & nos iniquitátes eórum portávimus. Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redímeret de manu eórum. In animábus nostris afferebámus panẽ nobis, à fácie gládii in deserto. Pellis nostra quasi clíbanus exusta est à fácie tempestátum famis. Mulíeres in Sion humiliavérunt, & vírgines in civitátibus Juda. Jerúsalem.

℟. *iij.* Ad Jesum cùm venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, * Non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum lánceâ latus ejus apéruit; & contínuò exívit sanguis & aqua: facta sunt enim hæc, ut Scriptúra impleirétur. *Joan.* 19. *v.* 33. 34. 35. ℣. Os non comminuétis ex eo: & vidébunt in quem transfixérunt. *Exod.* 12. 46. *Num.* 9. 11. *Zach.* 12. 10. * Non fregérunt. *Repet.* Ad Jesum cùm venissent.

IN II. NOCTURNO.

In Ps. Dómini est terra. 58. *Ant.* 5. a. Elevámini, portæ æternáles; & introíbit Rex glóriæ.

In Ps. Exaltábo te. 8. *Ant.* 6. F. Vita in voluntáte ejus; & ad matutínum lætítia.

In Ps. Exaudi, Deus, deprecatiónem. 110. *Ant.* 7. ç. Adjícies, Dómine, annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis; pérmanet in æternum.

℣. Accédet homo ad cor altum, ℟. Et exaltábitur Deus. *Ps.* 63. 8.

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi, super Psalmos.

LECTIO IV.

In Psal. 63.

Accédet homo ad cor altum, & exaltábitur Deus. Illi dixérunt: Quis nos vidébit? Defecérunt scrutantes scrutatiónes, consília mala. Accessit homo ad ipsa consília, passus est se tenéri ut homo. Non enim tenerétur nisi homo, aut viderétur nisi homo, aut cæderétur nisi homo, aut crucifigerétur, aut morerétur nisi homo. Accessit ergo homo ad illas omnes passiónes, quæ in illo nihil valérent, nisi esset homo. Sed si ille non

esset homo, non liberarétur homo. Accessit homo ad cor altum, id est, cor secrétum: objiciens aspéctibus humánis hóminem; servans intùs Deum: celans formam Dei, in qua æquális est Patri; & offerens formam servi, quâ minor est Patre.

℟. iv. Velum templi scissum est: terra mota est; petræ scissæ sunt: * Monumenta aperta sunt; & multa córpora sanctórum surrexérunt. *Matt.* 27. v. 51. 52. ℣. Eduxit eos de ténebris & umbra mortis, & víncula eórum disrúpit. *Ps.* 106. 14. * Monumenta aperta.

LECTIO V. *Post pauca.*

QUò perduxérunt illas scrutatiónes suas, quas perscrutantes defecérunt; ut étiam mórtuo Dómino & sepulto, custódes pónerent ad sepulcrum? Dixérunt enim Piláto: Seductor ille. Hoc appellabátur nómine Dóminus Jesus Christus, ad solátium servórum suórum, quando dicuntur seductóres. Ergo illi, Piláto: Seductor ille, ínquiunt, dixit adhuc vivens, Post tres dies resurgam: jube ítaque custodíri sepulchrum usque in diem tértium, ne fortè véniant discípuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis; & erit novíssimus error pejor prióre. Ait illis Pilátus: Habétis custódiam; ite, custodíte sicut scitis.

℟. v. Videns centúrio quod factum fúerat, glorificávit Deum, dicens: Verè hic homo justus erat; * Et omnis turba eórum qui simul áderant, percutientes péctora sua revertebantur. *Luc.* 23. v. 47. 48. ℣. Aspícient, & plangent eum planctu quasi super unigénitum. *Zach.* 12. 10. * Et omnis turba.

LECTIO VI.

COncussâ terrâ, Dóminus resurrexit: mirácula facta sunt tália circa sepulchrum, ut & ipsi mílites, qui custódes advénerant, testes fierent, si vellent vera nuntiáre. Sed avarítia illa quæ captivávit discípulum cómitem Christi, captivávit & mílitem custódem sepulchri. Damus, ínquiunt, vobis pecúniam, & dícite quia vobis dormiéntibus venérunt discípuli ejus, & abstulérunt eum. Verè defecérunt scrutantes scrutatiónes. Quid est quod dixisti, ô infélix astútia? tantumne déseris lucem consílii pietátis, & in profunda versútia demérgeris, ut hoc dicas; Dícite quia vobis dormiéntibus

venérunt discípuli ejus, & abstulérunt eum? Dormientes testes ádhibes: verè tu ipse obdormisti; qui scrutando tália, defecisti.

℟. *vj.* Rogávit Pilátum Joseph ut tólleret corpus Jesu; venit autem & Nicodémus: * Accepérunt ergo corpus Jesu, & ligavérunt illud línteis cum aromátibus sicut mos est Judæis sepelíre. *Joan.* 19. 38. 39. ℣. Benedícti vos à Dómino, qui fecistis misericórdiam hanc cum Dómino vestro, & sepelistis eum 2. *Reg.* 2. 5. * Accepérunt. *Rep.* Rogávit.

IN III. NOCTURNO.

In Psal. Notus in Judæa Deus. 130. *Ant.* 7. d. In pace factus est locus ejus, & in Siō habitátio ejus.

In Ps. Dómine Deus salútis meæ. 136. *Ant.* 8. G. Inferno appropinquávit inter mórtuos liber.

In Ps. Deus ultiónum *cum sua divisione.* 86. *Ant.* 3. à. Factus est Dóminus in refúgium & in adjutórium.

℣. Deus, tu convérsus vivificábis nos, ℟. Et plebs tua lætábitur in te. *Ps.* 84. 7.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECT. VII. *Cap.* 9. *v.* 11.

Christus Pontifex.

CHristus assistens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum non manu factum, id est, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem, introívit semel in Sancta, ætérnâ redemptióne inventa. Si enim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aspersus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónē carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostrā ab opéribus mórtuis, ad serviendum Deo viventi?

℟. *vij.* Stat in signum populórum: ipsum gentes deprecabuntur: * Et erit sepulchrum ejus gloriósum. *Isai.* 11. 10. ℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm scriptúras, & sepultus est. 1. *Cor.* 15. *v.* 3. 4. * Et.

LECTIO VIII. *v.* 15.

Christus Mediator.

ET ídeo novi testamenti mediátor est; ut, morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testamento, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt, ætérnæ hæreditátis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercédat testa-

tóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est : alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis à Móyse universo pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum cum aqua, & lana coccínea, & hyssópo, ipsum quoque librum, & omnem pópulum aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vasa ministérii, sánguine simíliter aspersit. Et ómnia pene in sánguine secundùm legem mundantur; & sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. *viij.* Christus pro peccátis nostris mórtuus est, ut nos offerret Deo, * Et his qui in cárcere erant spirítibus, véniens prædicávit. 1. *Petr.* 3. 18. 19. ℣. Contrívit portas æreas, & vectes férreos confrégit. *Ps.* 106. 16. * Et his.

LECTIO IX. *v.* 23.

Christus hostia.

NEcesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári : ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introívit, exemplária verórum; sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis : neque ut sæpe ófferat semetipsum, quemádmodum Póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine alíeno : alióquin oportébat eum frequenter pati ab orígine mundi; nunc autem semel in consummatióne seculórum, ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori, post hoc autem judícium; sic & Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta : secundò sine peccáto apparébit expectántibus se, in salútem.

℟. *ix.* Christus novi testamenti mediátor, * Initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id est, carnem suam, in intróitum sanctórum, nondum propalátam, adhuc prióre tabernáculo habente statum. *Hebr.* 9. & 10. ℣. Ascendet pandens iter ante eos; Dóminus in cápite eórum. *Mich.* 2. 13. * Initiávit. *Rep.* Christus. *usque ad* ℣. *exclusivè.*

AD LAUDES.

In Ps. Júdica me, Deus, & discerne. 84. *Ant.* 4. a. Joseph qui erat decúrio,

vir bonus, & justus, non consénserat consílio & áctibus eórum. *Luc.* 23. *v.* 50. 51.

In Ps. Inclína. *cum sua divisione.* 146. *Ant.* 8. c. Ipse audacter introívit ad Pilátum, & pétiit corpus Jesu. *Marc.* 15. 43.

In Ps. Dómine, exaudi .... áuribus. *cum sua divisione.* 137. *Ant.* 6. F. Depónens eum involvit síndone, & pósuit eum in monumento. *Marc.* 15.46.

Ant. 4. E. Sicut.

Canticum Jonæ. Cap. 2. 3.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, & exaudívit me: * de ventre ínferi clamávi, & exaudísti vocem meam.

Et projecísti me in profúndum in corde maris, & flumen circúmdedit me: * omnes gúrgites tui & fluctus tui super me transiérunt.

Et ego dixi: Abjectus sum à conspectu oculórum tuórum: * verúmtamen rursùs vidébo templum sanctum tuum.

Circúmdedérunt me aquæ usque ad ánimam: * abyssus vallávit me, pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium descendi; terræ vectes conclusérunt me in ætérnum: * & sublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus.

Cùm angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum: * ut véniat ad te orátio mea, ad templum sanctũ tuum.

Qui custódiunt vanitátes frustrà, * misericórdiam suam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolábo tibi: * quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino.

Ant. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus & tribus nóctibus; sic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus & tribus nóctibus. *Matt.* 12. 40.

In Psal. Laudáte Dóminum in sanctis. 61. *Ant.* 3. g. María Magdaléne, & María Joseph aspiciébant ubi ponerétur. *Marc.* 15. 47.

Ad Benedict. *Ant.* 1. g. Revertentes mulíeres paravérunt arómata & unguenta; & sábbato quidem siluérunt secundùm mandátum. *Luc.* 23. 56.

Kyrie, *cum reliquis, ut suprà.* 332.

AD HORAS, post Psalmos dicitur: Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen quod est super omne nomen. *Philip.* 2. 8. 9.

Psalm. Miserére 145.
Oratio, Réspice. 325.
Post Primam sine benedict.
Ex sancto Hierónymo.
In Matt. Cap. 27.

IN novo pónitur monumento, ne post resurrectiónem, céteris corpóribus remanéntibus, resurrexisse álius fingerétur.

Factâ Communione in Missa, pro Vesperis dicitur tantùm Psalmus & Canticum sequens, cum suis Antiph. sine Glória.

AD VESPERAS.

Ant. 5. a. Allelúia.
Psalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes; * laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in æternum.

Ant. Allelúia, quóniam in æternum, allelúia, misericórdia ejus, allelúia, allelúia. *Ps.* 135.

Ad Magnífic. *Ant.* 6. F. Cùm transísset sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia. *Marc.* 16. 1.

Sacerdos ad altare dicit:
℣. Dóminus vobíscum,
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens, Deus, ut divíno múnere satiáti, & sacris mystériis innovémur & móribus; Per.

Deinde ℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Diaconus dicit, Ite, Missa est. ℟. Deo grátias.

¶ *Extra Chorum Vespera dicuntur ut suprà, sed ante Orationem non dicitur* Dóminus vobíscum, *nec* Orémus; *& post Orationem nihil additur.*]

AD COMPLETOR.

Non præmittitur Convérte nos, *nec* Deus, in adjutórium: *sed dictis sine* Glória Patri, *Psalmis* Cùm invocárem; Qui hábitat; *&* Ecce nunc. 31. *de* 2. *in* A. *dicitur*, Allelúia.

Deinde, Nunc dimíttis. *de* 8. *in* G. *sine* Glória Patri. *sub Ant.* Véspere sábbati quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María, vidére sepulchrum, allelúia. *Matt.* 28. 1.

Statim sequitur Oratio, ante quam non dicitur Dóminus vobíscum, *nec* Orémus.

Oratio.

ILlúmina vitam nostram, Deus, in hac nocte sanctíssima quâ recólimus exórdia Resurrectiónis Filii tui Dómini nostri Jesu Christi; Qui tecum vivit & regnat.

Non dicitur Dñs vobíscum, *nec* Benedicámus.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

ANNUALE.

AD OFFICIUM NOCT.
℣. Dómine, lábia, &c.
Glória Patri, &c. Allelúia.
Invitat. Allelúia, Surrexit Dóminus verè, * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 24. 34.
Psal. Veníte.
Non dicitur Hymnus, nec accinitur jubilus in fine Antiphonarum; quod servatur etiam ad omnes Horas per totam Octavam.
Ant. 1. Repromissiónem.

PSALMUS 2.

Christus à Patre per resurrectionem genitus: ipsi serviendum.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?
Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.
Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.
Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.
Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.
Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.
Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.
Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.
Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.
Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram:
Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre:
Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.
Cùm exárserit in brevì ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.
Ant. Repromissiónem Deus adimplévit, resúscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Fílius meus es tu,

ego hódie génui te, allelúia. *Act.* 13. 33.

Ant. 4. *D.* Quod Deus.

PSALMUS 15.

De Christi resurrectione prophetia.

COnserva me, Dómine, quóniam sperávi in te; * dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum; * pósteà acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiescet in spe.

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo; * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Quod Deus suscitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reversúrum in corruptiónem, ita dixit: Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem, allelúia. *Act.* 13. 34.

Ant. 8. G. Definíto.

PSALMUS 29.

Christi resurgentis carmen.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanasti me.

Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorá-

bitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem :

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo,* & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, & misertus est meî : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti plánctum meum in gáudium mihi:* conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar : * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Ant. Definíto consílio & præsciéntiâ Dei tráditum, Deus suscitávit, solútis dolóribus inferni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo, allelúia. *Act.* 2. 23. 24.

℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ ;

℟. Commóta est & contrémuit terra. *Ps.* 76. 19.

Pater noster.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio I. *Cap.* 6. *v.* 3.

Christi resurrectio : vitæ novitas.

An ignorátis, fratres, quia quicumque baptizáti sumus in Christo Jesu in morte ipsíus baptizáti sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem ; ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo ; sciéntes quòd Christus resurgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel ; quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimáte vos mórtuos

quidem esse peccáto, viventes autem Deo in Christo Jesu Dómino nostro. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

℟. Angelus Dómini revolvit lápidem, & sedébat super eum; erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix; *Præ timóre extérriti sunt custódes, & facti sunt velut mórtui, allelúia, allelúia. *Matt.* 28. 2. 3. ℣. In multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos; quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? *Exod.* 15. 7. 11. * Præ timóre. *Resum.* Angelus.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tom. 5. *Serm.* 231. *in diebus Pasch.*

LECTIO II.

RESurréctio Dómini nostri Jesu Christi, nova vita est credéntium in Jesum; & hoc est sacramentum passiónis & resurrectiónis ejus, quod valde nosse & ágere debétis. Non enim sine causa vita venit ad mortem: non sine causa fons vitæ, unde bíbitur ut vivátur, bibit hunc cálicem qui ei non debebátur. Non enim Christo debebátur mors. Huic conditióni mortis obstrictus náscitur omnis homo; sed præter illum hóminem qui homo factus est, ne períret homo. Pœna culpæ mors: Dóminus Jesus Christus mori venit, peccáre non venit. Communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam. Quam pœnam solvit? quæ nobis debebátur post istam vitam. Ergo crucifixus est, ut in cruce osténderet, véteris hóminis nostri occásum; & resurrexit, ut in sua vita osténderet nostræ vitæ novitátem. Tu autem, Dómine.

℟. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur, *Non in fermento véteri, neque in fermento malítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis, allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 5. 7. 8. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & justi epulentur & exultent in conspectu Dei. *Psalm.* 67. 2. 4. * Non in fermento. *Resum.* Pascha.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

LECT. III. *Cap.* 16. 1.

Resurrectio Christi.

IN illo témpore; María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut venientes úngerent Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 21. hab. in Bas. S. Mariæ Maj. in die Pascha.

AUdistis, fratres charíssimi, quòd sanctæ mulíeres quæ Dóminum fúerant secútæ, cum aromátibus ad monumentum venérunt; & ei quem viventem diléxerant, étiam mórtuo, stúdio humanitátis obsequuntur. Sed res gesta áliquid in sancta Ecclésia signat gerendum. Sic quippe necesse est ut audiámus quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam quæ nobis sint ex eórum imitatióne facienda. Et nos ergo in eum qui est mórtuus credentes, si odóre virtútum referti, cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monumentum profectò illíus cum aromátibus venímus. Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt; quia vidélicet illæ mentes supernos cives aspíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per sancta desidéria proficiscuntur. Notandum verò nobis est, quidnam sit, quòd in dextris sedére Angelus cérnitur, qui stolâ cándidâ coopertus appáruit. Sed quid advenientes féminas affátur, audiámus: Nolíte expavéscere; ac si apertè dicat: Páveant illi qui non amant adventum supernórum cívium. Vos cur pertiméscitis quæ vestros concíves vidétis? Unde & Matthæus Angelum apparuisse descríbens, ait; Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix. In fulgóre étenim terror timóris est, in nive autem blandimentum candóris. Quia verò omnípotens Deus, & terríbilis peccatóribus, & blandus est justis; rectè testis resurrectiónis ejus Angelus, & in fulgóre vultûs, & in candóre hábitûs demonstrátur; ut de ipsa sua spécie & terréret réprobos, & mulcéret pios.

℟. Benedictus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam * Regenerávit nos in spem vivam † Per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, allelúia, allelúia. 1. *Petr.* 1. 3. ℣. Benedictus Dóminus, quóniam mirificávit misericórdiam suam. *Ps.* 30. 22. * Regenerávit. ℣. Glória * Per. *Resumitur*, Benedictus Deus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Cantábo fort-

titúdinem tuam, Dómine; ℞. Et exultábo manè misericórdiam tuam. *Psal.* 58. 17.

Psalmi de Dominica, excepto Cantico.

Ant. 8. *G.* VAldè manè unâ Sabbatórum véniunt mulíeres ad monumentum orto jam sole, allelúia. *Marc.* 16. 2.

Ant. 7. d. Dicébant ad ínvicem: Quis revolvet nobis lápidem? Et respicientes vidérunt revolútum lápidem, allelúia. *Ib.* 3. 4.

Ant. 1. D. Introeuntes in monumentum, vidérunt júvenem sedentem in dextris coopertum stolâ cándidâ, qui dicit illis: Surrexit, non est hîc, allelúia. *Ibid.* 5. 6.

Ant. 6. F. In hoc Christus.

Canticum. Apoc. 5.

ECce vicit leo de tribu Juda, * radix David.

Dignus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre signácula ejus:

Quóniam occísus es, * & redemisti nos Deo in sánguine tuo,

Ex omni tribu, & linguâ, * & pópulo, & natióne;

Et fecisti nos Deo nostro regnum, * & sacerdótes.

Dignus est Agnus qui occísus est, * accípere virtútem;

Et divinitátem, & sapiéntiam, * & fortitúdinem;

Et honórem, & glóriam, * & benedictiónem;

Sedenti in throno & Agno, * benedíctio & honor,

Et glória & potestas, * in sécula seculórum.

Glória Patri, &c.

Ant. In hoc Christus mórtuus est & resurrexit: ut & mortuórum & vivórum domínetur, allelúia. *Rom.* 14. 9.

Ant. 3. a. Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus? allelúia. 1. *Cor.* 15. *v.* 54. 55.

Loco Capituli, Hymni, & Versiculi, dicitur:

Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. *Ps.* 117. 24.

Ad Benedict. *Ant.* 1. Exiérunt citò de monumento cum timóre & gáudio magno, currentes nuntiáre discípulis ejus; & ecce Jesus occurrit illis, allelúia. *Matt.* 28. 8. 9.

Oratio.

DEus, qui hodiernâ die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum devíctâ morte reserasti: vota nostra, quæ præveniendo aspíras, étiam adjuvando prosé-

quere ; Per eumdem.

℣. Dóminus vobiscum. Benedicámus.

AD HORAS, Psalmi de Dominica.

Dicto Deus, in adjutórium, *non dicitur Hymnus ; sed absolutè incipitur Psalmus de 1. in b. & loco Antiphonæ, Capituli, ℟℟. brev. & Versic. dicitur* Allelúia *semel ; deinde*, Hæc dies quam fecit Dóminus ; exultémus & lætémur in ea. *Et statim dicitur*, Dóminus vobiscum, *& Oratio, quæ ad Primam est Oratio solita ; quam sequitur lectio Martyrologii, & reliquum Capituli Officium ; ad cujus Absolutionem legitur :*

CANON.

Ex Concílio Matisconensi secundo.

An. 585. *Can.* 2.

PAscha nostrum in quo summus Sacerdos & Póntifex pro nostris delictis, nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus est, debémus omnes festivíssimè cólere, & sédulæ observatiónis sinceritáte in ómnibus venerári ; ut illis sanctíssimis diébus omnes simul coadunáti, hymnis Paschálibus indulgentes, perseveratiónis nostræ præséntiam quotidiánis sacrifíciis ostendámus, laudantes creatórem ac regeneratórem nostrum véspere, manè, & merídie.

AD VESPERAS.

Psal. Dixit Dóminus. *p.* 27.

Ant. 1. D. DEdit Christum Deus manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis, allelúia. *Act.* 10. *v.* 40. 41.

Psal. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 27.

Ant. 4. E. Surgens Jesus manè primâ sábbati, appáruit primò Maríæ Magdalénæ, allelúia. *Marc.* 16. 9.

Psal. Beátus vir qui timet, *p.* 28.

Ant. 6. F. Surrexit Dñs verè, & appáruit Simóni, allelúia. *Luc.* 24. 34.

Graduale, Hæc *Chorus* dies quam fecit Dóminus ; exultémur & lætémur in ea. ℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus ; quóniam in sǽculum misericórdia *Chorus* * ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Petrus vidit linteámina pósita, & sudárium quod fúerat super caput * ejus. Allelúia. *Joan.* 20. 6.

Sequentia.

VICTIMÆ Pascháli laudes ímmolent Christiáni,

Agnus redémit oves ; Christus innocens Patri

reconciliávit peccatóres.

Mors & vita duello conflixére mirando : dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

Dic nobis, María, quid vidisti in via?

Sepulchrum Christi viventis, & glóriam vidi resurgentis;

Angelicos testes, sudárium, & vestes.

Surrexit Christus spes mea : præcédet vos in Galilæam.

Scimus Christum surrexisse à mórtuis verè; tu nobis, victor Rex, miserére, Amen.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in æternum misericórdia ejus. *Ps.* 135. 26.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Cùm serò esset in die illo, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti : venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis : Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20. 19.

Oratio, Deus qui hodiernâ die, *ut suprà*. 354.

Qui privatim recitant, non tenentur ad ea quæ sequuntur usque ad Completorium exclusivè; quæ tamen in Ecclesiis ubi non sunt Fontes, cantantur in choro; in aliis verò, dicto Benedicámus, *progreditur Clerus ad Fontes.*

Eundo, cantatur Ant. Allelúia. *Psal.* 112. Laudáte púeri. 28. *Ant.* 3. a. Allelúia, à solis ortu usque ad occásum, laudábile nomen Dómini, allelúia, allelúia.

Deinde dicitur ℟. Quicumque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem; * Ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam patris; ita & nos in novitáte vitæ ambulémus, allelúia. *Rom.* 6. 3.

Ad Fontes cantatur à quatuor pueris :

℣. Dextera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine : flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare. Dux fuisti in misericórdia tua, pópulo quem redemisti. *Exod.* 15. * Ut.

Deinde sine versu & sine Dóminus vobiscum.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui ad æternam vitam in Christi resurrectióne nos réparas; imple pietátis tuæ ineffábile Sacramentum, ut cùm in majestáte sua Salvátor noster advénerit, quos fecisti baptismo regenerári, fácias beátâ immortalitáte vestíri; Per eumdem Dóminum.

Eundo ad Stationem,

Ant. Allelúia. *Ps.* 113. In éxitu Israël. 29.

Ant. 1. A. Allelúia, ómnia quæcumque vóluit, fecit, allelúia.

℣. Salvávit sibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium sanctum ejus. *Ps.* 97. 1.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui resurrectiónis tuæ fidem per baptísmi grátiam in nobis obsignáre voluísti; concéde, ut à peccáti morte liberáti, in novitáte vitæ ambulémus; Qui vivis.

Redeundo cantatur

℟. Christus resurgens ex mórtuis jam non móritur; * Mors illi ultrà non dominábitur: quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia. *Rom.* 6. 9. 10.

Ante crucifixum cantatur:

℣. Præcipitábit mortem in sempitérnum, & oppróbrium pópuli sui áuferet de universa terra: exultábimus & lætábimur in salutári ejus. *Is.* 25. 8. 9.

Tum Clerus ingreditur Chorum dicens: *Mors illi.

℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes, ℟. Hic factus est in caput ánguli. *Ps.* 117. 22.

Orémus. *Oratio.*

DEus, cujus Filius pro nobis crucifixus mundum redimere dignátus est: præsta, ut qui de nostra redemptióne lætámur, gáudiis, te donante, perfruámur æternis; Per.

AD COMPLETORIUM.

Dicto Converte nos. *dicuntur absolutè Psalmi* Cùm invocárem. Qui hábitat. *&* Ecce nunc. 31. *Et in fine*, Allelúia. *semel.*

Deinde imponitur Hæc dies. *Et dicitur integrè.*

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 5. a. Mane nobíscum, Dómine, allelúia; quóniam advesperáscit, & inclináta est jam dies, allelúia, allelúia. *Luc.* 24. 29.

Orémus. *Oratio.*

DEus, quo absorpta est mors in victória; fac, ut resurrectiónis tuæ partícipes, sive vigilémus, sive dormiámus, non vivámus nobis; sed tibi, qui pro nobis mórtuus es, & resurrexísti; Qui vivis & regnas cum Deo Patre. ℟. Amen.

Prædictus modus Horarum servatur usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
Paschæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium, Antiphona, Psalmi, versiculus, ut in die.

Lectiones & Responsoria, ut infrà in quolibet die.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Ant. & Ps. cum Cantico ut in die.*

Ant. ad Benedictus, *& Oratio, ut infrà in qualibet die.*

AD HORAS, ut in die, exceptâ Oratione, quæ reperitur in quolibet die.

CANON, infrà in qualibet Feria.

AD VESPERAS.

Psalmi & Antiphonæ, ut in die.

Graduale, Hæc dies; *Ant. ad* Magníficat, *cum Oratione, ut in quolibet die.*

In Processione ad Fontes, ut in die Paschæ; Orationes ut in quolibet die.

AD COMPLETORIUM, *omnia ut in die.*

FERIA SECUNDA.

Duplex-majus.

Incípiunt Actus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 1. *v.* 1.

Christus præbuit seipsum vivum.

PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere & docére, usque in diem, quâ præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum, quos elégit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Joannes quidem baptizávit aquâ; vos autem baptizabímini Spíritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum dicentes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse témpora vel momenta, quæ Pater pósuit in suâ potestáte: sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Qui habitábant Jerúsalem, & príncipes ejus ignorantes Jesum, * Petiérunt à Piláto ut interficerent eum; Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die, allelúia, allelúia. *Act.* 13. 27. ℣. Ipsi non cognovérunt cogitatiónes Dómini, & non intellexérunt consílium ejus. *Mich.* 4. 12. * Petiérunt à Piláto ut interficerent.

Ex Históría Ecclesiástica Eusébii Cæsariensis Epíscopi.

LECTIO II. *lib.* 1. *Cap.* 11.

JOséphus in octávo décimo Antiquitátum libro, Servatóris nostri mentiónem facit his verbis: Iisdem tempóribus Jesus quidam fuit vir sápiens, si tamen virum eum appelláre fas est: erat quippe admirabílium óperum effector, doctorque eórum qui veritátem libenti ánimo complectebantur. Multos ille, partim ex Judæis, partim ex Gentílibus, sectatóres sibi adjunxit. Hic erat Christus, quem à gentis nostræ primóribus delátum, cùm Pilátus crucis supplício addixisset, hi tamen qui illum diléxerant, eum deinceps cólere non destitérunt. Tértio enim die vivus ac spirans eis appáruit, prout divíni Prophétæ, hæc & ália quamplúrima de illo mirífica prædíxerant. Abhinc porrò Christianórum genus qui ab eo nomen sumpsére, ad nostram usque ætátem continuátum mánet. Hæc ígitur cùm scriptor ille ex Hebræis oriundus de Joanne Baptista & de Servatóre nostro in libris suis commemoráverit, quod jam effúgium relínquitur his, qui adversùs eos acta illa confinxérunt, quóminùs impudentíssimi esse convincantur?

℞. Christus crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei: & nos infirmi sumus in illo; sed vivémus cum eo * Ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 13. 4. ℣. Vivificábit nos, & suscitábit nos; & vivémus in conspectu ejus. *Os.* 6. 3. * Ex virtúte.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 24. 13.

Apparitio in Emmaüs.

IN illo témpore; Duo ex discípulis Jesu ibant ipsâ die in castellum, quod erat in spátio stadiórum sexaginta ab Jerúsalem, nómine Emmaüs. Et factum est dùm fabularentur, & secum quærerent; & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; óculi autem illórum tenebantur ne eum agnóscerent. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 23. in Evang. habita in basil. S. Petri in crastino Pascha.

AUdistis, fratres charíssimi, quia duóbus discípulis ambulántibus in via, non quidem cre-

déntibus, sed tamen de se loquéntibus, Dóminus appáruit; sed eis spéciem, quam recognóscerent, non ostendit. Hoc ergo egit foris Dñs in óculis córporis, quod apud ipsos agebátur intùs in óculis cordis. *Ipsi namque apud semetipsos intùs & amábant, & dubitábant: eis autem Dóminus foris & præsens áderat, & quis esset non ostendébat. De se ergo loquéntibus præséntiam exhíbuit: sed de se dubitántibus cognitiónis suæ spéciem abscondit. Verba quidem cóntulit, durítiam intellectûs increpávit, sacræ Scriptúræ mystéria, quæ de seipso erant, apéruit: & tamen quia adhuc in eórum córdibus peregrínus erat à fide, se ire lóngiùs finxit. Fíngere namque compónere dícimus: unde & compositóres luti, fígulos vocámus. Nihil ergo simplex Véritas per duplicitátem fecit: sed talem se eis exhíbuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant, si hi, qui eum etsi necdum ut Deum dilígerent, saltem ut peregrínum amáre potuissent.

℞. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur, * Non in fermento véteri neque in fermento malítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis, allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 5. 7. 8. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & justi epulentur & exultent in conspectu Dei. *Ps.* 67. 2. 4. * Non. ℣. Glória. * Non. Te Deum.

Ad Benedict. *Ant.* 7. 2. Incípiens Jesus à Móyse & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris quæ de ipso erant, allelúia. *Luc.* 24. 27.

Orémus. Orátio.

DEus, qui solemnitáte Pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsúmus, cœlesti dono prosequere; ut & perfectam libertátem cónsequi mereátur, & ad vitam profíciat sempitérnam; Per.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 13. *de Euchar.* *Cap.* 7.

COmmunicáre volenti revocandum est in memóriam Apóstoli præceptum: Probet autem seipsum homo: Ecclésiæ consuetúdo declárat eam probatiónem necessáriam esse, ut nullus sibi cónscius peccáti mortális, quantumvis contrítus videátur, absque præmissa sacramentáli

mentáli Confeſſióne, ad ſacram Euchariſtiam accédere débeat.

AD VESPERAS.

Graduale. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. ℣. Salvávit ſibi déxtera ejus, & bráchium ſanctum * ejus. *Pſ.* 97. 1.

Allelúia, allel. ℣. Cognovérunt eum, & dixérunt ad ínvicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loquerétur * in via? Allelúia. *Luc.* 24. 31. 32.

Víctimæ. *pag.* 341. *cum Verſiculo.*

Ad Magnif. Ant. 7. G. Regreſſi ſunt in Jeruſalem, & invenérunt congregátos úndecim, & eos qui cum illis erant; & ipſi narrábant quómodo cognovérunt Jeſum in fractióne panis, allelúia. *Luc.* 24. 33. 35.

Oratio, ut ſuprà ad Laudes.

In Baptiſterio, Oratio.

DEus, qui renátis ex aqua & Spíritu Sancto cœleſtis regni pandis intróitum: auge ſuper fámulos tuos grátiam quam dediſti; ut qui ab ómnibus ſunt purgáti peccátis, nullis priventur promiſſis; Per Chriſtum.

Ad Stationem, Oratio.

POpulus tuus, quæſumus, Dómine, renovátis exultet ánimæ virtútibus; & vivificatiónis tuæ grátiam conſecútus, in tuo ſemper múnere gloriétur; Per Chriſtum.

In Choro, Oratio.

DEus, qui pópulum tuum de hoſtis cállidi ſervitúte liberaſti: preces ejus miſericórditer réſpice, & adverſantes ei tuâ virtúte proſterne; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

FERIA TERTIA.

Duplex-majus.

Sermo beáti Petri Apóſtoli ad Judæos.

LECTIO I. *Act.* 2. 22.

Chriſtus à mortuis ſuſcitatus.

VIri Iſraëlítæ, audíte verba hæc: Jeſum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in médio veſtrî, ſicut & vos ſcitis; hunc definíto consílio & præſciéntiâ Dei tráditum, per manus iniquórum affigentes interemiſtis: quem Deus ſuſcitávit, ſolútis dolóribus inferni, juxta quod impoſſíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum in conſpectu meo ſemper; quóniam à dextris eſt mihi ne commóvear: propter hoc lætátum eſt cor meum,

& exultávit lingua mea, ínsuper & caro mea requiéscet in spe: quóniam non derelínques ánimam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem: notas mihi fecísti vias vitæ; & replébis me jucunditáte cum fácie tua. Viri fratres, líceat audenter dícere ad vos de patriarcha David, quóniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Prophéta ígitur cùm esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedére super sedem ejus: próvidens locútus est de resurrectióne Christi, quia neque derelíctus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jesum resuscitávit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium; * Quóniam per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum, allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 15. *v.* 20. 21. ℣. Ipse est Deus vivens in sécula; ipse liberátor atque salvátor. *Dan.* 6. *v.* 26. 27. * Quóniam per hóminem mors.

De Históriâ Ecclesiásticâ Eusébii Cæsariensis Epíscopi.

LECTIO II. *lib.* 2. *c.* 2.

Quóniam vetus hæc erat consuetúdo provinciárum rectóribus, ut quidquid novi apud ipsas contigisset, imperatóri nuntiárent, ne quid ipsum latéret: Pilátus de resurrectióne Servatóris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palestínam célebris erat fama, ad Tibérium príncipem rétulit: multa quoque ália ejusdem mirácula se audítu accepisse significans, & quáliter ad vitam dénuò revocátus, à plerísque jam Deus haberétur. Ac Tibérium quidem rem ad Senátum detulisse pérhibent; sed Senátum ejúsmodi relatiónem aspernátum esse: spécie quidem, eò quòd Senátûs auctóritas ad id non expectáta videbátur, cùm tamen vetus lex esset apud Romános ne quis absque decréto Senátûs pro Deo haberétur: re autem ipsâ, eò quòd salutáris divínæ doctrínæ prædicátio auctoritáte & auxílio hóminum mínimè indigéret. Cùm ígitur Senátus relatiónem de Servatóre nostro, ita ut dictum est, repudiasset, Tibérius ta-

men in prístina senténtia persevérans, nihil advérsùs doctrínam Christi dúriùs molítum esse dícitur. Hæc Tertulliánus, vir legum Romanárum perítissimus, & inter latínos Scriptóres celebérrimus, in Apológia ab ipso quidem latínè conscriptâ, póstea verò in græcum sermónem translátâ, prodit.

℟. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, resurrexit tértiâ die secúndùm Scriptúras; * Visus est Cephæ, & post hoc úndecim, allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 15. *v.* 3. 4. 5. ℣. Præóccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. *Sap.* 6. 14. * Visus est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *v.* 24. 36.

Jesus post resurrectionem apparet decem Discipulis.

IN illo témpore; Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum; nolíte timére. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. secundùm Lucam. Lib. 10.

MIrum quómodò se natúra corpórea per impenetrábile corpus infúderit invisíbili áditu, visíbili conspectu; tangi fácilis, diffícilis æstimári. Dénique conturbáti discípuli æstimábant se spíritum vidére. Et ideò Dóminus, ut spéciem nobis resurrectiónis osténderet: Palpáte, inquit, & vidéte, quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére. Non ergo per incorpóream natúram, sed per resurrectiónis qualitátem, impérvia usu clausa penetrávit. Nam quod tángitur, corpus est; quod palpátur, corpus est. In córpore autem resurgémus. Seminátur enim corpus animále, surgit corpus spiritále; sed illud subtílius, hoc cráſſius, útpote adhuc terrénæ labis qualitáte concrétum. Nam quómodò non corpus, in quo manébant insígnia vúlnerum, vestígia cicatrícum, quæ Dóminus palpanda óbtulit? In quo non solùm fidem firmat, sed étiam devotiónem ácuit, quòd vúlnera suscepta pro nobis cœlo inferre máluit, abolére nóluit; ut Deo Patri nostræ prétia libertátis osténderet. Talem sibi Pater ad déxteram locat, trophæum nostræ salútis ampléctens: tales illic Mártyres nobis cicatrícis suæ coróna monstrávit.

℟. Benedíctus Deus &

pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam * Regenerávit nos in spem vivam † Per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, allelúia, allelúia. 1. *Pet.* 1. 3. ℣. Benedictus Dóminus, quóniam mirificávit misericórdiam suam. *Ps.* 30. 22. * Regenerávit. ℣. Glória. † Per.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Obtulérunt discípuli Dómino partem piscis assi, & favum mellis; & cùm manducasset coram eis, sumens relíquias, dedit eis, allelúia. *Luc.* 24. 42.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui Ecclésiam tuam novo semper fœtu multíplicas: concéde fámulis tuis, ut sacramentum vivendo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Rhemensi. *An.* 1583. *tit. de Euch. n.* 1.

CUm nihil hábeat Christiána Relígio Sacramento Eucharístiæ præstántius & augústius, nihilque ad sanctè & inculpátè vivendum efficácius ejusdem frequentíssimâ perceptióne; dolémus tantam esse Christianórum hujus témporis incúriam, ut semel tantùm in anno sumant tam salubris sacramenti subsídia.

AD VESPERAS.

Grad. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. ℣. Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandávit in mille * generatiónes. *Psal.* 104. 8.

Allelúia, allelúia. ℣. Apéruit Jesus discípulis sensum, ut intelligerent * Scriptúras. Allelúia. *Luc.* 24. 45.

Víctimæ, *pag.* 341. *cum Versiculo.*

Ad Magnif. *Ant.* 3. g. Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes, allelúia. *Luc.* 24. 46.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

In Baptisterio, Oratio.

DEus, per quem nobis redémptio venit, & præstátur adóptio: réspice in ópera misericórdiæ tuæ; ut in Christo renátis, & æterna tribuátur hærédita, & vera libertas; Per eumdem.

Ad Stationem, Oratio.

FAc, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Paschálibus remédiis innovári, similitúdinem ter-

réni parentis evásimus, ad formam cœlestis transferámur auctóris; Qui tecum vivit.

In Choro, Oratio.

DEus, qui nos, in cruce passus, prétio magno redímere voluisti: infúnde nobis virtútem auxílii tui, ut nostra te semper vita gloríficet; Qui vivis & regnas.

FERIA QUARTA.

Duplex-minus.

Sermo beáti Petri Apóstoli ad Judæos.

LECTIO I. *Act.* 3. *v.* 12.

Auctor vitæ à mortuis suscitatus.

VIri Israëlitæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostrâ virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum, glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante fáciem Piláti, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicídam donári vobis: auctórem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitávit à mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidistis & nostis, confirmávit nomen ejus, & fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspectu ómnium vestrûm. Et nunc, fratres, scio, quia per ignorántiam fecistis, sicut & príncipes vestri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. Pœnitémini ígitur, & convertímini, ut deleantur peccáta vestra: ut cùm vénerint témpora refrigérii à conspectu Dómini, & míserit eum, qui prædicátus est vobis, Jesum Christum; quem oportet quidem cœlum suscípere usque in témpora restitutiónis ómnium, quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum à século Prophetárum. Móyses quidem dixit: Quóniam Prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris tamquam me, ipsum audiétis juxta ómnia quæcumque locútus fúerit vobis.

℞. Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, quâ dilexit nos, * Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos & conresuscitávit in Christo Jesu, allelúia, allelúia. *Eph.* 2. *v.* 4. 5. 6. ℣. Cantáte Dómino cánticum

novum, quia mirabília fecit. Ps. 97. 1. * Cùm essémus.

De Epístola beáti Ignátii Antiochéni Epíscopi & Mártyris ad Smyrnæos.

LECTIO II. sec. 1.

COgnóvi vos perfectos in fide immóta, ut affixos cruci Dómini nostri Jesu Christi & carne & spíritu, & firmátos in charitáte, in sánguine Christi; plenè persuásos in Dóminum nostrum: verè existentem de génere Dávidis secundùm carnem; Filium Dei secundùm voluntátem & poténtiam Dei: natum verè ex Vírgine: baptizátum à Joanne, ut impleréitur omnis justítia: verè sub Póntio Piláto & Heróde Tetrarchâ clavis confixum pro nobis in carne; ex quo fructu nos sumus, per divínè beátam passiónem ejus; ómnia hæc passus est propter nos, ut salútem consequámur. Et verè passus est; sicut & verè seipsum resuscitávit: non ut quidam infidéles dicunt, secundùm opiniónem ipsum passum esse; ipsi secundùm opiniónem existentes: & quemádmodum sápiunt, sic & continget eis qui phantástici sunt & dæmoníaci. Ego enim & post resurrectiónem in carne ipsum novi & credo esse.

℟. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit * Resúscitans Jesum, allelúia, allelúia. Act. 13. 32. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem. Ps. 117. 16. * Resúscitans.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. Cap. 21. 1.

Apparitio Christi ad mare Tiberiadis.

IN illo témpore; Manifestávit se íterum Jesus discípulis ad mare Tiberíadis; manifestávit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dícitur Dídymus, & filii Zebedæi. Manè autem facto, stetit Jesus in líttore. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 24. in Evang. hab. in Basil. S. Laurentii, Feriâ 4. Pasc.

LEctio sancti Evangélii, quæ modò in áuribus vestris lecta est, fratres mei, quæstióne ánimum pulsat: sed pulsatióne suâ vim discretiónis índicat. Quæri étenim potest, cur Petrus, qui piscátor ante conversiónem fuit, post conversiónem ad piscatiónem rédiit; & cùm Véritas dicat: Nemo mittens

manum suam ad arátrum, & aspíciens retrò, aptus est regno Dei : cur repétiit quod derelíquit ? Sed si virtus discretiónis inspícitur, cítiùs vidétur; quia nimírum negótium, quod ante conversiónem sine peccáto éxtitit, hoc étiam post conversiónem repétere culpa non fuit. Nam piscatórem Petrum, Matthæum verò teloneárium scimus : & post conversiónem suam ad piscatiónem Petrus rédiit; Matthæus verò ad telónei negótium non resédit : quia áliud est victum per piscatiónem quærere, áliud autem telónei lucris pecúnias augére. Sunt enim pléraque negótia, quæ sine peccátis exhibéri aut vix aut nullátenus possunt. Quæ ergo ad peccátum ímplicant, ad hæc necesse est, ut post conversiónem ánimus non recurrat.

℟. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur, * Non in fermento véteri neque in fermento malítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis, allelúia, allelúia. 1. *Cor*. 5. 7. 8. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & justi epulentur & exultent in conspectu Dei. *Ps*. 67. 2. 4. * Non. ℣. Glória. * Non.

Te Deum.

Ad Benedict. *Ant*. 8. G. Nemo audébat discumbéntium interrogáre eum : Tu quis es ? sciéntes quia Dóminus est, allelúia. *Joan*. 21. 12.

Orémus. *Oratio*.

DEus, qui nos resurrectiónis Domínicæ ánnuâ solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, per temporália Festa quæ ágimus, perveníre ad gáudia ætérna mereámur. Per eumdem Dóminum.

CANON.

Ex Constitutiónibus Ecclésiæ Gallicánæ in Conventu Melodunensi. *An*. 1579. *tit. de Euch*.

AD frequentem Communiónem cum fidei sinceritáte, spei confidéntiâ, charitátis ardóre, ac animárum puritáte excitandi sunt pópuli. Júvenes primùm ad tanti Sacramenti sumptiónem admitti volentes, probentur.

AD VESPERAS.

Graduale. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. ℣. Annúntient ópera ejus, qui descendunt in mare; ipsi vidérunt mirabília ejus * in profundo. *Psal*. 106. 22.

Allelúia, allel. ℣. Apóstolis quos elégit Jesus præbuit seipsum vivum,

in multis argumentis, per dies quadraginta * appárens eis. Allelúia. *Act.* 1. 2. 3.

Víctimæ, *pag.* 341. *cum Versiculo.*

Ad Magníf. Ant. 8. G. Accipit Jesus panem, & dat discípulis suis; & piscem símiliter. Hoc jam tértio manifestátus est Jesus, cùm resurrexisset à mórtuis, allelúia. *Joan.* 21. 13. 14.

Oratio ut suprà ad Laudes.

In Baptisterio, Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam multíplicas sóbole renascéntium; fac eam propítius gaudére de suórum profectibus filiórum; Per.

Ad Stationem, Oratio.

DEus, qui per Paschále mystérium docuisti nos vetustátem vitæ relínquere, & in novitáte Spíritûs ambuláre: præsta, ut sacramentis tuis innováti, dona grátiæ tuæ servémus; Per Christum.

In Choro, Oratio.

TUâ nos, quæsumus, Dómine, pietáte custódi; ut qui Unigéniti tui passióne sunt redempti, resurrectiónis & glóriæ efficiantur partícipes; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium.

FERIA QUINTA.

Duplex-minus.

Sermo beáti Petri Apóstoli ad Judæos.

LECTIO I. *Act.* 10. 34.

Christus suscitatus tertiâ die.

IN veritáte compéri, quia non est personárum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operátur justítiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum; (hic est ómnium Dóminus.) Vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judæam; incípiens enim à Galilæa, post baptísmum quod prædicávit Joannes: Jesum à Názareth, quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto, & virtúte; qui pertránsiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diábolo, quóniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, & Jerúsalem, quem occidérunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis à Deo: nobis, qui manducávimus & bíbimus cum illo, postquàm resurrexit à mórtuis. Et præ-

cœpit nobis prædicáre pópulo, & testificári, quia ipse est, qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.

℟. Qui habitábant Jerúsalem, & príncipes ejus ignorantes Jesum, * Petiérunt à Piláto ut interficerent eum; Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die, allelúia, allelúia. *Act.* 13. 27. ℣. Ipsi non cognovérunt cogitatiónes Dómini, & non intellexérunt consílium ejus. *Mich.* 4. 12. * Petiérunt.

De Epístola sancti Ignátii Antiochéni Epíscopi & Mártyris ad Smyrnæos.

LECTIO II. *Sec.* 1.

QUando ad eos qui cum Petro erant, venit Jesus, inquit ipsis: Apprehéndite, palpáte & vidéte, quòd non sum dæmónium incorporále. Et confestim ipsum tetigérunt, atque credidérunt convicti carne ipsius & spíritu; propter hoc étiam mortem contempsérunt: supra mortem verò inventi sunt. Post resurrectiónem autem, cum illis comédit & bibit, ut carnális, quamvis spirituáliter unítus Patri. Si enim opinióne solâ hæc à Dómino nostro sunt peracta; & ego opinióne solùm vinctus sum: quid verò? & meipsum morti trádidi ad ignem, ad gládium, ad béstias. Tantùm in nómine Jesu Christi, ut simul cum illo pátiar, ómnia sustíneo, ipso roborante me, qui perfectus homo factus est.

℟. Christus crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei: & nos infirmi sumus in illo; sed vivémus cum eo * Ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 13. 4. ℣. Vivificábit nos, & suscitábit nos; & vivémus in conspectu ejus. *Os.* 6. 3. * Ex virtúte.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 20. *v.* 11.

Magdalene Jesum videt.

IN illo témpore; María stabat ad monuméntum foris, plorans. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 25. *hab. in basil. S. Joan. Later. n.* 4. *& 5. Fer. 5. Paschæ.*

MUlier, quid ploras? quem quæris? Interrogátur dolóris causa, ut augeátur desidérium; quátenus cùm nomináret

quem quæreret, in amóre ejus ardéntiùs æstuáret. Illa existimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulisti eum? Quid est, quòd viso eo quem hortulánum crédidit, cui necdum díxerat quem quærébat, ait: Dómine, si tu sustulisti eum? Quasi enim jam dixisset ex cujus desidério plángeret, eum dicit quem non díxerat. Sed vis amóris hoc ágere solet in ánimo, ut quem ipse semper cógitat, nullum álium ignoráre credat. Rectè & hæc múlier quem quærit non dicit; & tamen dicit, Si tu sustulisti eum: quia álteri non putat incógnitum, quem sic ipsa contínuo plangit desidério.

℞. Benedictus Deus, & pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam * Regenerávit nos in spem vivam † Per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, allelúia, allelúia. 1. *Pet.* 1. 3. ℣. Benedictus Dóminus, quóniam mirificávit misericórdiam suam. *Ps.* 30. 22. * Regenerávit. ℣. Glória. † Per.

Te Deum.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Vidit lápidem sublátum à monumento; cucurrit ergo & venit ad Simónem Petrum, allelúia. *Joan.* 20. 1.

Orémus. *Oratio.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui Paschále Sacramentum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulisti: da méntibus nostris, ut quod professióne celebrámus, imitémur effectu; Per.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

An. 1551. *Sess.* 13. *c.*7. *de Eucharist.*

SI non decet ad sacras ullas functiónes quémpiam accédere nisi sanctè; certè quo magis sánctitas & divínitas cœlestis Eucharístiæ Sacramenti viro Christiáno comperta est, diligéntiùs cavére ille debet, ne absque magna reveréntia & sanctitáte ad id percipiendum accédat.

AD VESPERAS.

Graduale. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini * exaltávit me. *Ps.* 117. 16.

Allelúia, allel. ℣. María vidit duos Angelos in albis, sedentes unum ad caput, & unum ad pedes. Allelúia. *Joan.* 20. 12.

Víctimæ, *cum Versículo.* 341.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F.

Venit María Magdaléne, annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum, allelúia. *Joan.* 20. 18.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

In Baptisterio, Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut Ecclésia tua, & suórum firmitáte membrórum, & novâ semper fœcunditáte lætétur; Per.

Ad Stationem, Oratio.

LArgíre fámulis tuis, Dómine, grátiam tuam: & præsta, ut qui ad imáginem Fílii tui divíno sunt baptísmo regeneráti, à regni tui poténtia numquam divellantur; Per.

In Choro, Oratio.

DEus, qui nobis ad celebrandum Paschále Sacraméntum liberióres ánimos præstitísti: doce nos odísse quod vetas, & amáre quod præcipis; Per.

FERIA SEXTA.

Duplex minus.

Sermo beáti Pauli Apóstoli ad Judæos.

LECTIO I. *Act.* 13. 26.

Resurrectio Christi probatur.

VIri fratres, filii géneris Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, & príncipes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetárum, quæ per omne sábbatum leguntur, judicantes implevérunt. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petiérunt à Piláto ut interfícerent eum. Cumque consummassent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die; qui visus est per dies multos his qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres nostros repromíssio facta est: quóniam hanc Deus adimplévit fíliis nostris, resúscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quod autem suscitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reversúrum in corruptiónem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidélia. Ideóque & áliàs dicit: Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. David enim in sua generatióne cùm administrasset voluntáti Dei, dormívit; & appósitus est ad patres suos,

& vidit corruptiónem. Quem verò Deus suscitávit à mórtuis, non vidit corruptiónem.

℟. Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium; * Quóniam per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum, allelúia, allelúia. 1. Cor. 15. v. 20. 21. ℣. Ipse est Deus vivens in sǽcula; ipse liberátor atque salvátor. Dan. 6. v. 26. 27. * Quóniam.

Ex Apológia sancti Justíni Mártyris ad Antonínum Imperatórem Senatumque Románum.

LECTIO II.

Anno 150. circà finem.

Die Solis omnes públicè convenímus, quòd is primus est dies, in quo Deus ténebras & matériam cùm mutasset, mundum effécit; & quòd eódem die Jesus Christus conservátor noster à mórtuis excitátus est. Prídie enim Saturni eum in crucem sustulérunt; & postrídie Saturni, qui Solis dies est, cùm Apóstolis Discipulísque suis apparuisset, hæc illis trádidit, quæ vobis quoque consideranda permíttimus: ac si vobis ratióni, veritatíque consentánea videntur, ea comprobáte:...non in eos qui nullam injúriam inferunt, nec scelus admittunt, ut in hostes mortem statúite. Prædícimus enim, vos Dei judícium non esse declinatúros, si in scélere perstétis: nosque clamábimus: hoc unum, Quod Deo visum erit, id evéniat.

℟. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras; * Visus est Cephæ, & post hoc úndecim, allelúia, allelúia. 1. Cor. 15. v. 3. 4. 5. ℣. Prǽoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Sap. 6. 14. * Visus est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthǽum.

LECTIO III. Cap. 28. v. 16.

Apparet Jesus discípulis in Galilæa.

In illo témpore: Undecim discípuli abiérunt in Galilǽam in montem ubi constitúerat illis Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

In Matth. lib. 4.

Post resurrectiónem Jesus in monte Galilææ conspícitur, ibíque adorátur: licèt quidam dúbitent, & dubitátio eórum nostram áugeat fidem. Tunc manifestiùs osténditur Thomæ, & latus lánceâ vulnerátum, & manus fixas demonstrat

clavis. Et accédens Jesus locútus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Illi potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in túmulo, qui mórtuus jacúerat, qui pósteà resurrexit. In cœlo autem & in terra potestas data est: ut qui antè regnábat in cœlo, per fidem credéntium regnet in terris.

℟. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur, * Non in fermento véteri neque in fermento malítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis, allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 5. 7. 8. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus: & justi epulentur & exultent in conspectu Dei. *Ps.* 67. 2. 4. * Non. ℣. Glória Patri. * Non in fermento.

Te Deum.

Ad Benedict. *Ant.* 8. G. Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem ubi constitúerat illis Jesus, allelúia. *Matt.* 28. 16.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunasti: da, ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium & píetas actiónum; Per.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi secundo.

An. 1569. *tit.* 1. *Decret.* 13.

QUi Paschæ témpore Eucharístiæ Sacramentum non súmpserint, si postquam ter aut única monitióne.... étiam generátim móniti in contumácia perseveráverint, júbeat Epíscopus eos ipsos Ecclésiæ ingressu, & Ecclesiásticâ sepultúrâ interdictos in própria parochiáli Ecclésia denuntiári.

AD VESPERAS.

Graduale, Hæc dies, quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea. ℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, in ómnibus pópulis mirabília * ejus. *Ps.* 95. 3.

Allelúia, allelúia. ℣. Novíssimè recumbéntibus illis úndecim appáruit, & exprobrávit incredulitátem * eórum. Allelúia. *Marc.* 16. 14.

Víctimæ, *cum Versiculo. pag.* 341.

Ad Magníficat, *Ant.* 1. D. Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit, allelúia. *Marc.* 16.

Orat. ut suprà ad Laudes.

In Baptisterio, Oratio.

DEus, qui credentes in te, fonte baptísmatis innovasti; hanc renátis in Christo concéde

custódiam, ut nullo erróris incursu, grátiam regeneratiónis amittant; Per.

Ad Stationem, Oratio.

Depelle, Dómine, conscriptum peccáti lege chirógraphum, quod in nobis Paschali mystério per resurrectiónem Fílii tui vacuasti; Qui tecum.

In Choro, Oratio.

Deus, qui ad ætérnam vitam in Christi resurrectióne nos réparas: érige nos ad consedentem in déxtera tua nostræ salútis auctórem; ut qui propter nos judicandus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat idem Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster; Qui tecum.

SABBATO
IN ALBIS.
Duplex-minus.

Sermo beáti Pauli Apóstoli ad Athenienses.

LECTIO I. *Act.* 17. 22.

Christus suscitatus orbem judicabit.

Viri Athenienses, per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, & videns simulachra vestra invéni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, & ómnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dóminus, non in manufactis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur indigens áliquo, cùm ipse det ómnibus vitam, & inspiratiónem, & ómnia: fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super universam fáciem terræ; definiens statúta témpora, & términos habitatiónis eórum, quærere Deum, si forté attrectent eum, aut invéniant, quamvis non longè sit ab unoquóque nostrûm. In ipso enim vívimus, & movémur, & sumus; sicut & quidam vestrórum Poëtárum dixérunt: Ipsíus enim & genus sumus. Genus ergo cùm simus Dei, non debémus æstimáre, auro, & argento, aut lápidi sculptúræ artis & cogitatiónis hóminis, Divínum esse símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant; eò quòd státuit diem, in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in viro, in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum à mórtuis. Cùm audissent autem resurrectiónem mor-

tuórum, quidam quidem irridébant, quidam verò dixérunt: Audiémus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de médio eórum.

℟. Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, quâ diléxit nos, * Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos & conresuscitávit in Christo Jesu, allelúia, allelúia. *Eph.* 2. v. 4. 5. 6. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. *Psal.* 97. 1. * Cùm essémus.

Ex Apológia sancti Justíni Mártyris pro Christiánis, ad Antonínum Imperatórem Populumque Románum.

LECTIO II. *An.* 150.

QUómodo nos per Christum novi effécti, Deo consecravérimus, narrábimus, ne hoc prætermísso, áliqua in parte expositiónis ímprobè fácere videámur. Qui sibi persuádent & credunt vera esse hæc, quæ à nobis docentur ac dicuntur, seque ita vívere posse promittunt, ii primùm & precári & pétere à Deo præteritórum superiorumque remissiónem jejunantes docentur, nobis unà cum eis & precántibus & jejunántibus. Deinde ducuntur à nobis ubi est aqua. Eóque, ut ita dicam, regeneratiónis renovatiónisque génere, quo étiam nos ipsi renováti sumus, renascuntur. Patris enim ómnium, Dominíque Dei, & conservatóris nostri Jesu Christi, ac Spíritûs Sancti nómine aquâ abluuntur & expiantur. Christus enim ait: Nisi renáti fuéritis, in regnum cœlórum mínimè vobis áditus patébit.... Nos autem postéaquàm ita ablúimus, expiavimusque eum qui crédidit & assensus est; ad eos, qui fratres dicuntur, dúcimus eum in locum, quo convenérunt, comprecandi causâ, contentis ánimis & pro se & pro eo qui illustrátus est, omnibusque áliis, qui ubíque sunt, ut & veritátis discípuli, & præceptórum custódes possímus inveníri.

℟. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit * Resúscitans Jesum, allelúia, allelúia. *Act.* 13. 32. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem. *Psal.* 117. 16. * Resúscitans.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 20. 1. *Magdalene ad sepulcrum.*

IN illo témpore; Unâ sábbati, María Mag-

daléne venit manè, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 22. habit. in bas. S. Joan. Later. Sab. post Pascha. n. 1.

LÉctio sancti Evangélii, quam modò, Fratres, audistis, valde in superficie históricâ est aperta; sed ejus nobis sunt mystéria sub brevitáte requirenda. María Magdaléne, cùm adhuc ténebræ essent, venit ad monumentum. Juxta históriam notátur hora: juxta intellectum verò mysticum requiréntis signátur intelligéntia. María étenim auctórem ómnium; quem carne víderat mórtuum, quærébat in monumento: & quia hunc mínimè invénit, furátum crédidit. Adhuc ergo erant ténebræ, cùm venit ad monumentum. Cucurrit cítiùs, discipulísque nuntiávit. Sed illi præ cæteris cucurrérunt, qui præ cæteris amavérunt; vidélicet Petrus & Joannes.

℟. Unâ sábbati, María Magdaléne * Venit manè, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum, allelúia, allelúia. *Joan.* 20. 1. ℣. Fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8. * Venit. ℣. Glória Patri. * Venit.

Te Deum.

Ad Benedict. *Ant.* 4. *D.* Nondum sciébant Scriptúram, quia oportébat Jesum à mórtuis resúrgere, allelúia. *Joan.* 20. 9.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui festa Paschália venerando égimus, per hæc contíngere ad gáudia ætérna mereámur; Per.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi sexto.

An. 1583. *Tit.* 9.

PArochus, si quem parochiálem habet qui ex morbo labórans, aliáve necessitáte verè impedítus, non potest sacro Paschæ témpore ad Ecclésiam convenire, ubi sanctíssimam communiónem cum cæteris fidélibus percípiat; ad illum, etiamsi paucis ante diébus percéperit, ipse, illo pascháli témpore, de more déferat.

DOMINICA IN ALBIS DEPOSITIS.

Duplex-majus.

AD I. VESPERAS.

Psalmi de Sabbato, cum Antiphonis sequent.

Ant. 1. D. REgenerávit nos Deus in spem vivam per resurrectiónem

Jesu Christi, allelúia. 1. *Petr.* 1. 3.

Ant. 2. D. Tráditus est propter delícta nostra, & resurrexit propter justificatiónem nostram, allelúia. *Rom.* 4. 25.

Ant. 3. c. Resurgens ex mórtuis jam non móritur, allelúia. *Rom.* 6. 9.

Ant. 4. E. Quómodo Christus surrexit à mórtuis; ita & nos in novitáte vitæ ambulémus, allelúia. *Rom.* 6. 4.

Ant. 5. a. Nunc solúti sumus à lege mortis, ut serviámus in novitáte spíritûs, allelúia. *Rom.* 7. 6.

Capitulum. 1. Joan. 5. 5.

QUis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? hic est qui venit per aquam & sánguinem, Jesus Christus, non in aqua solùm, sed in aqua & sánguine.

℟. Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; * Déxtera tua, Dómine, percussit inimícum: & in multitúdine glóriæ tuæ † Deposuísti adversários tuos, allelúia. *Ex.* 15. 6. 7. ℣. Occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5. 9. * Déxtera. ℣. Glória. † Deposuísti.

Hymnus & versus ut infrà in Feriis, p. 385.

Ad Magníf. Ant. 8. *G.* Secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, allelúia. *Tit.* 3. 5.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM, *ut infrà, pag.* 387.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Surrexit Dóminus verè, * Allelúia. *Luc.* 24. 34. *Psalm.* Veníte.

Hymnus, ut infrà, pag. 382.

Ant. 8. c. Crédimus.

Tres Psalmi è I. Nocturna Dominicæ, Beátus vir... Quare fremuérunt... Dómine, quid multiplicáti sunt.

Ant. Crédimus secundùm operatiónem poténtiæ virtútis Dei, quam operátus est in Christo súscitans illum à mórtuis, allelúia. *Eph.* 1. *v.* 19. 20.

℣. Dicant qui redempti sunt à Dómino, ℟. Quóniam in sǽculum misericórdia ejus. *Psal.* 106. 1. 2.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 19. *v.* 1.

Baptizantur Joannis discipuli.

FActum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum, & inveníret quosdam discípulos: dixitque ad eos: Si Spíri-

tum Sanctum accepistis credentes ? At illi dixérunt ad eum : Sed neque si Spíritus sanctus est, audívimus. Ille verò ait : In quo ergo baptizáti estis ? Qui dixérunt : In Joannis baptísmate. Dixit autem Paulus : Joannes baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens : In eum, qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, in Jesum. His audítis, baptizáti sunt in nómine Dómini Jesu. Et cùm imposuísset illis manus Paulus, venit Spíritus Sanctus super eos : & loquebantur linguis, & prophetábant. Erant autem omnes viri ferè duódecim.

℟. Salvávit eos déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * Tu ipse es Rex meus, & Deus meus, qui mandas salútes Jacob, allelúia. *Ps.* 43. 4. 5. ℣. Dóminus meus, & Deus meus. *Joan.* 20. 28. * Tu ipse es.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 260. *al.* 11. *hab. die Dom. in Oct. Pasch.*

LECTIO II.

Ne moras faciámus, actúri multa, regenerátis in baptísmo, qui hódie miscendi sunt pópulo, brevis, sed gravis sermo reddendus est. Vos qui baptizáti estis, & hódie complétis sacramentum Octavárum vestrárum, bréviter accípite, & intellígite translátam fuisse figúram circumcisiónis carnis, ad circumcisiónem cordis. Infantes appellámini, quóniam regeneráti estis, & novam vitam ingressi estis, & ad vitam ætérnam renáti estis, si hoc quod in vobis renátum est, malè vivendo non suffocétis. Reddendi estis pópulis, miscendi estis plebi fidélium ; cavéte ne imitémini malos fidéles, imò falsos fidéles ; quasi confitendo fidéles, sed malè vivendo infidéles. Vidéte quia testíficor vobis coram Deo & Angelis ejus ; castitátem serváte, sive conjugálem, sive omnímodæ continéntiæ. Quicumque continéntiam vovistis, rédditequod vovistis; quia non exigerétur, si non vovissétis. Quod pótuit licére, non licet ; non quia núptiæ damnantur, sed qui retrò réspicit, damnátur. Cavéte à fraudibus in negótiis vestris. Cavéte à mendáciis & perjúriis. Cavéte à verbositáte & luxúria. Quæcumque non vultis fieri vobis, nolíte fácere áliis, & homínibus, & Deo.

Quid vos ónerem ? hæc ágite, & Deus pacis erit vobiſcum.

℞. Deus Rex noſter ante ſécula, * Operátus eſt ſalútem in médio terræ, allelúia. *Pſ.* 73. 12. 8. ℣. Factus eſt in caput ánguli, & non eſt in álio áliquo ſalus. *Act.* 4. 12. * Operátus eſt.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

Lectio III. *Cap.* 20. 19. *Videt Thomas, & credit.*

IN illo témpore : Cùm ſerò eſſet die illo, unâ ſabbatórum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jeſus, & ſtetit in médio, & dixit eis : Pax vobis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Ev. 26. hab. in baſ. S. Joan. Lat. in Oct. Paſcha, n. 2.

DIxit eis, Pax vobis : Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos ; id eſt, ſicut miſit me Pater, Deus Deum ; & ego mitto vos, homo hómines. Pater Fílium miſit, qui hunc pro redemptióne géneris humáni incarnári conſtítuit. Quem vidélicet in mundum veníre ad paſſiónem vóluit : ſed tamen amávit Fílium, quem ad paſſiónem miſit. Electos verò Apóſtolos Dóminus non ad mundi gáudia, ſed, ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiónes in mundum mittit. Quia ergo & Fílius amátur à Patre, & tamen ad paſſiónem míttitur : ita & diſcípuli à Dómino amantur, qui tamen ad paſſiónem mittuntur in mundum. Itaque dícitur : Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos : id eſt, eâ vos charitáte dílige, cùm inter ſcándala perſecutórum mitto, quâ me charitáte Pater díligit, quem veníre ad tolerandas paſſiónes fecit.

℞. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem : * Iſte Deus meus, & glorificábo eum ; Deus patris mei, † Et exaltábo eum, allelúia. *Exod.* 15. 6. 7. ℣. Nunc Chriſtus reſurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium. 1. *Cor.* 15. 20. * Iſte. ℣. Glória. † Et exaltábo.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ, ℞. Et exultávimus, & delectáti ſumus. *Pſ.* 89. 14.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 6. F. OPortet Chriſtum regnáre, donec ponat omnes inimícos ſub pédibus ejus, alle-

lúia. 1. *Cor.* 15. 25.

Ant. 7. d. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, allelúia. *Tit.* 2. 14.

Ant. 2. D. Pro ómnibus mórtuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, allelúia. 2. *Cor.* 5. 15.

Ant. 5. C. Vétera transiérunt; ecce facta sunt ómnia nova, allelúia. 2. *Cor.* 5. 17.

Ant. 1. a. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum, allelúia. 1. *Cor.* 15. 57.

Capitulum. 1. Petr. 2. 1.

DEponentes ígitur omnem malítiam, & omnem dolum, & simulatiónem, & invídias, & omnes detractiónes, sicut modò géniti infantes rationábile sine dolo lac concupíscite.

Hymnus & Vers. ut infrà 383.

Ad Benedict. Ant. 8. c. Post dies octo, íterùm venit Jesus, jánuis clausis, & stetit in médio, & dixit: Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20. 26.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Paschália festa perégimus, hæc te largiente, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum nostrum.

AD HORAS, dicuntur Hymni cum Doxologia propria, ut infrà. 384.

Psalmi de Dominica ut in Psalterio, sub Antiphonis de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Opórtet.

Dicitur Symbolum, Quicumque.

Capitulum, & ℟. br. ut infrà. 384.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio.

An 1573. *Part.* 1. *Tit.* 7.

QUicumque in Pascha ab Diœcési abfúerit, is reversus, se eo témpore sacram communiónem sumpsisse testátum fáciat scripto Sacerdótis à quo súmpserit.... Alióquin, ut Ecclésiæ præcepto páreat, conféssus in parochiáli Ecclésia sacram Eucharístiam suscípiat; quod nisi fécerit, prout juris est, pœnâ afficiátur.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Dedit.

Capitulum. Rom. 6. 6.

VEtus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto.

℟. *br.* Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes,

* Allelúia, allelúia. *Rep.* Beáti. ℣. Et quorum tecta sunt peccáta, * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Rep.* Beáti.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec est in spíritu ejus dolus. *Ps.* 31. 1. 2.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Pro ómnibus.

Capitulum. 2. Cor. 5. 19.

DEus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non ímputans illis delícta ipsórum.

℟. *br.* Salvávit eos propter nomen suum, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Salvávit. ℣. Ut notam fáceret poténtiam suam, * Allelúia. ℣. Glória. *Rep.* Salvávit.

℣. Deduxit eos in abyssis sicut in deserto: ℟. Et salvávit eos de manu odiéntium. *Psalm.* 105. 8. 10.

AD NONAM.

Ant. 1. a. Deo autem grátias.

Capitul. 1. Joan. 5. 4.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra.

℟. *br.* Adjuva nos, Deus, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Adjuva. ℣. Salutáris noster. * Allelúia. ℣. Glória. *Rep.* Adjuva.

℣. Nos pópulus tuus, ℟. Et oves páscuæ tuæ. *Ps.* 78. 9. 13.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 3. a. ALleluia, salus, & glória, & virtus Deo nostro est, allelúia. *Apoc.* 19. 1.

Ant. 4. E. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, allelúia. *Apoc.* 12. 10.

Ant. 1. D. Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, allelúia. *Apoc.* 5. 5.

Ant. 6. F. Allelúia, quoniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens, allelúia. *Apoc.* 19. 6.

Ant. 5. C. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei, allelúia. *Apoc.* 19. 7.

Capitul. Rom. 6. *v.* 4. 5.

QUómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris; ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis Christi; simul & resurrectiónis érimus.

Hymnus & Versic. ut infrà. 385.

Ad Magníf. Ant. 7. a. Beáti qui non vidérunt, & credidérunt, allelúia. *Joan.* 20. 29.

Orat. ut suprà ad Laudes.

Ad Completorium, ut infrà. 387.

IN FERIIS

Temporis Paschalis, usque ad Ascensionem Domini.

Ad Officium Noct.

Invit. Qui crucifixus est, surrexit; * Allelúia. *Matt.* 28. 5. 6.

Ps. Veníte.

Hymnus.

JAm novis Christus celebrétur hymnis:
Victor insignes ágitat triumphos,
Qui suo, mortem jaculumque mortis,
Fúnere frangit.

Hunc vorax frustrà túmulus recondit,
Urget & pondus lápidis notáti:
Triste necquicquam vigil ad sepulchrum
Excubat hostis.

Jussa mors fauces áperit tremendas:
Prórunnt turmæ vígilum, stupentque:
Vincla rumpuntur, quibus obligátus
Ingemit orbis.

Quem timor clausum látebris coërcet,
Se gregi victor fácilem vidéri
Præbet, & certum sua fert amóris
Vúlnera pignus.

Jamque cœlestis documenta regni
Ore devolvens réferat profundo:
Quà mori mundo docet, & supernas
Quærere sedes.

Ergo jam numquam moritúre, vivis,
Christe; quos fuso redimis cruóre,
Præstet æternum tua vita, parto
Vívere olympo.

Summa laus Patri, Genitóque summa,
Morte qui victâ sibi dat renasci,
Quem Patri consors Amor, & perennis
Glória jungit.
Amen.

Tres Psalmi ut notantur in quolibet die, sub Antiphona sequenti.

Ant. 1. a. Christus præbuit seipsum vivum Apóstolis post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei, allelúia. *Act.* 1. 3.

℣. Salvávit sibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium sanctum ejus. *Ps.* 97. 1.

Lectiones & Responsoria, ut notantur pro quolibet die. Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ; ℟. Et exultávimus & delectáti sumus. *Psal.* 89. 14.

Psalmi de Feria, sub sola Antiph. sequente.

Ant. 6. F. Hunc príncipem & salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ ad dandam pœniténtiam, & remissiónem peccatórum, allelúia. *Act.* 5. 31.

Capitulum. Colos. 3. 1.

Si consurrexistis cum Christo: quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram.

Hymnus.

ADESTE, Cœlitûm chori,
Lætum sonantes cánticum:
Christus triumphans, férreæ
Necis resolvit víncula.

A CARNE dum mens éxulat,
Utríque Verbum néctitur;
Partes & inter dissitas
Vitæ resarcit fœdera.

DE Vírginis puérperæ,
Qui natus illæso sinu,
Saxi sigillis íntegris,
Mortis sinu renáscitur.

TE, Christe, dum puríssimæ
Fis charitátis hóstia,
Patri, cruento fúnere,
Amor sacerdos ímmolat.

QUI súscitans te, Númini
Uni doces nos vívere;
Fac servitúte líberos,
Tibi litet nos cháritas.

DA, Christe, tecum nos mori,
Simulque tecum súrgere;
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

JUGIS tibi laus, Trínitas,
In cujus almo nómine
Sibi, suísque rédditus
Christus jubet nos áblui.
Amen.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est,
℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92. 1.

Ad Benedictus, *Antiph. propria secundùm Feriam, ut sequitur.*

FERIA II. *Ant.* 2. D. Humiliávit se Christus, factus obédiens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltávit illum, allelúia. *Phil.* 2. 8. 9.

FERIA III. *Ant.* 4. E. Stipéndia peccáti, mors: grátia autem Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro, allelúia. *Rom.* 6. 23.

FERIA IV. *Ant.* 1. D. Spe salvi facti sumus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis nostri, allelúia. *Rom.* 8. *v.* 24. 23.

FERIA V. *Ant.* 4. D. Suscitávit Deus Jesum à mórtuis, ampliùs jam non reversúrum in corruptiónem, allelúia. *Act.* 13. 34.

FERIA VI. *Ant.* 3. a. Prædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per

Jesum Christum, allelúia. *Eph.* 1. *v.* 5. 7.

Oratio Dominica præcedentis.

Deinde fiunt Commemoratiónes de Sanctis occurrentibus.

Posthac de Cruce ut sequitur, nisi sit Duplex aut suprà.

Ant. Crucifixus ex infirmitáte, vivit ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 13. 4.

℣. Dícite in géntibus, ℟. Quia Dóminus regnávit. *Ps.* 95. 10.

Orémus.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiā consequámur; Per eumdem.

Non fiunt Suffragia consueta.

AD PRIMAM.

Hymnus Jam lucis orto sídere, *cum Doxologia*,

Quem suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

Dicitur usque ad Ascensionem.

Psalmi de Feria, & sic ad alias Horas.

Ant. 7. d. Conresuscitávit nos Deus in Christo, ut osténderet abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos, allelúia. *Eph.* 2. 6. 7.

Capitul. Ephes. 5. 8. 10.

ERátis aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte; probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Christe. ℣. Qui surrexisti à mórtuis, * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Repet.* Christe. *Rom.* 6. 4.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

In Simplicibus & Feriis dicuntur preces ut in Psalt. 150.

CANON ut in quolibet die.

AD TERTIAM.

Ant. 4. *irr.* A. Si commórtui sumus, & convivémus; si sustinébimus, & conregnábimus, allelúia. 2. *Tim.* 2. *v.* 11. 12.

Capitulum. Rom. 10. 9.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis, quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris.

℟. *br.*

℟. *br.* Confitébor Dómino nimis in ore meo, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Confitébor. ℣. Et in médio multórum laudábo eum. * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Rep.* Confitébor.

℣. Jucundum sit ei elóquium meum; ℟. Ego verò delectábor in Dómino. *Ps.* 108. 30. *&* 103. 34.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Pro ómnibus mórtuus est Christus; ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, allelúia. 2. *Cor.* 5. 15.

Capitulum. Rom. 7. 4.

FRatres mei, & vos mortificáti estis legi per corpus Christi; ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurrexit, ut fructificémus Deo.

℟. *br.* Dóminus pars hæreditátis meæ, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Dóminus. ℣. Et cálicis mei. * Allelúia. ℣. Glória Patri. *Rep.* Dóminus.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15. *v.* 5. 6.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Primogénitus mortuórum dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo, allelúia. *Apoc.* 1. 5.

Capitul. 1. Petr. 3. 18.

CHristus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. *br.* Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ. * Allelúia. ℣. Glória. *Rep.* Vivit.

℣. Vivet ánima mea, ℟. Et laudábit te. *Ps.* 17. 47. *&* 118. 175.

AD VESPERAS.

Psalmi de Feria, sub sola Ant. sequente.

Ant. 8. G. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis Christi, simul & resurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6. 5.

Capitulum. Rom. 6. 6.

VEtus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccato.

Hymnus.

TE quanta, victor fúneris,
Victor subacti tártari,
Cruci tuæ supérstitem,
Ornat triumphi glória!

PLAGIS cruentis sáucius,
Fulgóre vincis sídera;
Potu cibóque páscetis,
Sitis, famísque néscius.

Exsi tacentem, súbdita
Æther & æquor áudiunt:
Et pérviam se gréssibus
Sternunt cunctis sémitam.

Jam córporis fis immemor,
Aëria claustra pérmeas;
Dispar & idem, líberis
Ades, abesque nísibus.

Tot dótibus spem súscitas
Vitæ novæ, quâ cœlites
Facti, novis in ártubus,
Tuâ fruémur glóriâ.

Da, Christe, tecum nos mori,
Simulque tecum súrgere;
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

Jugis tibi laus, Trínitas,
In cujus almo nómine,
Sibi, suísque rédditus,
Christus jubet nos áblui.
Amen.

℣. Redémit nos Deus ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135. 24.

Ad Magníficat, *Ant. propria secundùm Feriam, ut sequitur.*

Feria II. *Ant.* 2. D. Ubi abundávit delíctum, superabundávit grátia, allelúia. *Rom.* 5. 20.

Feria III. *Ant.* 6. F. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis, allelúia. *Rom.* 8. 2.

Feria IV. *Ant.* 3. g. Sumus filii Dei; si autem filii, & hærédes, cohærédes autem Christi; si tamen compátimur, ut & conglorificémur, allelúia. *Rom.* 8. *v.* 16. 17.

Feria V. *Ant.* 4. f. Sicut regnávit peccátum in mortem, ita & grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, allelúia. *Rom.* 5. 21.

Oratio Dominica præcedentis.

Fiunt Commemorationes si occúrrant: deinde de Cruce, nisi sit Duplex aut suprà.

Ant. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5. 12.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65. 4.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem Dóminum.

Non fiunt Suffragia consuéta.

AD COMPLETOR.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. *d.* Erípuit nos Deus de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, allelúia. *Coloss.* 1. 13.

Hymnus.

CHORUS novæ Jerúsalem
Novis resultet cánticis:
Christus redux ab ínferis,
Mortis resolvit víncula.

TU, morte cujus vívimus,
Tutor tui sis múneris;
Letho relapsos ne sinas
Pejóre nos occúmbere.

EXCEPIT atra nox diem;
Nos in via ne déseras:
Lux, Christe, vera, sis comes,
Veramque dux in pátriam.

DA, Christe, tecum nos mori,
Simulque tecum súrgere;
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

QUEM suscitátum crédimus,
Jesu, tibi sit glória:
Summo Patri laus máxima,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. 1. Thess. 5. 5.

OMnes vos fílii lucis estis, & fílii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum; ígitur non dormiámus sicut & cæteri, sed vigilémus, & sóbrii simus.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. *Rep.* In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. * Allelúia. ℣. Glória Patri & Fílio. *Rep.* In manus tuas, Dómine. *Ps.* 30. 6.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Ps.* 16. 8.

Ad Nunc dimittis.

Ant. 5. a. Allelúia, Mane nobíscum, Dómine, allelúia, quóniam advesperáscit, & inclináta est jam dies, allelúia, allelúia. *Luc.* 24. 29.

Si sit Feria aut Simplex, dicuntur Preces ut in Psalterio. 157.

Dóminus vobíscum, &c.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui ómnia vitæ nostræ témpora moderáris & sanctíficas; fac ut per hanc noctem, mórtui peccátis, vivámus tibi in Christo Jesu Dómino nostro; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, Per.

FERIA SECUNDA.

Ad Officium Noct.

Psalmi de I. Nocturno.

Incipit liber Jósue.

Lect. I. *Cap.* I. *v.* I.

Deus hortatur Josue.

ET factum est post mortem Móysi servi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jósue filium Nun ministrum Móysi, & díceret ei: Móyses servus meus mórtuus est: surge, & transi Jordánem istum, tu, & omnis pópulus tecum, in terram quam ego dabo fíliis Israël. Omnem locum quem calcáverit vestígium pedis vestri, vobis tradam, sicut locútus sum Móysi. A deserto & Líbano, usque ad flúvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæórum, usque ad mare magnum contra Solis occásum erit términus vester. Nullus póterit vobis resístere cunctis diébus vitæ tuæ: sicut fui cum Móyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortáre, & esto robústus: tu enim sorte dívides pópulo huic terram, pro qua jurávi pátribus suis, ut tráderem eam illis. Confortáre ígitur, & esto robústus valdè; ut custódias & fácias omnem legem quam præcépit tibi Móyses servus meus: ne declínes ab ea ad déxteram vel ad sinístram, ut intélligas cuncta quæ agis. Non recédat volúmen legis hujus ab ore tuo: sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges viam tuam, & intélliges eam. Ecce præcípio tibi: confortáre, & esto robústus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum est Dóminus Deus tuus in ómnibus ad quæcumque perréxeris.

℟. Grátias Deo Patri, * Qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, allelúia. *Col.* I. *v.* 12. 13. ℣. Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília solus. *Psalm.* 71. 18. * Qui erípuit.

Lectio II. *v.* 10.

Josue parat omnia ad Jordanem transeundum.

PRæcepitque Jósue princípibus pópuli, dicens: Transíte per médium castrórum, & imperáte pópulo, ac dícite: Præparáte vobis cibária, quóniam post diem tértium transíbitis Jordánem, & intrábitis ad possidendam terram quã Dóminus Deus vester datúrus est vobis. Rubenítis

quoque & Gadítis, & dimídiæ tribui Manasse, ait: Mementóte sermónis quem præcépit vobis Móyses fámulus Dómini, dicens: Dóminus Deus vester dedit vobis réquiem, & omnem terram. Uxóres vestræ, & filii, ac jumenta manébunt in terra quam trádidit vobis Móyses trans Jordánem: vos autem transíte armáti ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnáte pro eis, donec det Dóminus réquiem frátribus vestris sicut & vobis dedit, & possídeant ipsi quoque terram quam Dóminus Deus vester datúrus est eis: & sic revertémini in terram possessiónis vestræ, & habitábitis in ea, quam vobis dedit Móyses fámulus Dómini trans Jordánem contra solis ortum. Responderúntque ad Jósue, atque dixérunt: Omnia quæ præcepisti nobis, faciémus: & quocumque míseris, íbimus. Sicut obedívimus in cunctis Móysi, ita obediémus & tibi: tantùm sit Dóminus Deus tuus tecùm, sicut fuit cum Móyse. Qui contradíxerit ori tuo, & non obedíerit cunctis sermónibus quos præcéperis ei, moriátur: tu tantùm confortáre, & viríliter age. Tu autem.

℟. Deus, qui dives est in misericórdia, * Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, & conresuscitávit, allelúia. *Eph. 2. v. 4. 5. 6.* ℣. Quia benignus & miséricors est, pátiens & multæ misericórdiæ. *Joël. 2. 13.* * Cùm essémus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Románοs.

LECTIO III. *Cap. 8. v. 7.*

Qui suscitavit Jesum, vivificabit nos.

SApiéntia carnis inimíca est Deo: legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spíritu: si tamen spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mórtuum est propter peccátum, spíritus verò vivit propter justificatiónem. Quòd si Spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra propter inhabitantem Spíritū ejus in vobis. Ergo, fratres, debitóres sumus non carni, ut secundùm car-

nem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis.

℟. Christus mórtuus est, & resurrexit : * Ut & mortuórum & vivórum dominétur, allelúia. *Rom.* 14. 9. ℣. Mirificávit Dóminus sanctum suum. *Ps.* 4. 3. * Ut & mortuórum. ℣. Glória. * Ut.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

An. 816. *Lib.* 1. *cap.* 19.

(Sacerdótes,) qui se ab ómnibus implicaméntis negotiórum seculárium removentes, non torpent ótio, sed insistunt perfectiónis suæ negótio, & ab stultítia sapiéntiæ secularis aversi, verbo Dei infatigabíliter vacant, sapientes veráciter fiunt.

FERIA TERTIA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 1.

Exploratores apud Rahab.

Misit ígitur Jósue fílius Nun de Setim duos viros exploratóres in abscóndito ; & dixit eis : Ite, & consideráte terram, urbemque Jéricho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretrícis, nómine Rahab, & quievérunt apud eam. Nuntiatumque est regi Jéricho, & dictum : Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filiis Israël, ut explorárent terram. Misitque rex Jéricho ad Rahab, dicens : Educ viros qui venérunt ad te, & ingressi sunt domum tuam : exploratóres quippe sunt, & omnem terram considerare venérunt. Tollensque múlier viros, abscondit, & ait : Fáteor : venérunt ad me ; sed nesciébam unde essent : cumque porta clauderétur in ténebris, & illi páriter exiérunt ; nésciò quò abiérunt : persequímini citò, & comprehendétis eos. Ipsa autem fecit ascéndere viros in solárium domûs suæ, operuitque eos stípulâ lini, quæ ibi erat. Hi autem qui missi fúerant, secúti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordánis : illisque egressis, statim porta clausa est. Necdum obdormíerant qui latébant, & ecce múlier ascendit ad eos, & ait : Novi quòd Dóminus tradíderit vobis terram : étenim írruit in nos terror vester, & elanguérunt omnes habitatóres terræ. Audívimus quòd siccáverit Dóminus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex

Ægypto : & quæ fecéritis duóbus Amorrhæórum régibus, qui erant trans Jordánem, Sehon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimúimus, & elánguit cor nostrum, nec remansit in nobis spíritus ad intróitū vestrum: Dóminus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Nunc ergo juráte mihi per Dóminum, ut quómodo ego misericórdiam feci vobiscum, ita & vos faciátis cum domo patris mei : detisque mihi verum signum ; ut salvétis patrem meum & matrem, fratres ac soróres meas, & ómnia quæ illórum sunt, & eruátis ánimas nostras à morte.

℟. Sive vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur: * Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus, allelúia. *Rom.* 14. 8. ℣. Dicant qui redempti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci. *Ps.* 106. 2. * Sive.

LECTIO II. *v.* 14.

Juramentum exploratorum.

QUi respondérunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodíderis nos: cumque tradíderit nobis Dóminus terram, faciémus in te misericórdiam & veritátem. Demísit ergo eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærébat muro. Dixitque ad eos : Ad montána conscéndite, ne forte occurrant vobis revertentes : ibique latitáte tribus diébus donec rédeant, & sic íbitis per viam vestram. Qui dixérunt ad eam : Innóxii érimus à juramento hoc quo adjurasti nos : si ingrediéntibus nobis terram, signum fúerit funículus iste coccíneus, & ligáveris eum in fenestra per quam demisisti nos ; & patrem tuum ac matrem, fratresque & omnem cognatiónem tuā congregáveris in domum tuam. Qui óstium domûs tuæ egressus fúerit, sanguis ipsíus erit in caput ejus, & nos érimus aliéni. Cunctórum autem sanguis, qui tecum in domo fúerint, redundábit in caput nostrum, si eos áliquis tetígerit. Quòd si nos pródere volúeris, & sermónem istum proferre in médium, érimus mundi ab hoc juramento quo adjurasti nos. Et illa respondit : Sicut locúti estis, ita fiat. Dimittensque eos ut pérgerent, appendit funículum coccíneum in fenestra. Illi verò ambulantes perveni-

runt ad montána, & mansérunt ibi tres dies, donec reverteréntur qui fúerant persecúti: quæréntes enim per omnem viam, non reperérunt eos. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, & descendérunt exploratóres de monte: & transmisso Jordáne, venérunt ad Jósue fílium Nun, narraveruntque ei ómnia quæ accíderant sibi, atque dixérunt: Trádidit Dóminus ómnem terram hanc in manus nostras, & timóre prostráti sunt cuncti habitatóres ejus.

℟. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, * Hanc Deus adimplévit, resúscitans Jesum, allelúia. *Act.* 13. *v.* 32. 33. ℣. Dóminus Deus noster adimplévit misericórdiam suam quam promísit dómui Israël. *Judit.* 13. 18. * Hanc.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio III. *c.* 8. *v.* 28.

Qui resurrexit, interpellat pro nobis.

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit confórmes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs eléctos Dei? Deus qui justíficat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

℟. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te, allelúia. *Ps.* 117. 28. ℣. Occísus es, & redemisti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5. 9. * Deus meus. ℣. Glória. * Deus.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

An. 816. *Lib.* 1. *can.* 9.

Sacerdótis speciále offícium est, Scriptúras légere, percúrrere Cánones, exempla Sanctórum imitári; vigíliis, jejúniis, oratiónibus incúmbere; cum frátribus ha-

bére pacem, nec quemquam ex membris suis discérpere.

FERIA QUARTA.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 3. *v.* 1.

Arca Dei præcedit populum in Jordanem.

IGitur Jósue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Setim, venérunt ad Jordánem ipse & omnes filii Israël, & moráti sunt ibi tres dies. Quibus evolútis, transiérunt præcónes per castrórum médium, & clamáre cœpérunt: Quando vidéritis arcam fœderis Dómini Dei vestri, & sacerdótes stirpis Levíticæ portantes eam, vos quoque consúrgite, & sequímini præcedentes: sitque inter vos & arcam spátium cubitórum duûm míllium; ut procul vidére possítis, & nosse per quam viam ingrediámini, quia priùs non ambulastis per eam: & cavéte ne appropinquétis ad arcam. Dixitque Jósue ad pópulum: Sanctificámini: cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. Et ait ad sacerdótes: Tóllite arcam fœderis, & præcédite pópulum. Qui jussa complentes, tulérunt, & ambulavérunt ante eos. Dixitque Dóminus ad Jósue: Hódie incípiam exaltáre te coram omni Israël: ut sciant quòd sicut cum Móyse fui, ita & tecum sim. Tu autem præcipe sacerdótibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingressi fuéritis partem aquæ Jordánis, state in ea. Dixitque Jósue ad filios Israël: Accédite huc, & audíte verbum Dómini Dei vestri. Et rursùm: In hoc, inquit, sciétis quòd Dóminus Deus vivens in médio vestrî est, & dispérdet in conspectu vestro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergesæum quoque & Jebusæum & Amorrhæum. Ecce arca fœderis Dómini omnis terræ antecédet vos per Jordánem.

℟. Salvávit eos, *pag.* 578.

LECTIO II. *v.* 12.

Miraculum in transitu Jordanis.

PArate duódecim viros de tríbubus Israël, síngulos per síngulas tribus. Et cùm posúerint vestígia pedum suórum, sacerdótes qui portant arcam Dómini Dei universæ terræ, in aquis Jordánis, aquæ quæ inferióres sunt, decurrent atque defícient: quæ autem dé-

super véniunt, in una mole consistent. Igitur egressus est pópulus de tabernáculis suis ut transíret Jordánem : & sacerdótes qui portábant arcam fœderis, pergébant ante eum. Ingressísque eis Jordánem, & pédibus eórum in parte aquæ tinctis, (Jordánis autem ripas álvei sui témpore messis impléverat;) steterúnt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparébant procul ab urbe quæ vocátur Adom usque ad locum Sarthan : quæ autem inferióres erant, in mare solitúdinis (quod nunc vocátur mórtuum) descendérunt úsquequò omnínò deficerent. Pópulus autem incedébat contra Jéricho : & sacerdótes qui portábant arcam fœderis Dómini, stabant super siccam humum in médio Jordánis accincti; omnísque pópulus per arentem álveum transíbat.

℟. Deus Rex, *pag.* 379.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO III. *Cap.* 15. *v.* 1.

Christus à mortuis resurrexit.

NOtum vobis fácio, fratres, Evangélium quod prædicávi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvámini : quâ ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustrà credidistis. Trádidi enim vobis in primis, quod & accépi : quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras; & quia sepultus est, & quia resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras : & quia visus est Cephæ, & post hoc úndecim : deinde visus est plus quàm quingentis frátribus simul; ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt : deinde visus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus : novíssimè autem ómnium tamquam abortívo, visus est & mihi. Tu autem, Dómine.

℟. Fortitúdo, *pag.* 379.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit. Monit.*

IN omni imprímis sancta oratióne vos assíduè exercéte; tum in meditatiónis tacitæque piæ oratiónis stúdio síngulis diébus, certo témporis spátio, toto castíssimi ánimi sensu incúmbite.

FERIA QUINTA.
AD OFFICIUM NOCT.
Psalmi de I. Nocturno.
De libro Jósue.
LECTIO I. *Cap.* 5. *v.* 1.
Circumcisio generalis.

POstquam ergo audiérunt omnes reges Amorrhæórum, qui habitábant trans Jordánem ad Occidentálem plagam, & cuncti reges Chánaan, qui propinqua possidébant magni maris loca, quòd siccasset Dóminus fluenta Jordánis coram filiis Isräël donec transirent, dissolútum est cor eórum, & non remansit in eis spíritus, timéntium introitum filiórum Isräël. Eo témpore ait Dóminus ad Jósue: Fac tibi cultros lapídeos, & circumcíde secundò filios Isräël. Fecit quod jússerat Dóminus, & circumcídit filios Isräël in colle præputiórum. Postquam autem circumcísi sunt, mansérunt in eódem castrórum loco, donec sanarentur. Dixitque Dóminus ad Jósue: Hódie ábstuli oppróbrium Ægypti à vobis. Vocatumque est nomen loci illíus Gálgala, usque in præsentem diem. Manseruntque filii Isräël in Gálgalis, & fecérunt Phase, quartadécimâ die mensis ad vésperum in campéstribus Jéricho: & comedérunt de frúgibus terræ die áltero, ázymos panes, & polentam ejusdem anni. Defecitque manna postquam comedérunt de frúgibus terræ, nec usi sunt ultrà cibo illo filii Isräël; sed comedérunt de frúgibus præsentis anni terræ Chánaan. Cùm autem esset Jósue in agro urbis Jéricho, levávit óculos, & vidit virum stantem contra se, evaginátum tenentem gládium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariórum? Qui respondit: Nequáquam; sed sum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. Cécidit Jósue pronus in terram. Et adórans ait: Quid Dóminus meus lóquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pédibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Jósue ut sibi fúerat imperátum.

℟. Grátias Deo Patri, pag. 388.

LECTIO II. *Cap.* 6. *v.* 12.
Obsessa Jéricho & capta.

IGitur Jósue de nocte consurgente, tulérunt sacerdótes arcam Dómini, & septem ex eis septem búccinas quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Dó-

mini ambulántes atque clangentes : & armátus pópulus ibat ante eos, vulgus autem réliquum sequebátur arcam, & búccinis personábat. Circuiéruntque civitátem secúndo die semel, & reversi sunt in castra. Sic fecérunt sex diébus. Die autem séptimo, dilúculo consurgentes circuiérunt urbem, sicut dispósitum erat, sépties. Cumque séptimo circúitu clángerent búccinis sacerdótes, dixit Jósue ad omnem Israël: Vociferámini; trádidit enim vobis Dóminus civitátem: sitque cívitas hæc anáthema, & ómnia quæ in ea sunt, Dómino. Sola Rahab méretrix vivat, cum univérsis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim núntios quos miséximus. Vos autem cavéte, ne de his quæ præcepta sunt, quíppiam contingátis, & sitis prævaricatiónis rei, & ómnia castra Israël sub peccáto sint atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fúerit, & vasórum æneórum ac ferri, Dómino consecrétur repósitum in thesáuris ejus. Igitur omni pópulo vociferante, & clangéntibus tubis, postquam in aures multitúdinis vox sonitusque increpuit, muri íllicò corruérunt; & ascendit unusquisque per locum qui contra se erat: ceperuntque civitátem, & interfecérunt ómnia quæ erant in ea, à viro usque ad mulíerem, ab infante usque ad senem. Boves quoque, & oves, & ásinos in ore gládii percussérunt. Duóbus autem viris qui exploratóres missi fúerant, dixit Jósue: Ingredímini domum mulíeris meretrícis, & prodúcite eam, & ómnia quæ illíus sunt, sicut illi juramento firmástis. Ingressíque júvenes, eduxérunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque & cunctam supelléctilem ac cognatiónem illíus, & extra castra Israël manére fecérunt. Urbem autem, & ómnia quæ erant in ea, succendérunt; absque auro & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærárium Dómini consecrárunt. Rahab verò meretrícem, & domum patris ejus, & ómnia quæ habébat, fecit Jósue vívere, & habitavérunt in médio Israël usque in præsentem diem; eò quòd abscónderit núntios quos míserat ut explorárent Jéricho.

℟. Deus, qui dives est, *pag.* 389.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio III. *Cap. 15. v. 9.*

Inanis fides si Christus non resurrexit.

EGo sum minimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátiâ autem Dei sum id quod sum, & grátia ejus in me vácua non fuit; sed abundántiùs illis ómnibus laborávi: non ego autem; sed grátia Dei mecum: sive enim ego, sive illi; sic prædicámus, & sic credidistis. Si autem Christus prædicátur quòd resurrexit à mórtuis, quómodò quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra: invénimur autem & falsi testes Dei: quóniam testimónium díximus adversùs Deum, quòd suscitáverit Christum; quem non suscitávit, si mórtui non resurgunt. Tu autem, Dómine.

℟. Christus mórtuus est, *pag.* 390.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. part. 3. tit. Monit.

QUi sacerdótes estis, Missæ Sacrificium sæpiùs fácite; sanctè ac religiósè ad illud faciendum paráte vos omni pietáte, in tam alti mystérii meditatióne toto ánimo defixi.

FERIA SEXTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Jósue.

Lectio I. *Cap. 7. v. 4.*

Achan furatur de anathemate.

AScendérunt tria míllia pugnatórum; qui statim terga verentes, percussi sunt à viris urbis Haï. Jósue verò scidit vestimenta sua, & pronus cécidit in terram coram Arca Dómini usque ad vésperam, tam ipse quàm omnes senes Israël: miseruntque púlverem super cápita sua. Dixitque Dóminus ad Jósue: Surge; cur jaces pronus in terra? Peccávit Israël; nec póteris stare ante hostes suos, eosque fúgiet: quia pollútus est anathémate. Surgens ítaque Jósue manè, applícuit Israël per tribus suas, & inventa est tribus Juda. Quæ cùm

juxta famílias suas esset obláta, inventa est família Zare. Illam quoque per domos ófferens, répperit Zabdi : cujus domum in síngulos dívidens viros, invénit Achan fílium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. Et ait Jósue ad Achan: Fili mi, da glóriam Dómino Deo Israël, & confitére atque índica mihi quid féceris; ne abscondas. Respondítque Achan Jósue, & dixit ei : Verè ego peccávi Dómino Deo Israël, & sic feci : vidi enim inter spólia pállium coccíneum valdè bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque áuream quinquaginta sicló-rum : & concupiscens ábstuli, & abscondi in terra contra médium tabernáculi mei, argentumque fossâ humo opérui. Tollens ítaque Jósue Achan fílium Zare, argentumque & pállium, & áuream régulam, filios quoque & filias ejus, boves & ásinos & oves, ipsumque tabernáculum, & cunctam supelléctilem: (& omnis Israël cum eo:) duxérunt eos ad vallem Achor : ubi dixit Jósue : Quia turbasti nos, exturbet te Dóminus in die hac. Lapidavítque eum omnis Israël : & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.

℟. Sive vívimus. *pag.* 391.

Lectio II. *Cap.* 8. 1.

Urbs Haï capta & incensa.

Dixit autem Dóminus ad Jósue : Ne tímeas, neque formídes : tolle tecum omnem multitúdinem pugnatórum, & consurgens ascende in óppidum Haï : ecce trádidi in manu tua regem ejus, & pópulum, urbemque & terram. Quinque autem míllia viros elégerat (Jósue,) & posúerat in insídiis inter Bethel & Haï, ex Occidentáli parte ejúsdem civitátis : omnis verò réliquus exércitus ad Aquilónem áciem dirigébat, ita ut novíssimi illíus multitúdinis, Occidentálem plagam urbis attíngerent. Abiit ergo Jósue nocte illâ, & stetit in vallis médio. Quod cùm vidísset rex Haï, festinávit manè, & egressus est cum omni exércitu civitátis, direxítque áciem contra desertum, ignórans quòd post tergum latérent insídiæ. Jósue verò & omnis Israël cessérunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitúdinis viam. At illi vociferantes páriter, & se mútuò cohortantes, persecúti sunt

eos. Cumque recessissent à civitáte, & ne unus quidem in urbe Haï & Bethel remansisset, qui non persequerétur Israël, (sicut erúperant aperta óppida relinquentes,) dixit Dóminus ad Jósue : Leva clypeum qui in manu tua est, contra urbem Haï; quóniam tibi tradam eam. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitátis, insídiæ quæ latébant surrexérunt confestim; & pergentes ad civitátem, cepérunt & succendérunt eam.

℟. Quæ ad patres nostros. *pag.* 392.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECT. III. *Cap.* 15. *v.* 16. *In Christo omnes vivificabuntur.*

SI mórtui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium : quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

℟. Deus meus es tu. *pag.* 392.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno Sess. 23. *de Reform.* *Cap.* 13.

SUbdiáconi & Diáconi... sciant máximè decére, si saltem diébus domínicis & solémnibus, cùm altári ministráverint, sacram communiónem percéperint.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Jósue.

LECT. I. *Cap.* 9. *v.* 3. *Gabaonitarum astutia.*

AT hi qui habitábant in Gábaon, audientes cuncta quæ fécerat Jósue Jéricho & Haï : & cállidè cogitantes, tulérunt sibi cibária, saccos véteres ásinis imponentes, & utres vinários scissos atque consútos, calceamentaque perantíqua quæ ad indícium vetustátis pittáciis consúta erant, indúti verteribus vestimentis : panes quoque quos portábant ob viáticum, duri erant, & in frusta comminúti : perrexeruntque ad Jósue, & dixérunt ei : Servi tui su-

mus. De terra longinqua valdè venérunt servi tui in nómine Dómini Dei tui. Audívimus enim famam poténtiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto. Suscepérunt igitur de cibáriis eórum, & os Dómini non interrogavérunt. Fecitque Jósue cum eis pacem, & inito fœdere pollícitus est quòd non occideréntur: príncipes quoque multitúdinis juravérunt eis.

LECTIO II. *v. 16.*

Cum Gabaonitis quomodo actum fuerit.

POst dies autem tres initi fœderis, audiérunt quòd in vicino habitárent, & inter eos futúri essent. Vocávit Gabaonítas Jósue, & dixit eis: Cur nos decípere fraude voluistis, ut dicerétis: Procul valdè habitámus à vobis, cùm in médio nostrî sitis? Itaque sub maledictióne éritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. Qui respondérunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quòd promisisset Dóminus Deus tuus Móysi servo suo, ut tráderet vobis omnem terram, & dispérderet cunctos habitatóres ejus. Timúimus igitur valdè, & provídimus animábus nostris, vestro terróre compulsi, & hoc consílium inívimus. Nunc autem in manû tua sumus: quod tibi bonum & rectum vidétur, fac nobis. Fecit ergo Jósue ut díxerat: & liberávit eos de manu filiórum Israël, ut non occideréntur. Decrevítque in illo die eos esse in ministério cuncti pópuli, & altáris Dómini, cædentes ligna, & aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dóminus elegisset.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

LECT. III. *Cap. 1. v. 16.*

Christus suscitatus caput Ecclesiæ.

NOn cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestrî fáciens in oratiónibus meis: ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in sanctis, & quæ sit superéminens magnitúdo virtútis ejus in nos, qui crédimus secundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus est in Christo, suscitans illum à mórtuis, & constítuens ad déxteram

suam in cœléstibus, supra omnem principátum, & potestátem, & virtútem, & dominatiónem, & omne nomen, quod nominátur non solùm in hoc sǽculo, sed étiam in futúro. Et ómnia subjécit sub pédibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsius & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. *de Reform.*

Cap. 18.

CUret Epíscopus ut (Clérici) missæ sacrifício síngulis diébus intersint, ac saltem síngulis ménsibus confiteantur peccáta, & juxta Confessóris judícium sumant Corpus Dómini nostri Jesu Christi.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Sabbato ante Dominicam in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capit. Jerem. 31. v. 10. 11.

QUi dispersit Israël, congregábit eum, & custódiet eum sicut pastor gregem suum. Redémit enim Dóminus Jacob, & liberávit eum de manu potentióris.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Sicut pastor gregem suum pascet : in bráchio suo congregábit agnos, & in sinu suo levábit, fœtas ipse portábit, allelúia. *Is.* 40. 11.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA II.

Post Pascha.

AD OFFICIUM NOCT.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 10. *v.* 5.

Josue imperat Soli.

COngregáti ígitur ascendérunt quinque reges Amorrhæórũ, rex Jerúsalẽ, rex Hebron, rex Jérimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercítibus suis, & castrametáti sunt circa Gábaon, oppugnantes eam. Habitatóres autem Gábaon urbis obsessæ misérunt ad Jósue, qui tunc morabátur in castris apud Gálgalam, & dixérunt ei : Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum : ascende citò, & líbera nos, ferque præsídium : convenérunt enim adversùm nos omnes reges Amorrhæórum, qui hábitant in montánis. Ascenditque Jósue de Gálgalis, & omnis exércitus bellatórum cum eo, viri fortíssimi. Dixitque Dóminus ad Jósue : Ne tímeas eos : in manus

enim tuas trádidi illos ; nullus ex eis tibi resístere póterit. Irruit ítaque Jósue super eos repentè, totâ nocte ascendens de Gálgalis : & conturbávit eos Dóminus à fácie Israël ; contrivitque plagâ magnâ in Gábaon, ac persecútus est eos per viam ascensûs Beth-horon, & percussit usque Azeca & Máceda. Cumque fúgerent filios Israël, & essent in descensu Beth-horon, Dóminus misit super eos lápides magnos de cœlo usque ad Azeca ; & mórtui sunt multò plures lapídibus grándinis, quàm quos gládio percússerant filii Israël. Tunc locútus est Jósue Dómino, in die quâ trádidit Amorrhæum in conspectu filiórum Israël, dixitque coram eis : Sol, contra Gábaon ne movéaris ; & Luna, contra vallem Aíalon. Steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimícis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justórum ? Stetit ítaque sol in médio cœli, & non festinávit occúmbere spátio uníus diéi. Non fuit ánteà nec póstea tam longa dies, obediente Dómino voci hóminis, & pugnante pro Israël.

℟. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * Quis símilis tuî ? magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília, allelúia. *Exod.* 15. 11. ℣. Accepisti virtútem tuam magnam, & regnasti. *Apoc.* 11. 17. * Quis.

De libro Ecclesiástici.

LECT. II. *Cap.* 46. *v.* 1.

Encomium Josue.

FOrtis in bello Jesus Nave, succéssor Móysi in prophétis ; qui fuit magnus secundùm nomen suum, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, ut consequerétur hereditátem Israël. Quam glóriam adeptus est in tollendo manus suas ; & jactando contra civitátes rhomphæas ? Quis ante illum sic réstitit ? Nam hostes ipse Dóminus perduxit. An non in iracúndia ejus impedítus est sol, & una dies facta est quasi duo ? Invocávit Altíssimum potentem in oppugnando inimícos úndique, & audívit illum magnus & sanctus Deus in saxis grándinis virtútis valdè fortis. Impetum fecit contra gentem hostílem, & in descensu pérdidit contrários : ut cognoscant gentes poténtiam ejus, quia contra Deum pugnáre non est fácile. Et secútus est à tergo potentis.

℟. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; * Facti sumus lætantes, allelúia, allelúia. *Ps.* 125. 3. ℣. Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5. 11. * Facti.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 10. 11. *Bonus Pastor.*

IN illo témpore, Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 14. *in Evang. hab. in Basilica S. Petri Dominicâ* 2. *post Pascha.*

BOnus Pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit; ostendit quod jussit. Bonus Pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in sacramento nostro corpus suum & sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis suæ alimento satiáret. Ostensa nobis est ígitur de contemptu mortis via quam sequámur: appósita est forma cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere: postrémum verò, si necesse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus. Sed cùm incomparabíliter longè sit mélior ánima quâ vívimus, quàm terréna substántia quam extériùs possidémus; qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam? Et sunt nonnulli, qui dum plus terrénam substántiam, quàm oves díligunt, méritò nomen Pastóris perdunt; de quibus prótinùs súbditur: Mercenárius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, & dimittit oves, & fugit. Non Pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves Domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit: terrénis cómmodis ínhiat, honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páscitur, impensâ sibi ab homínibus reveréntiâ lætátur.

℟. Qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo: * Ipsi glória & impérium in sécula seculórum,

allelúia, allelúia. *Apoc.* 1. *v.* 5. 6. ℣. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam. *Isai.* 53. 12. * Ipsi glória. ℣. Glória. * Ipsi glória.

AD LAUDES.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. 1. Petr. 2. v. 21. 22.

CHarissimi, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequámini vestígia ejus, qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Ad Benedict. *Ant.* 3. a. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis, allelúia. *Joan.* 10. 11.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui in Filii tui humilitáte, jacentem mundum erexisti: fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; ut quos perpétuæ mortis eripuisti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis; Per eumdem Dóminum.

AD HORAS, omnia ut in Dominica in Albis, exceptâ Oratione.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1536. *Part.* 1. *Cap.* 20.

SUbstántia Sacerdótis sunt elóquia divínitùs trádita.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. Ezech. 34. 11.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, sicut vísitat Pastor gregem suum in die quando fúerit in médio óvium suárum, sic visitábo oves meas, & liberábo eas de ómnibus locis in quibus dispersæ fúerunt.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Fiet unum ovíle, & unus Pastor, allelúia. *Joan.* 10. 16.

FERIA SECUNDA.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Psalmi de II. Noct.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 10. *v.* 15.

Quinque reges fugitivi in spelunca.

REversúsque est Jósue cum omni Israël in castra Gálgalæ. Fúgerant enim quinque reges, & se abscónderant in spelunca urbis Máceda. Nuntiatumque est Jósue, quòd inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Máceda. Qui præcépit sóciis, & ait: Vólvite saxa ingéntia ad os speluncæ, & pónite viros indústrios, qui clausos custódiant. Vos autem nolíte stare: sed per-

sequímini hostes, & extrémos quosque fugiéntium cædite; nec dimittátis eos úrbium suárum intráre præsidia, quos trádidit Dóminus Deus in manus vestras. Cæsis ergo adversáriis plagâ magnâ, & usque ad interneciónem penè consúmptis, hi qui Israël effúgere potuérunt, ingressi sunt civitátes munítas. Reversúsque est omnis exércitus ad Jósue in Máceda, ubi tunc erant castra, sani & íntegro número; nullúsque contra filios Israël mutíre ausus est. Præcepitque Jósue, dicens: Aperíte os speluncæ, & prodúcite ad me quinque reges qui in ea látitant. Fecerúntque ministri ut sibi fúerat imperátum: & eduxérunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerúsalem, regem Hebron, regem Jérimoth, regem Lachis, regem Eglon. Cumque educti essent ad eum, vocávit omnes viros Israël, & ait ad príncipes exércitûs qui secum erant: Ite, & pónite pedes super colla regum istórum. Qui cùm perrexissent, & subjectórum colla pédibus calcárent, rursùm ait ad eos: Nolíte timére, nec paveátis; confortámini & estóte robusti: sic enim fáciet Dóminus cunctis hóstibus vestris, advérsùm quos dimicátis.

℟. Jesum à Názareth suscitávit Deus tértiâ die; * Constitútus est à Deo Judex vivórum & mortuórum, allelúia, allelúia. *Act.* 10. *v.* 38. 40. 42. ℣. Antíquus diérum dedit ei potestátem & honórem. *Dan.* 7. 14.* Constitútus.

Lectio II. *Cap.* 11. *v.* 1.

Cædes Jabin regis Azor.

Quæ cùm audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, & ad regem Sémeron, atque ad regem Achsaph: ad reges quoque Aquilónis, qui habitábant in montánis & in planítie contra merídiem Céneroth, in campéstribus quoque & in regiónibus Dor juxta mare: Chananæum quoque ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum atque Hethæum, ac Pherezæum & Jebusæum in montánis: Hevæum quoque qui habitábat ad radíces Hermon in terra Maspha. Egressíque sunt omnes cum turmis suis, pópulus multus nimis sicut aréna quæ est in líttore maris, equi quoque & currus immensæ multitúdinis. Convenerúntque omnes reges isti in unum ad Aquas Merom, ut pugnárent contra Israël. Di-

xitque Dóminus ad Jósue: Ne tímeas eos: cras enim hâc eâdem horâ ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël: equos eórum subnervábis, & currus igne combúres. Venitque Jósue, & omnis exércitus cum eo, adversùs illos ad Aquas Merom súbitò, & irruérunt super eos. Tradiditque illos Dóminus in manus Israël; qui percussérunt eos, & persecúti sunt usque ad Sidónem magnam, & Aquas Maséréphoth, campumque Masphe, qui est ad Orientálem illíus partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimítteret ex eis relíquias: fecitque sicut præcéperat ei Dñs, equos eórum subnervávit, currusque combussit igni. Reversusque statim cepit Asor, & regem ejus percussit gládio. Asor enim antíquitùs inter ómnia regna hæc principátum tenébat. Percussitque omnes ánimas quæ ibidem morabantur: non dimísit in ea ullas relíquias, sed usque ad interneciónem universa vastávit, ipsamque urbem perémit incéndio.

℟. Crédimus scientes quóniam qui suscitávit Jesum, * Nos cum Jesu suscitábit, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 4. *v.* 13. 14. ℣. Vivificábit nos post duos dies; in die tértia suscitábit nos. *Osee.* 6. 3. * Nos cum Jesu.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio III. *Cap.* 2. *v.* 1.

Conresuscitati sumus in Christo.

Cum essétis mórtui delíctis & peccátis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sǽculum mundi hujus, secundùm príncipem potestátis áëris hujus, spíritûs, qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ; in quibus & nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, faciéntes voluntátem carnis & cogitatiónum, & erámus natúrâ filii iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti,) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu: ut osténderet in sǽculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum & refúgium meum,

alleluia. *Psalm.* 17. 2. ℣. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. *Galat.* 3. 13. * Dóminus. ℣. Glória. * Dóminus.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *Part.* 3. *Tit. Monit.*

Lectióne librórum spirituálium & Clericálium qui probáti sunt, ánimos mentesque vestras páscite.... Quotídie áliquid ex sacris Bíbliis légite..... Aliquid item ex sanctórum Patrum opúsculis.... & aliórum qui sanctitátis & doctrínæ laude in Ecclésia celebrantur.

FERIA TERTIA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 11. 12.

Gigantes exterminati.

Omnes per circúitum civitátes, regesque eárum cepit Jósue, percussit atque delévit, sicut præcéperat ei Móyses fámulus Dómini. Absque úrbibus quæ erant in cóllibus & in túmulis sitæ, cæteras succendit Israël: unam tantùm Asor munitíssimã flammâ consumpsit. Omnemque prædam istárum úrbium, ac jumenta, divisérunt sibi fílii Israël, cunctis homínibus interfectis. Sicut præcéperat Dóminus Móysi servo suo, ita præcépit Móyses Jósue, & ille universa complévit: non prætériit de universis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus Móysi. Cepit ítaque Jósue omnem terram montánam & meridiánam, terramque Gosen, & planítiem, & Occidentálem plagam, montemque Israël, & campéstria ejus: & partem montis quæ ascendit Seïr usque Baalgad, per planítiem Líbani subter montem Hermon: omnes reges eórum cepit, percussit & occídit. Multo témpore pugnávit Jósue contra reges istos. Non fuit cívitas quæ se tráderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitábat in Gábaon: omnes enim bellando cepit. Dómini enim senténtia fúerat, ut indurarentur corda eórum, & pugnárent contra Israël, & cáderent, & non mererentur ullam cleméntiam, ac perirent, sicut præcéperat Dóminus Móysi. In illo témpore, venit Jósue, & interfécit Enacim de montánis, Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda & Israël,

urbesque eórum delévit. Cepit ergo Jósue omnem terram, sicut locútus est Dóminus ad Móysen, & trádidit eam in possessiónem filiis Israël, secundùm partes & tribus suas: quievítque terra à prælìis.

℟. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus, * Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi, allelúia. *Ps.* 33. 12. ℣. Aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei. 1. *Petr.* 2. 12. * Pópulus.

LECTIO II. *Cap.* 13. 1.

Partitiones terræ promissæ.

JOsue senex, provectæque ætátis erat, & dixit Dóminus ad eum: Senuísti, & longævus es, terraque latíssima derelícta est, quæ necdum sorte divísa est. Et nunc divide terram in possessiónem novem tribubus, & dimídiæ tribui Manasse, cum qua Ruben & Gad possedérunt terram quam trádidit eis Móyses fámulus Dómini, trans fluenta Jordánis, ad Orientálem plagam. Hanc possessiónem divísit Móyses in campéstribus Moab trans Jordánem contra Jéricho, ad Orientálem plagam. Tribui autem Levi non dedit possessiónem: quóniam Dóminus Deus Israël, ipse est possé ssio ejus, ut locútus est illi.

℟. Pars Dómini pópulus ejus; sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, & super eos vólitans, * Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portávit in húmeris suis, allelúia. *Deut.* 35. 9. 11. ℣. Dedit semetipsum ut mundáret sibi pópulum acceptábilem. *Tit.* 2. 14. * Expandit.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

LECTIO III. *Cap.* 3. *v.* 8.

Virtus resurrectionis Christi.

EXistimo ómnia detrimentum esse, propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, & invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscendum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illius; configuratus morti ejus: Si quo modo occurram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quòd jam accéperim,

cœperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non árbitror comprehendisse: unum autem, quæ quidem retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra, extendens meipsū, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

℟. Salvasti nos, Dñe, de affligéntibus nos: * In Deo laudábimur totâ die, † Et in nómine tuo confitébimur in séculum, allelúia. *Ps.* 43. 8. 9. ℣. Renáti non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi. 1. *Petr.* 1. 23. * In Deo. ℣. Glória. † Et in.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

An. 1536. *part.* 2. *cap.* 4.

CLérici in lege Dómini meditentur die ac nocte; ut judícia Dómini .... totis præcórdiis amplectantur, exquírant, scrutenturque.

FERIA QUARTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 14. *v.* 1.

Habitatio tribûs Levi.

HOc est quod possedérunt filii Israël in terra Chanaan, quam dedérunt eis Eléazar sacerdos & Jósue filius Nun, & príncipes familiárum per tribus Israël: sorte ómnia dividentes, sicut præcéperat Dóminus in manu Móysi, novem tríbubus, & dimídiæ tríbui. Duábus enim tribubus, & dimídiæ déderat Móyses trans Jordánem possessiónem: absque Levítis, qui nihil terræ accepérunt inter fratres suos; sed in eórum successérunt locum filii Joseph in duas divísi tribus, Manasse & Ephraïm: nec accepérunt Levítæ áliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, & suburbána eárum ad alenda jumenta & pécora sua. Sicut præcéperat Dóminus Móysi, ita fecérunt filii Israël, & divisérunt terram.

℟. Quis símilis tuî, *pag.* 402.

LECTIO II. *Cap.* 21. 39.

Divisâ terrâ Chanaan, pax datur Israëlitis.

ITaque civitátes universæ Levitárum in médio possessiónis filiórum Israël fuérunt quadraginta octo cum suburbánis suis, síngulæ per famílias distribútæ. Deditque Dóminus Deus Israéli omnem terram, quam traditúrum se pátribus eórum juráverat: & possedérunt il-

lam, atque habitavérunt in ea. Dataque est ab eo pax in omnes per circúitum natiónes: nullusque eis hóstium resístere ausus est, sed cuncti in eórum ditiónem redacti sunt. Ne unum quidem verbum quod illis præstitúrum se esse promíserat, írritum fuit; sed rebus expléta sunt ómnia.

℟. Magnificávit Dóminus. pag. 403.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

Lectio III. *Cap.* 3. *v.* 1.

Fructus resurrectionis Christi.

SI consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cùm Christus apparúerit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicatiónem, immundítiam, libídinē, concupiscéntiā malam, & avarítiam, quæ est simulachrórum sérvitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitátis; in quibus & vos ambulastis aliquando, cùm viverétis in illis.

℟. Qui diléxit nos. pag. 403.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

NE Clérici apud se libros hábeant, aut legant, quorum lectióne bene agendi stúdium, morum disciplína, & timor, charitasque Dei languéscere possit: quales libri sunt qui res vel inánes, vel jocósas, vel scurríles, ridiculasve vel impúras cóntinent. Rerum novárum curiositátes fúgiant; tum ne quæ ridícula sunt, unde cachinni risusque solutióres existunt, loquantur.

FERIA QUINTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

Lectio I. *Cap.* 20. *v.* 1.

Urbes refugii.

LOcútus est Dóminus ad Jósue, dicens: Lóquere filiis Israël, & dic eis: Separáte urbes fugitivórum, de quibus locútus sum ad vos per manum Móysi: ut confúgiat ad eas quicumque ánimam percússerit néscius; & possit evádere iram próximi, qui ultor est sánguinis. Cùm ad unam harum confúgerit

civitátum, stabit ante portam civitátis, & loquétur senióribus urbis illíus ea quæ se comprobent innocentem: sicque suscípient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. Cumque ultor sánguinis eum fuerit persecútus, non tradent in manus ejus: quia ignórans percussit próximum ejus, nec ante bíduum, triduúmve, ejus probátur inimícus. Et habitábit in civitáte illa, donec stet ante judícium causam reddens facti sui, & moriátur sacerdos magnus, qui fúerit in illo témpore: tunc revertétur homicída, & ingrediétur civitátem & domum suam de qua fúgerat.

℟. Jesum à Nazareth, pag. 405.

LECTIO II. *Cap. 22. v. 1.*

Ruben, Gad, & media tribus Manasse revertuntur ad sua.

EOdem témpore vocávit Jósue Rubenítas, & Gadítas, & dimídiam tribum Manasse. Dixitque ad eos: Fecistis ómnia quæ præcépit vobis Móyses fámulus Dómini: mihi quoque in ómnibus obedistis, nec reliquistis fratres vestros longo témpore, usque in præsentem diem, custodientes impérium Dómini Dei vestri. Quia ígitur dedit Dóminus Deus vester frátribus vestris quiétem & pacem, sicut pollícitus est: revertímini, & ite in tabernácula vestra, & in terram possessiónis, quam trádidit vobis Móyses fámulus Dómini trans Jordánem: ita dumtaxat, ut custodiátis attentè, & ópere compleátis mandátum, & legem quam præcépit vobis Móyses fámulus Dómini, ut diligátis Dóminum Deum vestrum, & ambulétis in ómnibus viis ejus, & observétis mandáta illíus, adhæreatísque ei, ac serviátis in omni corde, & in omni ánima vestra. Benedixítque eis Jósue, & dimísit eos. Qui reversi sunt in tabernácula sua. Dimídiæ autem tribui Manasse possessiónem Móyses déderat in Basan; & idcircò médiæ quæ supérfuit, dedit Jósue sortem inter cæteros fratres suos trans Jordánem ad Occidentálem plagam. Cumque dimítteret eos in tabernácula sua, & benedixisset eis, dixit ad eos: In multa substántia atque divítiis revertímini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veste multíplici: divídite prædam hóstium cum frátribus vestris.

℟. Crédimus sciéntes, *pag.* 406.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

LECTIO III. *Cap.* 1. *v.* 3.

Per resurrectionem Christi regenerati sumus.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarcescíbilem, conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jesu Christi: quem cùm non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non videntes créditis; credentes autem exultábitis lætitiâ inenarrábili & glorificáta: reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum.

℟. Díligam te, Dómine, *pag.* 406.

CANON.

Ex Concílio Turonensi tértio.

An. 813. *Can.* 7.

AB ómnibus, quæcumque ad aurium & ad oculórum pértinent illécebras, unde vigor ánimi emollíri posse credátur, Dei sacerdótes abstinére debent; quia per áurium oculorumque illécebras vitiórum turba ad ánimam ingredi solet.

FERIA SEXTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

LECTIO I. *Cap.* 22. *v.* 9.

Legatio aliarum tribuum ad Ruben, Gad, & mediam Manasse extruentes altare.

REversi sunt & abiérunt filii Ruben, & filii Gad, & dimídia tribus Manasse à filiis Israël de Silo, quæ sita est in Chánaan, ut intrárent Gálaad terram possessiónis suæ, quam obtinúerant juxta impérium Dómini in manu Móysi. Cumque veníssent ad túmulos Jordánis in terram Chánaan, ædificavérunt juxta Jordánem altáre infinítæ magnitúdinis. Quod cùm audíssent filii Israël, misérunt ad illos in terram Gálaad Phínees &

decem príncipes cum eo, síngulos de síngulis tríbubus. Qui venérunt ad filios Ruben, & Gad, & dimídiæ tribûs Manasse, in terram Gálaad; dixeruntque ad eos : Vos hódie reliquistis Dóminum; & cras in universum Israël ira ejus desæviet. Quòd si putátis immundam esse terram possessiónis vestræ, transíte ad terram in qua Tabernáculum Dómini est, & habitáte inter nos : tantùm ut à Dómino, & à nostro consórtio non recedátis, ædificáto altári præter altáre Dómini Dei nostri. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Beáta gens, *pag.* 408.

LECTIO II. *v.* 21.

Responsio ad Legatos.

RÉsponderuntque filii Ruben, & Gad, & dimídia tribus Manasse, princípibus legatiónis Israël : Fortíssimus Deus Dóminus, fortíssimus Deus Dóminus, ipse novit, & Israël simul intélliget : si prævaricatiónis ánimo hoc altáre constrúximus, non custódiat nos, sed púniat nos in præsenti : & si eâ mente fécimus, ut holocausta, & sacrifícium & pacíficas víctimas super eo imponerémus, ipse quærat & júdicet : & non eâ magis cogitatióne atque tractátu, ut dicerémus : Cras dicent filii vestri filiis nostris : Quid vobis & Dómino Deo Israël ? términum pósuit Dóminus inter nos & vos, ô filii Ruben & filii Gad, Jordánem flúvium; & idcircò partem non habétis in Dómino. Et per hanc occasiónem avertent filii vestri filios nostros à timóre Dómini. Putávimus ítaque méliùs. Quòd si volúerint dícere, respondébunt eis : Ecce altáre Dómini, quod fecérunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrifícium, sed in testimónium nostrum ac vestrum. Quibus audítis, Phínees sacerdos, & príncipes legatiónis Israël, qui erant cum eo, placáti sunt : & verba filiórum Ruben, & Gad, & dimídiæ tribûs Manasse libentíssimè suscepérunt. Dixitque Phínees filius Eleázari sacerdos ad eos : Nunc scimus quòd nobíscum sit Dóminus; quóniam alièni estis à prævaricatióne hac, & liberastis filios Israel de manu Dómini. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Pars Dómini, *pag.* 408.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio III. Cap. 1. v. 18.

Redempti sumus sanguine Christi suscitati.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatióne patérnæ traditiónis: sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi, & incontamináti: præcógniti quidem ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Animas vestras castificantes in obediéntia charitátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite atténtiùs: renáti non ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili, per verbum Dei vivi, & permanentis in ætérnum.

℟. Salvasti nos. *pag.* 409.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *Tit. Monit.*

PRædiórum Ecclesiasticórum, quæ non avarítiæ præda, sed instrumenta charitáti relícta sunt, réditu & frúctibus non abutámini: humilitáti studéte; charitátis ópera præstáte; induímini Dóminum Jesum Christum, sanctorúmque ejus facta imitémini, ut & horum imitatióne, & illíus imprímis divínis præceptis institutísque confortáti, in vocatióne quâ vocáti estis, dignè Deo ambulétis.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Jósue.

Lectio I. Cap. 24. v. 1.

Josue hortatur Israëlitas ut Domino serviant.

COngregavitque Jósue omnes tribus Israël in Sichem, & vocávit majóres natu, ac príncipes, & júdices, & magistros; steterúntque in conspectu Dómini: & ad pópulum sic locútus est: Hæc dicit Dóminus Deus Israël: Dedi vobis terram in qua non laborastis, & urbes quas non ædificastis, ut habitarétis in eis: víneas & olivéta quæ non plantastis. Nunc ergo timéte Dóminum, & servíte ei perfecto corde atque veríssimo: & auferte deos quibus serviérunt patres vestri in Mesopotámia & in Ægypto; & servíte

Dómino. Sin autem malum vobis vidétur ut Dómino serviátis, óptio vobis datur: elígite hódiè quod placet, cui servíre potíssimum debeátis, utrùm diis quibus serviérunt patres vestri in Mesopotámia, an diis Amorrhæórum, in quorum terra habitátis: ego autem & domus mea serviémus Dómino. Dixítque pópulus ad Jósue: Dómino Deo nostro serviémus, & obedientes érimus præceptis ejus.

LECTIO II. *v. 29.*

Mors Josue. Sepultura ossium Joseph. Mors Eleazari.

POst hæc mórtuus est Jósue filius Nun servus Dómini, centum & decem annórum: sepelieruntque eum in finibus possessiónis suæ in Thamnáthsare, quæ est sita in monte Ephraïm à septentrionáli parte montis Gaas. Servivítque Israël Dómino cunctis diébus Jósue, & seniórum qui longo vixérunt témpore post Jósue, & qui novérunt ómnia ópera Dómini quæ fécerat in Israël. Ossa quoque Joseph quæ túlerant filii Israël de Ægypto, sepeliérunt in Sichem, in parte agri quem émerat Jacob à fíliis Hemor patris Sichem centum novellis óvibus, & fuit in possessiónem filiórum Joseph. Eleázar quoque filius Aaron mórtuus est: & sepeliérunt eum in Gábaath Phínees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraïm.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

LECTIO III. *Cap. 3. v. 21.*

Baptismatis effectus fit per Christi resurrectionem.

SAlvos facit baptísma: non carnis depositio sórdium, sed consciéntiæ bonæ interrogátio in Deum, per resurrectiónem Jesu Christi, qui est in déxtera Dei, deglútiens mortem ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestátibus, & virtútibus. Christo ígitur passo in carne, & vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit à peccátis; ut jam non desidériis hóminum, sed voluntáti Dei, quod réliquum est in carne vivat témporis. Súfficit enim prætéritum tempus ad voluntátem Géntium consummandam, his qui ambulavérunt in luxúriis, desidériis, vinoléntiis, comessatiónibus, potatiónibus, & illícitis idolórum cúltibus. In quo ad-

mirantur non concurréntibus vobis in eamdem luxúriæ confusiónem, blasphemantes. Qui reddent ratiónem ei qui parátus est judicáre vivos & mórtuos.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio.

An. 1573. *Tit.* 10.

UT in disciplína morum Clerus se studiósiùs contíneat, in diesque magis ac magis ad Clericáles virtútes progrediátur: (Epíscopus) síngulos ad se aliquando cónvocet; illorumque uniuscujusque vitæ ratiónes, Christianárum virtútum exercitatiónes & progressus cognoscat.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Sabbato ante Dominicam in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitul. Act. 17. *v.* 2. 3.

SEcundùm consuetúdinem Paulus introívit ad Judæos, & per Sábbata tria disserébat eis de Scriptúris, adapériens, & insinuans quia Christum opórtuit pati & resúrgere à mórtuis.

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Magna & mirabília sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum; allelúia? *Apoc.* 15. *v.* 3. 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA TERTIA post Pascha.

AD OFFICIUM NOCT.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 6.

De Judicibus Israël post Josue.

DImísit Jósue pópulum, & abiérunt filii Israël unusquisque in possessiónem suam, ut obtinérent eam: servieruntque Dómino cunctis diébus ejus, & seniórum qui longo post eum vixérunt témpore, & nóverant ómnia ópera Dómini, quæ fécerat cum Israël. Feceruntque filii Israël malum in conspectu Dómini, & serviérunt Báalim. Cumque Dóminus Júdices suscitáret, in diébus eórũ flectebátur misericórdiâ, & audiébat afflictórum gémitus, & liberábat eos de cæde vastántiũ. Postquàm autem mórtuus esset Judex, revertebantur, & multò faciébant péjora, quàm fécerant patres eórum, sequentes deos aliénos, servientes eis, & adorantes illos.

℟. Salvávit eos déxte-

ra tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * Tu ipse es Rex meus & Deus meus, qui mandas salútes Jacob, allelúia. *Psal.* 43. *v.* 4. 5. ℣. Dóminus meus, & Deus meus. *Joan.* 20. 28. * Tu ipse.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO II. *Cap.* 46. *v.* 9.

Laus Judicum post Josue.

IN diébus Moysi misericórdiam fecit Jósue, & Caleb filius Jéphone; stare contra hostem, & prohibére gentem à peccátis, & perfríngere murmur malitiæ. Et ipsi duo constitúti, à perículo liberáti sunt à número sexcentórum míllium péditum, indúcere illos in hæreditátem, in terram quæ manat lac & mel: & dedit Dóminus ipsi Caleb fortitúdinem, & usque in senectútem permansit illi virtus, ut ascénderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtínuit hæreditátem, ut vidérent omnes filii Israël quia bonum est óbsequi sancto Deo. Et Júdices sínguli suo nómine, quorùm non est corruptum cor : qui non aversi sunt à Dómino, ut sit memória illórum in benedictióne, & ossa eórum púllulent de loco suo; & nomen eórum permáneat in æternum, pérmanens ad filios illórum, sanctórum virórum glória.

℟. Deus Rex noster ante sécula, * Operátus est salútem in médio terræ, allelúia. *Psal.* 73. 12. ℣. Factus est in caput ánguli, & non est in álio áliquo salus. *Act.* 4. 12. * Operátus est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 16. 16.

Promissio gaudii inamissibilis.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Módicum, & jam non vidébitis me ; & íterùm módicum, & vidébitis me: quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 101. *in Joan.*

MOdicum est hoc totum spátium quo præsens pérvolat séculum. Ideò namque áddidit : Quia vado ad Patrem ; quod ad priórem senténtiam referendum est, ubi ait : Módicum, & jam non vidébitis me : non ad posteriórem, ubi ait : Et íterùm módicum, & vidébitis me. Eundo quippe ad Patrem, factúrus erat, ut eum non vidérent. Ac per hoc non ídeò dictum est, quia fúerat

moritúrus; & donec resúrgeret, ab eórum aspéctibus recessúrus, sed quòd esset itúrus ad Patrem. Illis ergo ait: Módicum, & jam non vidébitis me; qui eum corporáliter tunc vidébant, quia itúrus erat ad Patrem, & cum deinceps mortálem visúri non erant, qualem, cùm ista loquerétur, vidébant. Quod verò áddidit: Et iterùm módicum, & vidébitis me; universæ promisit Ecclésiæ, sicut universæ promisit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummatiónem séculi. Non tardat Dóminus promissum: Módicum, & vidébimus eum, ubi jam nihil rogémus, nihil interrogémus; quia nihil desiderandum remanébit, nihil quærendum latébit. Hoc módicum longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur; cùm finitum fúerit, tunc sentiémus quàm módicum fúerit.

℟. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem: * Iste Deus meus, & glorificábo eum; Deus patris mei, † Et exaltábo eum, allelúia. *Exod.* 15. *v.* 6. 7. ℣. Nunc Christus resurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium. 1. *Cor.* 15. 20. * Iste. ℣. Glória. † Et exaltábo.

AD LAUDES.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. 1. Petr. 2. 11.

CHaríssimi, óbsecro vos tamquam ádvenas & peregrinos, abstinére vos à carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsùs ánimam.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Múlier, cùm parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium, allelúia. *Joan.* 16. 21.

Orémus *Oratio.*

DEus, qui errántibus, ut in viam possint redire justítiæ, veritátis tuæ lumen ostendis: da cunctis, qui Christiánâ professióne censentur, & illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini; & ea quæ sunt apta, sectári: Per Dóminum.

AD HORAS omnia ut in Dominica in Albis, exceptâ Oratione.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

An. 633. *Cap.* 25.

IGnorántia mater cunctórum errórum, máximè in Sacerdótibus Dei

Vitanda est, qui docendi officium in pópulis suscepérunt. Sacerdótes enim légere sanctas scriptúras admonentur, Paulo Apóstolo dicente ad Timótheum: Intende lectióni, exhortatióni, doctrínæ; semper pérmane in his.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. 1. Petr. 2. 18.

SErvi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantùm bonis & modestis, sed étiam dyscolis. Hæc est enim grátia in Christo Jesu Dómino nostro.

Ad Magnífic. *Ant.* 8. *G.* Gaudébit cor vestrum, & gáudium vestrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan.* 16. 22.

Orat. ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 3. 5.
Othoniel secundus Judex.

FIlii Israël habitavérunt in médio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi: & duxérunt uxóres filias eórum, ipsíque filias suas filiis eórum tradidérunt, & serviérunt diis eórum. Feceruntque malum in conspectu Dómini, & oblíti sunt Dei sui, servientes Báalim & Astaroth. Iratusque contra Israël Dóminus, trádidit eos in manu Chusan Rasáthaïm regis Mesopotámiæ, servieruntque ei octo annis. Et clamavérunt ad Dóminum: qui suscitávit eis salvatórem, & liberávit eos, Othóniel vidélicet filium Cenez, fratrem Caleb minórem: fuitque in eo Spíritus Dómini, & judicávit Israël. Egressusque est ad pugnam, & trádidit Dóminus in manus ejus Chusan Rasáthaïm regem Syriæ, & oppressit eum. Quievitque terra quadraginta annis, & mórtuus est Othóniel filius Cenez.

℟. Grátias Deo Patri, * Qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ, allelúia. *Col.* 1. *v.* 12. 13. ℣. Benedictus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília solus. *Psal.* 71. 18. * Qui erípuit.

LECTIO II. *v.* 12.
Eglon rex Moab: Aod tertius Judex; Samgar quartus.

ADdidérunt autem filii Israël fácere malum

in conspectu Dómini: qui confortávit adversùm eos Eglon regem Moab; quia fecérunt malum in conspectu ejus. Et copulávit ei filios Ammon & Amalec: abiitque & percussit Israël, atque possédit urbem palmárum. Servieruntque filii Israël Eglon regi Moab decem & octo annis: & pósteà clamavérunt ad Dóminum: qui suscitávit eis salvatórem vocábulo Aod, filium Gera, filii Jémini, qui utrâque manu pro déxterâ utebátur. Miseruntque filii Israël per illum múnera Eglon regi Moab. Qui fecit sibi gládium ancípitem, habentem in médio cápulum longitúdinis palmæ manûs, & accinctus est eo subtèr sagum in dextro fémore. Obtulitque múnera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumque obtulisset ei múnera, prosecútus est sócios, qui cum eo vénerant. Et reversus de Gálgalis, ubi erant idóla, dixit ad regem: Verbum secrétum hábeo ad te, ô rex. Et ille imperávit siléntium: egressísque ómnibus qui circa eum erant, ingressus est Aod ad eum; sedébat autem in æstívo cœnáculo solus; dixitque: Verbum Dei hábeo ad te. Qui statim surrexit de throno: extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de déxtero fémore suo, infixitque eam in ventre ejus tam válidè, ut cápulus sequerétur ferrum in vúlnere, ac pinguíssimo ádipe stringerétur. Nec eduxit gládium; sed ita ut percússerat, relíquit in córpore: statimque per secréta natúræ alvi stércora prorupérunt. Aod autem clausis diligentíssimè óstiis cœnáculi, & obfirmátis serâ, per pósticum egressus est. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vómere: & ipse quoque defendit Israël.

℞. Deus, qui dives est in misericórdia, * Cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, & conresuscitávit, allelúia. *Eph.* 2. *v.* 4. 5. 6.
℣. Quia benignus & miséricors est, pátiens, & multæ misericórdiæ. *Joel.* 2. 13. * Cùm essémus.

Incipit Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

Lectio III. *Cap.* 1. *v.* 1.

Christus mortuorum primogenitus.

Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, palàm fácere servis suis quæ opórtet fieri ci-

tò ; & significávit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimónium perhibuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beátus qui légit & audit verba prophetiæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est. Joannes septem Ecclésiis quæ sunt in Asia. Grátia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui ventúrus est; & à septem spirítibus qui in conspectu throni ejus sunt; & à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & princeps regum terræ: qui diléxit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo, & fecit nos regnum & sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória & impérium in sécula seculórum: Amen.

℟. Christus mórtuus est, & resurrexit: * Ut & mortuórum & vivórum dominétur, allelúia. *Rom.* 14. 9. ℣. Mirificávit Dóminus sanctum suum. *Psalm.* 4. 3. * Ut. ℣. Glória. * Ut & mortuórum.

CANON.

Ex Cōcílio Aquisgranensi. *An* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 20.

TAm doctrínâ quam vitâ clarére debet Ecclesiásticus Doctor: nam doctrína sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrína inútilem facit.

FERIA TERTIA.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 4. *v.* 1.
Debbora.

ADdidérunt filii Israël fácere malum in conspectu Dómini post mortem Aod: & trádidit illos Dóminus in manus Jabin regis Chánaan, qui regnávit in Asor, habuítque ducem exércitûs sui nómine Sísaram; ipse autem habitábat in Hároseth géntium. Erat autem Débbora prophétis uxor Lápidoth, quæ judicábat pópulum in illo témpore. Quæ misit, & vocávit Barac filium Abínoëm de Cedes Néphthali: dixítque ad eum: Præcépit tibi Dóminus Deus Israël; vade, & duc exércitum in montem Thabor, tollesque tecum decem míllia pugnatórum de filiis Néphthali & de filiis Zábulon. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolúeris veníre mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum; sed in hac vice victória non reputábitur tibi, quia in manu mulíeris tradétur Si-

ſara. Surrexit itaque Débbora, & perrexit cum Barac in Cedes. Nuntiatumque eſt Síſaræ, quòd aſcendiſſet Barac fílium Abínoëm in montem Thabor; & congregávit nongentos falcátos currus, & omnem exércitum de Hároſeth géntium ad torréntem Ciſon. Dixítque Débbora ad Barac: Surge; hæc eſt enim dies in qua trádidit Dóminus Síſaram in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus.

℟. Sive vívimus, Dómino vívimus: ſive mórimur, Dómino mórimur: * Sive vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus; allelúia. *Rom.* 14. 8. ℣. Dicant qui redempti ſunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci. *Pſal.* 106. 2. * Sive vívimus.

LECTIO II. *Cap.* 4. 14. & 5. 32.

Mors Siſaræ.

DEſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem míllia pugnatórum cum eo. Perterrúitque Dóminus Síſaram, & omnes currus ejus, univerſamque multitúdinem in ore gládii ad conſpectum Barac: in tantùm, ut Síſara de curru deſíliens, pédibus fúgeret. Síſara autem fúgiens pervénit ad tentórium Jahel uxóris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Aſor, & domum Haber Cinæi. Egreſſa ígitur Jahel in occurſum Síſaræ, dixit ad eum: Intra ad me, Dómine mi: intra, ne tímeas. Qui ingreſſus tabernáculum ejus, & opertus ab ea pállio, dixit ad eam: Da mihi, óbſecro, páululum aquæ; quia sitio valdè. Quæ apéruit utrem lactis, & dedit ei bíbere, & opéruit illum. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernáculi, aſſúmens páriter & málleum: & ingreſſa abſcóndité & cum siléntio, póſuit ſupra tempus cápitis ejus clavum, percuſſumque málleo defixit in cérebrum uſque ad terram: qui ſopórem morti consócians defécit, & mórtuus eſt. Et ecce Barac ſequens Síſaram veniébat: egreſſaque Jahel in occurſum ejus, dixit ei: Veni, & oſtendam tibi virum quem quæris. Qui cùm intraſſet ad eam, vidit Síſaram jacentem mórtuum, & clavum infixum in témpore ejus. Humiliávit ergo Deus in die illo Jabin regem Chánaan coram filiis Iſraël. Quievítque terra per quadraginta annos.

℟. Quæ ad patres no-

stros repromissio facta est; * Hanc Deus adimplévit, resúscitans Jesum, allelúia. *Act.* 13. 32. 33. ℣. Dóminus Deus noster adimplévit misericórdiam suam quam promísit dómui Israël. *Judith.* 13. 18. * Hanc.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECT. III. *Cap.* 1. *v.* 7.

Mentio de die Dominica.

Ecce venit cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt; & plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego sum alpha & ómega, princípium & finis, dicit Dóminus Deus, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est, omnípotens. Ego Joannes frater vester, & párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Christo Jesu, fui in ínsula, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, & testimónium Jesu. Fui in spíritu in Domínica die, & audívi post me vocem magnam tamquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclésiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadélphiæ, & Laodicíæ.

℟. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te, allelúia. *Ps.* 117. *v.* 28. ℣. Occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5. *v.* 9. * Deus. ℣. Glória Patri. * Deus.

CANON.

Ex Concílio Bracarensi secundo.

An. 563. *Cap.* 20.

Plácuit ut ex Láico ad gradum Sacerdótii antè nemo véniat, nisi priùs, anno íntegro, in officio Lectoráti vel Subdiaconáti disciplínam Ecclesiásticam discat: & sic per síngulos gradus ad Sacerdótium véniat. Nam satis reprehensibile est, ut qui necdum dídicit, jam docére præsúmat.

FERIA QUARTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 6. *v.* 1.

Sacrificium Gedeonis.

Fecérunt autem filii Israël malum in conspectu Dómini: qui trádidit illos in manu Mádian septem annis. Et clamávit Israël ad Dóminum, póstulans auxílium contra Madianítas. Cumque Gédeon excúteret atque purgáret frumenta in torculári, ut fúgeret Mádian; appáruit ei Angelus Dómini, & ait: Dóminus

tecum, virórum fortíssime. Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Israël de manu Mádian: scito quòd míserim te. Et ille: Si invéni, inquit, grátiam coram te, da mihi signum quòd tu sis qui lóqueris ad me. Nec recédas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, & ófferens tibi. Qui respondit: Ego præstolábor adventum tuum. Ingressus est ítaque Gédeon, & coxit hædum, & de farínæ módio ázymos panes: carnesque ponens in canistro, & jus cárnium mittens in ollam, tulit ómnia sub quercu, & óbtulit ei. Cui dixit Angelus Dómini: Tolle carnes & ázymos panes, & pone supra petram illam, & jus désuper funde. Cumque fecisset ita, extendit Angelus Dómini summitátem virgæ quam tenébat in manu, & tétigit carnes & ázymos panes: ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit: Angelus autem Dómini evánuit ex óculis ejus.

℟. Salvávit eos. 416.

LECTIO II. *v.* 25.

Eversio altaris Baal.

NOcte illâ dixit Dóminus ad eum: Tolle taurum patris tui, & álterum taurum annórum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui; & nemus quod circa aram est, succide: & ædificábis altáre Dómino Deo tuo in summitáte petræ hujus, super quam antè sacrifícium posuisti; tollesque taurum secundum, & ófferes holocaustum super struem lignórum quæ de némore succíderis. Assumptis ergo Gédeon decem viris de servis suis, fecit sicut præcéperat ei Dóminus. Timens autem domum patris sui, & hómines illíus civitátis, per diem nóluit id fácere, sed ómnia nocte complévit. Cumque surrexissent viri óppidi ejus manè, vidérunt destructâ aram Baal, lucumque succísum, & taurum álterum impósitum super altáre quod tunc ædificátum erat. Dixeruntque ad ínvicem: Quis hoc fecit? Cumque perquírerent auctórem facti, dictum est: Gédeon fílius Joas fecit hæc ómnia. Et dixérunt ad Joas: Produc fílium tuum huc, ut moriátur: quia destruxit aram Baal, & succídit nemus. Quibus ille respondit: Numquid ultóres estis Baal, ut pugnétis pro eo? qui adversárius est ejus, moriátur

ántequam lux crástina véniat: si Deus est, víndicet hásse de eo qui suffódit aram ejus.

℟. Deus rex noster. 417.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECT. III. *Cap.* 1. *v.* 12.

Christus mortuus & vivens in secula.

CONversus sum, ut vidérem vocem quæ loquebátur mecum: & conversus vidi septem candelábra áurea; & in médio septem candelabrórum aureórum símilem fílio hóminis vestítum podére, & præcinctum ad mammillas zonâ áureâ: caput autem ejus & capilli erant cándidi tamquam lana alba, & tamquam nix; & óculi ejus tamquam flamma ignis: & pedes ejus símiles aurichalco, sicut in camíno ardenti; & vox illíus tamquam vox aquárum multárum: & habébat in déxtera sua stellas septem; & de ore ejus gládius utráque parte acútus exíbat: & fácies ejus sicut sol lucet in virtúte sua. Et cùm vidissem eum, cécidi ad pedes ejus tamquam mórtuus. Et pósuit déxteram suam super me, dicens: Noli timére: ego sum primus, & novíssimus; & vivus, & fui mórtuus; & ecce sum vivens in sécula seculórum; & hábeo claves mortis & inferni.

℟. Fortitúdo mea. *p.* 418.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 16.

SIcut iníqui & peccatóres ministérium Sacerdotále ássequi prohibentur, ita indocti & imperíti à tali offício retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonórum corrumpunt; isti suâ ignáviâ, iníquos corrígere nésciunt.

FERIA QUINTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Judícum.

LECTIO I. *Cap.* 6. *v.* 36.

Vellus Gedeonis.

DIxitque Gédeon ad Deum: Si salvum facis per manum meam Isráël, sicut locútus es, ponam hoc vellus lanæ in área; si ros in solo véllere fúerit, & in omni terra síccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locútus es, liberábis Isráël. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso véllere, concham rore implévit. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascátur furor tuus contra me, si adhuc semel ten-

távero, signum quærens in véllere: oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illâ ut postuláverat: & fuit siccitas in solo véllere, & ros in omni terra.

℟. Grátias Deo Patri. 419.

LECTIO II. *Cap.* 7. *v.* 1.
Milites Gedeonis.

IGitur Jeróbaal qui & Gédeon, de nocte consurgens, & omnis pópulus cum eo, venit ad fontem qui vocátur Harad: erant autem castra Mádian in valle ad Septentrionálem plagam collis excelsi. Dixitque Dóminus ad Gédeon: Multus tecum est pópulus, nec tradétur Mádian in manus ejus; ne gloriétur contra me Israël, & dicat: Meis víribus liberátus sum. Lóquere ad pópulum, & cunctis audiéntibus prædica: Qui formidolósus & tímidus est, revertátur. Recesseruntque de monte Gálaad, & reversi sunt de pópulo, viginti duo míllia virórum; & tantùm decem míllia remansérunt. Dixitque Dóminus ad Gédeon: Adhuc pópulus multus est; duc eos ad aquas; & ibi probábo illos: & de quo díxero tibi ut tecum vadat, ipse pergat; quem ire prohibúero, revertátur. Cumque descendísset pópulus ad aquas, dixit Dóminus ad Gédeon: Qui linguâ lambúerint aquas, sicut solent canes lámbere, separábis eos seorsùm: qui autem curvátis génibus bíberint, in áltera parte erunt. Fuit ítaque númerus eórum qui manu ad os projiciente lambúerant aquas, trecenti viri: omnis autem réliqua multitúdo flexo póplite bíberat. Et ait Dóminus ad Gédeon: In trecentis viris qui lambuérunt aquas, liberábo vos, & tradam in manu tua Mádian: omnis autem réliqua multitúdo revertátur in locum suum. Sumptis ítaque pro número cibáriis & tubis, omnem réliquam multitúdinem abíre præcépit ad tabernácula sua: & ipse cum trecentis viris se certámini dedit. Castra autem Mádian erant subter in valle.

℟. Deus qui dives est, *pag.* 420.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. *Cap.* 2. *v.* 23.
Vincenti promissum præmium.

VObis autem dico, & cæteris qui Thyatíræ estis: Quicumque

non habent doctrinam hanc, & qui non cognovérunt altitúdines sátanæ, quemádmodum dicunt, non mittam super vos áliud: pondus tamen id quod habétis, tenéte donec véniam. Et qui vícerit, & custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes; & reget eas in virga férrea, & tamquam vas fíguli confringentur, sicut & ego accépi à Patre meo: & dabo illi stellam matutínam.

℟. Christus mórtuus est, *pag.* 421.

CANON.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

An. 829. *lib.* 1. *Cap.* 12.

Consídera sacerdótum esse offícii, de lege interrogátos respondére. Si sacerdos est, sciat legem Dómini: si ignórat legem, ipse se árguit non esse Dómini sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem. Item in Malachía: Lex veritátis in ore ejus.

FERIA SEXTA.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

Lectio I. *Cap.* 7. *v* 16.

Madianitæ percussi: Oreb & Zeb occisi.

Divisítque Gédeon trecentos viros in tres partes & dedit tubas in mánibus eórum, lagenásque vácuas ac lámpades in médio lagenárum. Et dixit ad eos: Quod me fácere vidéritis, hoc fácite: ingrédiar partem castrórum, & quod fécero, sectámini: quando personúerit tuba in manu mea, vos quoque per castrórum circúitum clángite & conclamáte: Dómino & Gedeóni. Ingressúsque est Gédeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrórum, incipiéntibus vigíliis noctis médiæ, & custódibus suscitátis, cœpérunt búccinis clángere, & complódere inter se lagénas. Cumque per gyrum castrórum, in tribus personárent locis, & hydrias confregíssent, tenuérunt sinistris mánibus lámpades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gládius Dómini & Gedeónis; stantes sínguli in loco suo per circúitum castrórum hostílium. Omnia ítaque castra turbáta sunt; & vociferantes, ululantésque fugérunt: & nihilóminus insistébant trecenti viri búccinis personantes. Immisítque Dóminus gládium in ómnibus castris, & mútuâ se cæde truncábant, fugientes usque ad Beth-

setta, & crepídinem Abelméhula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israël de Néphthali, & Aser, & omni Manasse, persequebantur Mádian. Misitque Gédeon núntios in omnem montem Ephraïm, dicens: Descéndite in occursum Mádian, & occupáte aquas usque Béthbera atque Jordánem. Clamavitque omnis Ephraïm, & præoccupávit aquas atque Jordánem usque Béthbera. Apprehensosque duos viros Mádian, Oreb & Zeb, interfécit Oreb in petra Oreb, Zeb verò in torculári Zeb. Et persecúti sunt Mádian, cápita Oreb & Zeb portantes ad Gédeon trans fluenta Jordánis.

℟. Sive vívimus, *pag.* 422.

LECTIO II. *Cap.* 8. *v.* 1.

Zebee & Salmana capti.

DIxeruntque ad eum viri Ephraïm: Quid est hoc quod fácere voluisti, ut nos non vocáres, cùm ad pugnam pérgeres contra Mádian? jurgantes fórtiter, & propè vim inferentes. Quibus ille respondit: Quid enim tale fácere pótui, quale vos fecistis? Nonne mélior est racémus Ephraïm, vindémiis Abiézer? In manus vestras Dóminus trádidit príncipes Mádian, Oreb & Zeb: quid tale fácere pótui, quale vos fecistis? Quod cùm locútus fuisset, requiévit spíritus eórum, quo tumébant contra eum. Cumque venisset Gédeon ad Jordánem, transívit eum cum trecentis viris qui secum erant: & præ lassitúdine, fugientes pérsequi non póterant. Zébee autem & Sálmana requiescébant cum omni exércitu suo. Quíndecim enim míllia viri remánserant ex ómnibus turmis Orientálium populórum, cæsis centum viginti míllibus bellatórum educéntium gládium. Ascendensque Gédeon per viam eórum qui in tabernáculis morabantur ad Orientálem partem Nobe & Jégbaa, percussit castra hóstium, qui secúri erant, & nihil adversi suspicabantur. Fugeruntque Zébee & Sálmana, quos pérsequens Gédeon comprehendit, turbáto omni exércitu eórum. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Quæ ad patres, *pag.* 422.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. *Cap.* 5. *v.* 1.

Vicit Leo de tribu Juda.

VIdi in déxtera sedentis supra thronum,

librum scriptum intùs & foris, signátum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis est dignus aperíre librum, & sólvere signácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus inventus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere septem signácula ejus. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te, allelúia. *Ps.* 117. *v.* 28. ℣. Occísus es, & redemisti nos Deo in sánguine tuo. *Apoc.* 5. *v.* 9. * Deus. ℣. Glória Patri. * Deus.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi.

Anno 816. *Lib.* 1. *Cap.* 26.

SAcerdos debet majóris sciéntiæ habére grátiam, quâ possit sub se viventes instrúere. Hoc dicat quod ex divína lectióne didícerit, quod Deus illi inspiráverit; non quod præsumptióne humáni sensûs invénerit. Annuntiábis eis ex me, (inquit;) ex me, & non ex te: verba mea loquéris eis.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 9. 5.

Abimelech septimus Judex.

VEnit Abímelech in domum patris sui in Ephra, & occídit fratres suos filios Jeróbaal septuaginta viros, super lápidem unum: remansítque Jóatham fílius Jeróbaal mínimus, & abscónditus est. Congregáti sunt autem omnes viri Sichem, & universæ famíliæ urbis Mello: abierúntque & constituérunt regem Abímelech, juxta quercum quæ stabat in Sichem. Regnávit ítaque Abímelech super Israël tribus annis. Misítque Dóminus spíritum péssimum inter Abímelech & habitatóres Sichem; qui cœpérunt eum detestári. Porrò Abímelech oppugnábat urbem: quam cepit, interfectis habitatóribus ejus, ipsâque destructâ, ita ut sal in ea dispérgeret. Abímelech autem indè profíciscens venit ad

DOMINICA QUARTA post Pascha.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Judicum.

LECTIO I. *Cap.* 10. *v.* 6.

Pœnitens Israël, Deus miseretur.

Filii autem Israël peccátis vetéribus jungentes nova, fecérunt malum in conspectu Dómini, & serviérunt idólis Báalim & Astaroth, & diis Syriæ ac Sidónis, & Moab, & filiórum Ammon, & Philístiim: dimiserúntque Dóminum, & non coluérunt eum. Contra quos Dóminus irátus, trádidit eos in manus Philísthiim, & filiórum Ammon. Afflictíque sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitábant trans Jordánem in terra Amorrhæi, qui est in Gálaad; in tantum, ut filii Ammon, Jordáne transmisso, vastárent Judam & Bénjamin, & Ephraïm: afflictúsque est Israël nimis. Et clamantes ad Dóminum, dixérunt: Peccávimus tibi, quia derelíquimus Dóminum Deum nostrum, & servívimus Báalim. Quibus locutus est Dñs: Numquid non Ægyptii & Amorrhæi, filiique Ammon & Philisthiim, Sidónii quoque & Amalec, & Chánaan, oppressérunt vos, & clamastis ad me, & érui vos de manu eórum? Et tamen reliquistis me, & coluistis deos aliénos; idcircò non addam, ut ultrà vos líberem: ite, & invocáte deos quos elegistis; ipsi vos líberent in témpore angústiæ. Dixerúntque filii Israël ad Dóminum: Peccávimus; redde tu nobis quidquid tibi placet: tantùm nunc líbera nos. Quæ dicentes, ómnia de fínibus suis alienórum deórum idóla projecérunt, & serviérunt Dómino Deo: qui dóluit super misériis eórum.

℟. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * Quis símilis tuî? magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília, allelúia. *Exod.* 15. 11. ℣. Accepisti virtútem tuam magnã, & regnasti. *Apoc.* 11. 17. * Quis.

Sermo Samuélis Prophétæ ad pópulum Israël.

LECTIO II. *Lib. I. Reg.* C. 12. *v.* 6.

Arguitur ingratitudo Israël.

Ait Sámuël ad pópulum: Dóminus, qui fecit

fecit Móysen & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti. Nunc ergo state, ut judício contendam adversùm vos coram Dómino, de ómnibus misericórdiis Dómini, quas fecit vobiscum & cum pátribus vestris: quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, & clamavérunt patres vestri ad Dóminum; & misit Dóminus Móysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto; & collocávit eos in loco hoc. Qui oblíti sunt Dómini Dei sui, & trádidit eos in manu Sísaræ magistri milítiæ Hasor, & in manu Philisthinórum, & in manu regis Moab, & pugnavérunt adversùm eos. Póstea autem clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Peccávimus, quia derelíquimus Dóminum, & servívimus Báalim & Astaroth: nunc ergo érue nos de manu inimicórum nostrórum, & serviémus tibi. Et misit Dóminus Jeróbaal, & Badan, & Jephte, & Sámuël, & éruit vos de manu inimicórum vestrórum per circúitum, & habitastis confidenter.

℟. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum; * Facti sumus lætantes, allelúia, allelúia. *Ps.* 125. 3. ℣. Gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum. *Rom.* 5. 11. * Facti sumus.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio III. *Cap.* 16. 5.

Paracletus promissus.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis intérrogat me, Quò vadis? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 94. *n.* 4.

VIdébat útique Dóminus Jesus quid illa sua verba in córdibus discipulórum ágerent: spiritálem quippe nondum intériùs habentes consolatiónem, quam per Spíritum sanctum fúerant habitúri; id quod extériùs in Christo vidébant, amíttere metuébant. Et quia se amissúros esse illum vera denuntiantem dubitáre non póterant, contristabátur humánus affectus, quia carnális desolabátur aspectus. Nóverat autem ille quid eis pótiùs expedíret; quia visus intérior ipse est útique mélior, quo eos consolatúrus fúerat Spíritus sanctus; non cernéntium corpóribus ingestúrus corpus humánum, sed seipsũ credéntium pectóribus infu-

stirus. Adjungit, Sed ego veritátem dico vobis; expedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos; si autem abíero, mittam eum ad vos: tamquam díceret, Expedit vobis ut hæc formà servi auferátur à vobis: caro quidem factum Verbum hábito in vobis; sed nolo me carnáliter adhuc diligátis, & isto lácte contenti semper infantes esse cupiátis. Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos. Si alimenta ténera quibus vos álui, non subtráxero, sólidum cibum non esuriétis. Si carni carnáliter hæséritis, capáces Spíritûs non éritis.

℟. Qui dilexit nos & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo: * Ipsi glória, & impérium in sécula seculórum, allelúia, allelúia. *Apoc.* 1. *v.* 5. 6. ℣. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam. *Isa.* 53. 12. * Ipsi glória. ℣. Glória. * Ipsi glória.

AD LAUDES.

Capitulum. Jac. 1. v. 16. 17.

FRatres mei dilectíssimi, omne datum óptimum, & omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio.

Ad Benedict. *Ant.* 7. a. Cùm vénerit Paraclétus, árguet mundum de peccáto, & de justítia, & de judício, allelúia. *Joan.* 16. 8.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis: da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promittis; ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia; Per Dóminum.

AD HORAS, omnia ut in Dominica in Albis, exceptis Canone & Oratione.

CANON.

Ex Concílio Meldensi. *An.* 845. *Can.* 34.

IN exponendis vel prædicandis divínis Scriptúris, sanctórum Catholicórum & probatissimórum Patrum sensum quisque sequátur, in quorum scriptis, ut beátus dicit Hierónymus, fidei véritas non vacillet.

AD VESPERAS.

Capitul. Colos. 3. v. 3. 4.

MOrtui estis, & vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparúerit

vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Non loquétur à semetipso: sed quæcumque áudiet, loquétur; & quæ ventúra sunt, annuntiábit, allelúia. *Joan.* 16. 13.

Oratio, Deus qui, *ut suprà ad Laudes.*

FERIA SECUNDA.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 12. *v.* 1.
Vox Schibboleth.

ECce autem in Ephraïm orta est sedítio: nam transeuntes contra Aquilónem, dixérunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocáre nos noluisti, ut pergerémus tecum? ígitur incendémus domum tuam. Quibus ille respondit: Disceptátio erat mihi & pópulo meo contra filios Ammon véhemens: vocavíque vos, ut præberétis mihi auxílium, & fácere noluistis. Quod cernens, pósui ánimam meam in mánibus meis, transivíque ad filios Ammon, & trádidit eos Dóminus in manus meas. Quid comměrui, ut adversùm me consurgátis in prælium? Vocátis ítaque ad se cunctis viris Galaad, pugnábat contra Ephraïm: percusseruntque viri Gálaad Ephraïm, quia díxerat: Fugitívus est Gálaad de Ephraïm, & hábitat in médio Ephraïm & Manasse. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordánis, per quæ Ephraïm reversúrus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraïm número, fúgiens, atque dixisset: Obsecro ut me transíre permittátis: dicébant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? Quo dicente: Non sum: interrogábant eum: Dic ergo Schíbboleth, quod interpretátur Spica. Qui respondébat, Sibboleth: eádem litterâ spicam exprímere non valens. Statimque apprehensum jugulábant in ipso Jordánis tránsitu. Et cecidérunt in illo témpore de Ephraïm quadraginta duo míllia.

℟. Jesum à Názareth suscitávit Deus tértiâ die; * Constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum, allelúia, allelúia. *Act.* 10. *v.* 38. 40. 42. ℣. Antíquus diérum dedit ei potestátem & honórem. *Dan.* 7. 14. * Constitútus.

LECTIO II. *v.* 7.
Mors Jephte: tres ejus successores.

JUdicávit itaque Jephte Galaadítes Israël sex

annis: & mórtuus est, ac sepultus in civitáte sua Gálaad. Post hunc judicávit Israël Abesan de Béthlehem: qui hábuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, marítis dedit, & ejusdem número filiis suis accépit uxóres, introdúcens in domum suam. Qui septem annis judicávit Israël: mortuúsque est, ac sepultus in Béthlehem. Cui succéssit Ahialon Zabulonítes; & judicávit Israël decem annis: mortuúsque est, ac sepultus in Zabúlon. Post hunc judicávit Israël Abdon, filius Illel, Pharathonítes: qui hábuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepótes, ascendentes super septuaginta pullos asinárum, & judicávit Israël octo annis. Mortuúsque est, ac sepultus in Phárathon terræ Ephraïm, in monte Amalec. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. Crédimus sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, * Nos cum Jesu suscitábit, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 4. *v.* 13. 14.
℣. Vivificábit nos post duos dies; in die tértia suscitábit nos. *Osee* 6. 3.
* Nos cum Jesu suscitábit.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. *Cap.* 12. *v.* 9.

Christi victoria.

PRojectus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus & sátanas, qui sedúcit univérsum orbem: & projectus est in terram, & ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptéreà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum & refúgium meum, allelúia. *Psal.* 17. *v.* 2.
℣. Christus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. *Galat.* 3. *v.* 13.
* Dóminus. ℣. Glória Patri. * Dóminus firmaméntum.

C A N O N.

Ex Concílio Aquiſgranenſi ſecundo.

An. 836. Cap. 2. Can. 3.

MEdicínam ſpiritálem, conſiliúmque sálubre animárum, Paſtóres pópuli ſcire oportet utì médicos ſpirituáles; aſſerente ſancto Pontífice Gregório dicente: Quia ártium ars eſt régimen animárum.

FERIA TERTIA.

AD OFFICIUM NOCT.

Pſalmi de I. Nocturno.

De libro Júdicum.

Lectio I. *Cap. 13. v. 1.*

Apparitio Angeli ad Manue.

RUrſúmque filii Iſraël fecérunt malum in conſpectu Dómini, qui trádidit eos in manus Philiſthinórum quadraginta annis. Erat autem quidam vir de Sáraa, & de ſtirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem ſtérilem. Cui appáruit Angelus Dómini, & dixit ad eam: Stérilis es & abſque liberis; ſed concípies & páries filium. Cave ergo ne bibas vinum ac síceram, nec immundum quidquam cómedas; quia concípies, & páries filium, cujus non tanget caput novácula: erit enim Nazaræus Dei ab infántia ſua, & ex matris útero; & ipſe incípiet liberáre Iſraël de manu Philiſthinórum. Quæ cùm veniſſet ad marítum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angélicum, terríbilis nimis. Quem cùm interrogaſſem, quis eſſet, & unde veniſſet, & quo nómine vocarétur, nóluit mihi dícere. Et appáruit rurſùm Angelus Dei. Dixítque Mánue ad Angelum Dómini: Obſecro te ut acquieſcas précibus meis, & faciámus tibi hœdum de capris. Cui reſpóndit Angelus: Si me cogis, non cómedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum fácere, offer illud Dño. Et neſciébat Mánue quòd Angelus Dñi eſſet. Dixítque ad eum: Quod eſt tibi nomen, ut ſi ſermo tuus fúerit explétus, honorémus te? Cui ille reſpóndit: Cur quæris nomen meum quod eſt mirábile?

℟. Beáta gens cujus eſt Dóminus Deus ejus, * Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi, allelúia. *Pſ. 33. v. 12.* ℣. Aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei. 1. *Petr.* 2. 12. * Pópulus.

Lectio II. *v. 19.*

Sacrificium Manue: Nativitas Samſon.

TUlit ítaque Mánue hœdum de capris, & libamenta, & póſuit ſuper petram, ófferens Dó-

mino, qui facit mirabília: ipse autem & uxor ejus intuebantur. Cumque ascénderet flamma altáris in cœlum, Angelus Dómini páriter in flamma ascendit. Quod cùm vidisset Mánue, & uxor ejus, proni cecidérunt in terram, & ultrà eis non appáruit Angelus Dómini. Statimque intellexit Mánue Angelum Dómini esse, & dixit ad uxórem suam: Morte moriémur, quia vídimus Deum. Cui respondit múlier: Si Dóminus nos vellet occídere, de mánibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc ómnia, neque ea quæ sunt ventúra dixisset. Péperit ítaque filium, & vocávit nomen ejus Samson. Crevitque puer: & benedixit ei Dóminus. Cœpitque Spíritus Dómini esse cum eo in castris Dan inter Sáraa & Esthaol.

℞. Pars Dómini pópulus ejus: sicut áquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos vólitans; * Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portávit in húmeris suis, allelúia. *Deut.* 32. 9. 11. ℣. Dedit semetipsum ut mundáret sibi pópulum acceptábilem. *Tit.* 2. 14. * Expandit.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECT. III. *Cap.* 19. *v.* 4.

Nuptiæ Agni.

CEcidérunt senióres vigintiquátuor, & quátuor animália, & adoravérunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Allelúia. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timétis eum, pusilli & magni. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquárum multárum, & sicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se byssino splendenti & cándido. Byssinum enim justificatiónes sunt sanctórum. Et dixit mihi: Scribe: Beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt. Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt.

℞. Salvasti nos, Dómine, de affligéntibus nos; * In Deo laudábimur totâ die, † Et in nómine tuo confitébimur in séculum, allelúia. *Ps.* 43. *v.* 9. ℣. Renáti non

ex sémine corruptíbili, sed incorruptíbili per verbum Dei vivi. 1. *Petr.* 1. 23. * In Deo. ℣. Glória. † Et in.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *Part.* 3. *Tit.* 1.

NE omittant Sacerdótes sacræ Theológiæ sacrorumque Cánonum, aliarumque Ecclesiasticárum doctrinárum officio & múneri Sacerdotáli própriè congruéntium stúdiis, quotídiè statis horis, óperam dare.

FERIA QUARTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 14. 1. & 15. 5.

Samson uxorem ducit Philisthinam.

DEscendit Samson in Thámnatha: vidensque ibi mulíerem de filiábus Philísthiim, ascendit, & nuntiávit patri suo & matri suæ, dicens: Vidi mulíerem in Thámnatha de filiábus Philisthinórum: quam quæso ut mihi accipiátis uxórem. Descendit ítaque pater ejus ad mulíerem, & fecit filio suo Samson convívium. Sic enim júvenes fácere consuéverant. Cùm ergo cives loci illíus vidissent eum, dedérunt ei sodáles triginta ut essent cum eo. Uxor autem ejus accépit marítum unum de amícis ejus & prónubis. Perrexitque Samson, & cepit trecentas vulpes, caudasque eárum junxit ad caudas, & faces ligávit in médio: quas igne succendens, dimísit, ut huc illucque discúrrerent. Quæ statim perrexérunt in ségetes Philisthinórum. Quibus succensis, & comportátæ jam fruges, & adhuc stantes in stípula, concremátæ sunt, in tantùm, ut víneas quoque & olivéta flamma consúmeret. Dixeruntque Philísthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi; quia tulit uxórem ejus, & álteri trádidit, hæc operátus est. Ascenderuntque Philísthiim, & combussérunt tam mulíerem quàm patrem ejus. Quibus ait Samson: Licèt hæc fecéritis, tamen adhuc ex vobis éxpetam ultiónem, & tunc quiescam. Percussitque eos ingenti plagâ, ita ut stupentes suram fémorì impónerent. Et descendens habitávit in spelunca petræ Etam. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Quis símilis tuî. 432.

LECT. II. *Cap.* 15. *v.* 11.

Samson solvit vincula sua.

DEscendérunt tria míllia virórum de Juda ad specum sílicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quòd Philisthiim ímperent nobis? Ligaverúntque eum duóbus novis fúnibus, & tulérunt eum de petra Etam. Qui cùm venisset ad locum maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, írruit Spíritus Dómini in eum: & sicut solent ad odórem ignis lina consúmi, ita víncula quibus ligátus erat, dissipáta sunt & solúta. Judicavítque Israël in diébus Philisthiim viginti annis.

℟. Magnificávit Dóminus. 433.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. *Cap.* 19. *v.* 11.

Verbum Rex regum.

VIdi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedébat super eum, vocabátur Fidélis & verax, & cum justítia júdicat & pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in cápite ejus diadémata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersâ sánguine: & vocátur nomen ejus, Verbum Dei. Et exércitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Et de ore ejus procédit gládius ex utráque parte acútus, ut in ipso percútiat gentes. Et ipse reget eas in virga férrea: & ipse calcat torcúlar vini furóris iræ Dei omnipoténtis. Et habet in vestimento & in fémore suo scriptum: Rex regum & Dóminus dominántium.

℟. Qui diléxit nos. *pag.* 434.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi secundo.

An. 816. *lib.* 1. *Cap.* 96.

AMa sciéntiam Scripturárum, & carnis vítia non amábis: fácito áliquid óperis ut semper te diábolus invéniat occupátum. Memento quia Apóstoli.... laborábant mánibus suis.

FERIA QUINTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 16. 1.

Proditus Samson à Dalila.

ABiit Samson in Gazam, & vidit ibi mulíerem meretrícem: ingressúsque est ad eam. Quod cùm audissent Philisthiim, & percrebruisset

apud eos, intrasse urbem Samson, circumdedérunt eum, pósitis in porta civitátis custódibus : & ibi totâ nocte cum siléntio præstolantes, ut facto mane exeuntem occíderent. Dormívit autem Samson usque ad médium noctis : & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum póstibus suis & sera, impositásque húmeris suis portávit ad vérticem montis, qui réspicit Hebron. Post hæc amávit mulíerem quæ habitábat in valle Sorec, & vocabátur Dálila. Veneruntque ad eam príncipes Philisthinórum, atque dixérunt : Décipe eum, & disce ab illo, in quo hábeat tantam fortitúdinem, & quómodò eum superáre valeámus, & vinctum afflígere : quod si féceris, dábimus tibi sínguli mille & centum argénteos. Cumque molesta esset ei, & per multos dies júgiter adhæréret, spátium ad quiétem non tríbuens, defécit ánima ejus, & ad mortem usque lassáta est. Tunc apériens veritátem rei, dixit ad eam : Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecrátus Deo sum de útero matris meæ : si rasum fúerit caput meum, recédet à me fortitúdo mea, & deficiam, eróque sicut céteri hómines. Vidénsque illa quòd confessus ei esset omnem ánimum suum, misit ad príncipes Philisthinórum, ac mandávit : Ascéndite adhuc semel, quia nunc mihi apéruit cor suum. Qui ascendérunt, assumptâ pecúniâ quam promíserant. At illa dormíre eum fecit super génua sua, & in sinu suo reclináre caput. Vocavitque tonsórem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abígere eum, & à se repéllere : statim enim ab eo fortitúdo discessit. Quem cùm apprehendissent Philísthiim, statim eruérunt óculos ejus, & duxérunt Gazam vinctum caténis, & clausum in cárcere mólere fecérunt.

℟. Jesum à Názareth. *pag.* 435.

LECTIO II. *v.* 22.

Mors Samson.

JAm capilli ejus renasci cœperant, & príncipes Philisthinórum convenérunt in unum ut immolárent hóstias magníficas Dagon deo suo, & epularentur, dicentes : Trádidit deus noster inimícum nostrum Samson in manus nostras. Quod étiam pópulus videns, laudábat

deum suum, eadémque dicébat: Trádidit deus noster adversárium nostrum in manus nostras, qui delévit terram nostram, & occídit plúrimos. Lætantésque per convívia, sumptis jam épulis, præcepérunt ut vocarétur Samson, & ante eos lúderet. Qui adductus de cárcere ludébat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit púero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis ímminet domus, & reclíner super eas, & páululum requiéscam. Domus autem erat plena virórum ac mulíerum, & erant ibi omnes príncipes Philisthinórum, ac de tecto & solário círciter tria míllia utriusque sexûs spectántes ludentem Samson. At ille invocáto Dómino ait: Dñe Deus, meménto meî, & redde mihi nunc fortitúdinem prístinam, Deus meus, ut ulcíscar me de hóstibus meis, & pro amissióne duórum lúminum unam ultiónem recípiam. Et apprehendens ambas columnas quibus innitebátur domus, alterámque eárum déxterâ, & álteram lævâ tenens, ait: Moriátur ánima mea cum Philísthiim. Concussísque fórtiter columnis, cécidit domus super omnes príncipes, & cæteram multitúdinem quæ ibi erat: multóque plures interfécit móriens, quàm antè vivus occíderat. Descendentes autem fratres ejus, & univérsa cognátio, tulérunt corpus ejus & sepeliérunt inter Sáraa & Esthaol in sepulcro patris sui Mánue. Judicavítque Israël vigínti annis.

℟. Crédimus sciéntes. pag. 436.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. Cap. 21. v. 9.

Nova civitas Jerusalem.

VEnit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, & locútus est mecum, dicens: Veni, & osténdam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritátem Dei; & lumen ejus símile lápidi pretióso tamquam lápidi jáspidis, sicut crystallum. Et habébat murum magnum & altum, habentem portas duódecim: & in portis Angelos duódecim, & nómina inscripta, quæ

sunt nómina duódecim tribuum filiórum Israël. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilóne portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occásu portæ tres. Et murus civitátis habens fundamenta duódecim; & in ipsis duódecim nómina duódecim Apostolórum Agni.

℟. Díligam te, Dómine. *pag.* 436.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi secundo.

An. 816. *lib.* 1. *Cap.* 123.

NOn ótio vacent Clérici, non vanilóquiis inférviant: .. sed pótiùs aut oratióni, aut lectióni, aut quibúslibet Ecclésiæ, aut certè própriis utilitátibus vacent; aut étiam doctrínis sanis, & diversárum ártium erudiantur disciplínis.

FERIA SEXTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

De libro Júdicum.

LECTIO I. *Cap.* 19. 17.

Uxor Levitæ injuriosè tractata.

ELevátis óculis vidit senex sedentem hóminem cum sarcínulis suis in platéa civitátis Gábaa. Introduxitque eum in domum suam, & pábulum ásinis præbuit; ac postquàm lavérunt pedes suos, recépit eos in convívium. Illis epulántibus, & post labórem itíneris, cibo & potu reficiéntibus córpora, venérunt viri civitátis illíus, filii Bélial, (id est, absque jugo) & circumdantes domũ senis, fores pulsáre cœpérunt, clamantes ad dóminũ domûs, atque dicentes: Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutámur eo. Egressúsque est ad eos senex, & ait: Nolíte, fratres, nolíte fácere malum hoc. Nolébant acquiéscere sermónibus illíus. Quod cernens homo, eduxit ad eos concubínam suam; quâ cùm totâ nocte abúsi essent, dimisérunt eam manè. At múlier, recedéntibus ténebris, venit ad óstium domûs, ubi manébat dóminus suus, & ibi córruit. Mane facto surrexit homo, & apéruit óstium, ut cœptam expléret viam: & ecce concubína ejus jacébat ante óstium, sparsis in límine mánibus. Cui ille, putans eam quiéscere, loquebátur: Surge, & ambulémus. Quâ nihil respondente, intélligens quòd erat mórtua, tulit eam, & impósuit ásino, reversúsque est in domum suam. Quam cùm esset ingressus, arrípuit gládium, & cadáver uxóris cum óssibus

ſuis in duódecim partes ac fruſta concídens, miſit in omnes términos Iſraël. Quod cùm vidiſſent ſinguli, conclamábant: Numquàm res talis facta eſt in Iſraël, ex eo die quo aſcendérunt patres noſtri de Ægypto, uſque in præſens tempus: ferte ſenténtiam, & in commúne decérnite quid facto opus ſit.

℟. Beáta gens. 437.

Lect. II. *Cap.* 20. *v.* 11.

Benjamitæ puniti.

COnvenitque univerſus Iſraël ad civitátem, quaſi homo unus, eâdem mente, unóque consílio. Et miſérunt núntios ad omnem tribum Bénjamin, qui dícerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Trádite hómines de Gábaa, qui hoc flagítium perpetrárunt ut moriantur, & auferátur malum de Iſraël. Qui noluérunt fratrum ſuórum filiórum Iſraël audíre mandátum. Poſuerúntque filii Iſraël inſídias per circúitum urbis Gábaa. Atque ita factum eſt, ut ex utráque parte ab hóſtibus cæderentur, nec erat ulla réquies moriéntium. Cecidérunt, atque proſtráti ſunt ad Orientálem plagam urbis Gábaa. Fuérunt autem qui in eódem loco interfecti ſunt, decem & octo míllia virórum, omnes robuſtiſſimi pugnatóres. Quod cùm vidiſſent qui remanſerant de Bénjamin, fugérunt in ſolitúdinem, & pergébant ad petram, cujus vocábulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diverſa tendentes, occidérunt quinque míllia virórum. Et cùm ultra ténderent, perſecúti ſunt eos, & interfecérunt étiam ália duo míllia. Et ſic factum eſt, ut omnes qui cecíderant de Bénjamin in diverſis locis, eſſent viginti quinque míllia, pugnatóres ad bella promptiſſimi. Remanſérunt itaque de omni número Bénjamin qui evádere, & fúgere in ſolitúdinem potuérunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon ménſibus quátuor. Regreſſi autem filii Iſraël, omnes relíquias civitátis à viris uſque ad jumenta, gládio percuſſérunt, cunctaſque urbes & vículos Bénjamin vorax flamma conſumpſit.

℟. Pars Dómini. 438.

De libro Apocalypſis beáti Joannis Apóſtoli.

Lect. III. *Cap.* 21. *v.* 21.

Lucerna civitatis eſt Agnus.

PLatéa civitátis aurum mundum, tamquam

vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea: Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus est, & Agnus. Et civitas non eget sole, neque lunâ, ut lúceant in ea: nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucerna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus: & reges terræ áfferent glóriam suam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et áfferent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℟. Salvasti nos, Dómine. *pag.* 438.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

ILlud unusquisque Cléricus sæpe répetat, se non ad inértiam atque ignáviam, sed ad spirituális & Ecclesiásticæ milítiæ labóres vocátum esse: sciat prætéreà, id in officio suo pósitum esse; ut, cùm in officiis obeundis, vel in frequentandis Ecclésiis, quod debet, tempus consúmpserit; si quid sibi réliquum est, id omne, non in rerum seculárium collóquiis, prophanisque actiónibus; sed in divinárum litterárum stúdiis, & in cœléstium rerum contemplatiónibus, & sanctis piisque officiis tradúcat.

S. A B B A T O.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de I. Nocturno.

Incipit liber Ruth.

LECTIO I. *Cap.* I. *v.* I.

Ruth Moabitis, nurus Noëmi.

IN diébus uníus júdicis, quando júdices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Béthlehem Juda ut peregrinarétur in regióne Moabítide, cum uxóre sua ac duóbus líberis. Ipse vocabátur Elímelech, & uxor ejus Noémi: & duo filii, alter Máhalon, & alter Chélion, Ephrathæi de Béthlehem Juda. Ingressíque regiónem Moabítidem morabantur ibi. Et mórtuus est Elimelech maritus Noémi: remansítque ipsa cum filiis. Qui accepérunt uxóres Moabítidas: quarum una vocabátur Orpha, áltera verò Ruth. Mansseruntque ibi decem annis. Et ambo mórtui sunt, Máhalon vidélicet & Chélion: remansítque múlier orbáta duóbus líberis ac marito.

Et surrexit ut in pátriam pérgeret, cum utráque nuru sua, de regióne Moabítide: audíerat enim quòd respexísset Dóminus pópulum suum, & dedísset eis escas. Egressa est ítaque de loco peregrinatiónis suæ cum utráque nuru.

LECTIO II. *Cap. 2. v. 1.*
Ruth invenit gratiam apud Booz.

ERat autem viro Elímelech consanguíneus, homo potens, & magnárum opum, nómine Booz. Dixitque Ruth Moabítis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, & cólligam spicas quæ fúgerint manus meténtium, ubicúmque clementis in me patris-famílias reperero grátiam. Cui illa respondit: Vade, filia mea. Abiit ítaque, & colligébat spicas post terga meténtium. Accidit autem ut ager ille habéret dóminum nómine Booz, qui erat de cognatióne Elímelech. Et ecce ipse veniébat de Béthlehem, dixitque messóribus: Dóminus vobíscum. Qui respondérunt ei: Benedícat tibi Dóminus. Dixitque Booz júveni, qui messóribus præerat: Cujus est hæc puella? Cui respondit: Hæc est Moabítis, quæ venit cum Noémi, de regióne Moabítide: & rogávit ut spicas collígeret remanentes, sequens messórum vestígia; & de manè usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum revérsa est. Et ait Booz ad Ruth: Audi, fília, ne vadas in álterum agrum ad colligendum; nec recédas ab hoc loco: sed júngere puellis meis.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

LECTIO III. *Cap. 22. v. 1.*
Lignum vitæ in medio civitatis.

OStendit mihi flúvium aquæ vitæ, spléndidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ ásferens fructus duódecim, per menses síngulos reddens fructum suum, & fólia ligni ad sanitátem géntium. Et omne maledíctum non erit ámplius: sed sedes Dei & Agni in illa erunt, & servi ejus sérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus: & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit: & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos: & regnábunt in sǽcula sæculórum. Et

dixit mihi : Hæc verba fidelíssima sunt, & vera. Et Dóminus Deus spirítuum prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ oportet fieri citò.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

EPíscopi, si Cléricos áliquos otiósos esse compérerint, inítâ áliquâ ratióne, salutáribus eos occupatiónibus & Ecclesiástico hómine dignis, incúmbere procúrent; ac provídeant omninò, ne isti ad suæ salútis discrímen, & aliórum offensiónem ótio abutantur.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Sabbato ante Dominicam in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. Act. 17. 2. 3.

PAulus disserébat Judæis de Scriptúris, adapériens & insínuans quia Christum opórtuit pati, & resúrgere à mórtuis; & quia hic est Jesus Christus.

Ad Magnífic. *Ant.* 6. F. David appósitus est ad patres suos, & vidit corruptiónem: quem verò Deus suscitávit à mórtuis, non vidit corruptiónem, allelúia. *Act.* 13. 36. 37.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

DOMINICA V. post Pascha.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De libro Ruth.

LECTIO I. *Cap.* 4. *v.* 13.

Booz accipit uxorem Ruth, unde natus Obed, pater Isaï patris David.

TUlit ítaque Booz Ruth, & accépit uxórem: ingressúsque est ad eam, & dedit illi Dóminus ut concíperet & páreret fílium. Dixerúntque mulíeres ad Noémi: Benedíctus Dóminus, qui non est passus ut defíceret succéssor famíliæ tuæ, & vocarétur nomen ejus in Israël, & hábeas qui consolétur ánimam tuam, & enútriat senectútem: de nuru enim tua natus est, quæ te díligit; & multò tibi mélior est, quàm si septem habéres fílios. Susceptúmque Noémi púerum pósuit in sinu suo, & nutrícis ac gérulæ fungebátur offício. Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei, & dicentes: Natus est fílius Noémi; vocavérunt nomen ejus Obed: hic est pater Isaï, patris David. Hæ sunt generatiónes Phares: Phares

génuit Esron, Esron génuit Aram, Aram génuit Amínadab, Amínadab génuit Nahasson, Nahasson génuit Salmon, Salmon génuit Booz, Booz génuit Obed, Obed génuit Isaï, Isaï génuit David.

℟. Véspere & manè & merídie * Narrábo & annuntiábo; & exáudiet Dóminus vocem meam, allelúia, allelúia. *Ps.* 54. 18. ℣. Orábo spíritu, orábo & mente: psallam spíritu, psallam & mente. 1. *Corinth.* 14. 15. * Narrábo.

Gratiárum áctio Dávidis de Christo promisso, & è domo Davídica nascitúro.

Lectio II. 2. *Reg. Cap.* 7. *v.* 18.

Exorat promissa expleri.

QUis ego sum, Dómine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Dómine Deus, nisi loquieréris étiam de domo servi tui in longinquũ: ista est enim lex Adam, Dómine Deus. Quid ergo áddere póterit adhuc David, ut loquátur ad te? Tu enim scis servum tuum, Dómine Deus. Propter verbum tuum, & secundùm cor tuum fecisti ómnia magnália hæc, ita ut notum fáceres servo tuo: idcirco magnificátus es, Dómine Deus, quia non est símilis tuî, neque est Deus extra te, in ómnibus quæ audívimus áuribus nostris. Nunc ergo, Dómine Deus, verbum quod locútus es super servum tuum & super domum ejus, súscita in sempiternum; & fac sicut locútus es: ut magnificétur nomen tuum usque in sempiternum; atque dicátur: Dóminus exercítuum Deus super Israël; & domus servi tui David erit stabilíta coram Dómino. Quia tu, Dómine exercítuum, Deus Israël, revelasti aurem servi tui, dicens: Domum ædificábo tibi; proptérea invénit servus tuus cor suum ut oráret te oratióne hâc. Nunc ergo, Dómine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locútus es enim ad servum tuum bona hæc. Incipe ergo, & bénedic dómui servi tui, ut sit in sempiternum coram te, quia tu, Dómine Deus, locútus es, & benedictióne tuâ benedicétur domus servi tui in sempiternum.

℟. Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut opor-

tet, nescímus; * Sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus, allelúia. *Rom.* 8. 26.
℣. Vani sunt omnes hómines in quibus non subest sciéntia Dei. *Sap.* 13. 1. * Sed ipse.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 16. *v.* 23.

Petendum in nomine Domini.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petiéritis Patrem in nómine meo; dabit vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Evang. Tract. 102.

JAm dictum est in superióribus hujus Domínici sermónis pártibus, propter eos qui nonnulla petunt à Patre in Christi nómine, nec accípiunt, non peti in nómine Salvatóris, quidquid pétitur contra ratiónem salútis. Non enim sonum litterárum ac syllabárum, sed quod sonus ipse signíficat, & quod eo sono rectè ac veráciter intellígitur, hoc accipiendus est dícere, cùm dicit: In nómine meo. Unde qui hoc sentit de Christo, quod non est de único Dei Fílio sentiendum, non petit in ejus nómine, etiamsi non táceat lítteris ac syllabis Christum: quóniam in ejus nómine petit, quem cógitat, cùm petit. Qui verò, quod est de illo sentiendum, sentit, ipse in ejus nómine petit: & áccipit quod petit, si non contra suam salútem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accípere. Quædam enim non negantur; sed ut cóngruo dentur témpore, differuntur. Ita sanè intelligendum est quod ait: Dabit vobis; ut ea benefícia significáta sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt, própriè pértinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro ómnibus exaudiuntur, vel amícis, vel inimícis suis, vel quibúslibet áliis; quia non utcumque dictum est, Dabit; sed, Dabit vobis.

℟. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, & de excelso cœlórum habitáculo; * Et bénedic pópulo tuo Israël, & terræ quam dedisti nobis, allelúia. *Deuter.* 26. 15.
℣. Adjuva nos, Dómine, misertus nostrî. *Marc.* 9. 21. * Et bénedic.
℣. Glória. * Et bénedic.

Te Deum.

AD LAUDES.

Omnia ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. 1. Joan. 3. 3.

CArissimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus custodímus, & ea quæ sunt plácita coram eo, fácimus.

Ad Benedict. *Ant.* 3. g. Nunc scimus, quia scis ómnia, allelúia. *Joan.* 16. 30.

Oratio.

DEus, à quo bona cuncta procédunt; largíre supplícibus tuis, ut cogitémus, te inspirante, quæ recta sunt, &, te gubernante, éadem faciámus; Per Dóminum nostrum.

AD HORAS, omnia ut in Dominica in Albis, exceptis Canone & Oratione.

CANON.

Ex Actis Ecclésiæ Mediolanensis.

Part. 4. *Instruct. pro supplicat.*

DOmínicâ aut Festo processiónis diem immediátè præcedenti, Párochus quilibet fidéles móneat de hujus die & occasióne: unde eos, ut intersint, processionemque tàm ánimo quàm córpore comitentur, efficáciter adhortábitur .... dicatque quantâ modéstiâ, devotióne & órdine hæ processiónes celebrári débeant.

AD VESPERAS, ut in Dominica in Albis, exceptis quæ sequuntur.

Capitulum. Zach. 12. 10.

EFfundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ & precum; & aspícient ad me quem confixérunt.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. c. Non est opus tibi, ut quis te intérroget: in hoc crédimus, quia à Deo existi, allelúia. *Joan.* 16. 30.

Oratio ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA IN ROGATIONIBUS.

Hâc & duabus sequentibus Feriis, si occurrat Festum Semi-duplex vel suprà, de eo fiet Officium cum commemoratione Feriæ ad Laudes & Vesperas.

In Duplicibus & Semiduplicibus, ad Officium Nocturnum post ultimum Respons. legetur Evangelium cum Homilia Feriæ, & sine ℟. dicetur Te Deum.

De Festo Simplici fiet tantùm commemoratio.

In hoc triduo Officium fit ut Feriis temporis Pas-

chalis, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossenses.

LECTIO I. *Cap. 3. v. 12.*

Variis modis Deus laudandus.

INdúite vos ergo sicut elécti Dei, sancti & dilecti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam: sicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos. Super ómnia autem hæc, charitátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: & pax Christi exultet in córdibus vestris, in qua & vocáti estis in uno córpore: & grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiéntia, docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, in grátia cantantes in córdibus vestris Deo. Omne quodcumque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agentes Deo & Patri per ipsum.

℟. Véspere, & mane, & merídie, * Narrábo & annuntiábo; & exáudiet Dóminus vocem meam, allelúia, allelúia. *Psal.* 54. 18. ℣. Orábo spíritu, orábo & mente: psallam spíritu, psallam & mente. 1. *Corinth.* 14. 15. * Narrábo.

Sermo sancti Cæsárii Arelatensis Epíscopi.

LECTIO II.

Hom. 37. de Litania 1.

ECce, fratres dilectíssimi, dies sancti & spiritáles advéniunt. In istis tribus diébus quos reguláriter in toto mundo célebrat Ecclésia, nullus se à sancto conventu subdúcat. Quia per totum annum nobis peccatórum vúlnera subrépunt; in istis tribus diébus fidéliter ad Ecclésiam currámus, & contríto corde, vel humiliáto córpore, Dei misericórdiam deprecémur, ut ómnium peccatórum nostrórum vúlnera isto triduáno compunctiónis medicamento ad sanitátem prístinam revocémus. Convivíola nobis étiam quadragesimáli órdine præparémus, & magis legendo, psallendo vel orando animábus nostris spiritáles épulas, quàm corporáles delícias requirámus. Audíte ergo me, fratres, rogantem, audíte paterna pietáte admonentem: ut vobis Deus

& in hoc sǽculo sanitátem córporum, ubertátem frúctuum & peccatórum indulgéntiam tríbuat, & in futúro ad ætérna prǽmia felíciter perveníre concédat.

℟. Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus; * Sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus, allelúia. *Rom.* 8. 26.
℣. Vani sunt omnes hómines in quibus non súbest sciéntia Dei. *Sap.* 13. 1. * Sed ipse.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio III. *Cap.* 11. *v.* 5.

Qui petit, accipit.

IN illo témpore; Ait Jesus ad discípulos suos: Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Epist. 130. *quæ est ad Probam. n.* 16. 18. 19. *&* 20.

QUi novit bona data dare fíliis suis, pétere nos, & quærere, & pulsáre compellit. Ac per hoc, & quod ait Apóstolus, Sine intermissióne oráte; quid est áliud quàm, Beátam vitam, quæ nulla nisi ætérna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissióne desideráte? Semper ergo hanc à Dómino Deo desiderémus; & orámus semper. Sed ídeo ab áliis curis atque negótiis, quibus ipsum desidérium quodámmodo tepéscit, certis horis ad negótium orandi mentem revocámus, verbis oratiónis nos ipsos admonentes, in id quod desiderámus inténdere; ne quod tepéscere cœperat, omníno frigéscat; & pénitùs extinguátur, nisi crébriùs inflammétur. Quæ cùm ita sint, étiam cùm diù oráre vacat, id est, cùm ália bonárum & necessariárum actiónum non impediuntur offícia, quamvis & in eis, ut dixi, desidério illo semper orandum sit, non est ímprobum nec inútile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est oráre in multilóquio, si diútiùs orétur. Aliud est sermo multus, áliud diuturnus affectus. Absit ab oratióne multa locútio; sed non desit multa precátio, si fervens persevérat inténtio. Nam multùm loqui, est in orando rem necessáriam supérfluis ágere verbis: multùm autem precári, est ad eum quem precámur, diuturnâ &

piâ cordis excitatióne pulsáre. Nam plerumque hoc negótium plus gemítibus quàm sermónibus ágitur, plus fletu quàm affátu.

℟. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, & de excelso cœlórum habitáculo; * Et bénedic pópulo tuo Israël, & terræ quam dedisti nobis, allelúia. *Deut.* 26. 15. ℣. Adjuva nos, Dómine, misertus nostrî. *Marc.* 9. 21. * Et bénedic. ℣. Glória. * Et bénedic.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Introíbo in domum tuam: ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum. *Ps.* 5. 8.

Ant. 1. g. Multùm valet orátio justi assídua, allelúia, allelúia. *Jac.* 5. 16.

Capitulum. Jac. 1. 5.

SI quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter, & non impróperat, & dábitur ei: póstulet autem in fide nihil hæsitans.

Ad Bened. *Ant.* 3. à. Omnis qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsanti aperiétur, allelúia. *Luc.* 11. 10.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus; ut, qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus, contra advérsa ómnia tuâ semper protectióne muniámur; Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur hodie & cras ad Laudes & Horas; in Vesperis verò dicitur Oratio Dominicæ præcedentis.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo, allelúia. 1. *Joan.* 3. *v.* 21. 22.

Capitulum. Erátis. 384.

CANON.

Ex Concílio Aurelianensi primo.

An. 511. *Can.* 27. 28.

ROgatiónes, id est, Litánias ante Ascensiónem Dómini ab ómnibus Ecclésiis plácuit celebrári: quo tríduo omnes abstíneant; & quadragesimálibus cibis utantur. Clérici qui ad hoc opus sanctum adesse contémpserint, secundùm arbítrium Epíscopi Ecclésiæ suscípiant disciplínam.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Hæc est fidúcia quam habémus ad Deum: quia quodcumque petiérimus secundùm voluntátem ejus, audit nos, allelúia. 1. *Joan.* 5. 14.

Capitulum. Philip. 4. *v.* 6. 7.

FRatres, In omni oratióne & obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotescant apud Deum; & pax Dei, quæ exúperat omnem sensum, custódiat corda vestra.

℟. *br.* Confitébor, *pag.* 385.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Exaudi, Deus, oratiónes servórum tuórum, & dírige nos in viam justítiæ, allelúia. *Eccli.* 30. *v.* 18. 19.

Capitulum. Coloss. 4. *v.* 2. 3.

FRatres, Oratióni instáte, vigilantes in ea in gratiárum actióne.

℟. *br.* Dóminus pars, *pag.* 385.

AD NONAM.

Ant. 7. b. Inclína aurem tuam, & exaudi nos: pétimus misericórdiam ante conspectum tuum, Dómine Deus noster, allelúia. *Bar.* 2. *v.* 16. 19.

Capitulum. 1. Petr. 3. 12.

OCuli Domini super justos, & aures ejus in preces eórum: vultus autem Dómini super faciéntes mala.

℟. *br.* Vivit, *pag.* 385.

AD VESPERAS.

Ant. 1. *a.* Réspice, Dómine, de domo sancta tua in nos, allelúia. *Baruch.* 2. 16.

Capitulum. 1. Thess. 5. *v.* 17. 18.

FRatres, Sine intermissióne oráte, in ómnibus grátias ágite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in ómnibus vobis.

Ad Magníf. Ant. 8. *G.* Si non dabit illi surgens eò quòd amícus ejus sit; propter improbitátem tamen ejus surget, & dabit illi, allelúia. *Luc.* 11. 8.

FERIA TERTIA
IN ROGATIONIBUS.
AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

LECTIO I. *Cap.* 5. *v.* 14.
Sine intermissione orandum.

ROgámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos; consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patientes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alicúi reddat: sed semper quod bonum est, sectámini in ínvicem & in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in ómnibus vobis. Spíritum nol-

te extínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est, tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos. Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia; ut ínteger spíritus vester, & ánima, & corpus sine queréla in adventu Dómini nostri Jesu Christi servétur. Fidélis est, qui vocávit vos.

℟. Véspere & mane, pag. 451.

Ex Epístola sancti Sidónii Apollináris Arvernensis Epíscopi.

LECTIO II.

Lib. 7. Epist. 1. ad sanctum Mamertum Viennensem Episcopum.

INvectárum, te auctóre, Rogatiónum palpámur auxílio, quibus inchoandis instituendísque pópulus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certè non ímpari, cœpit initiári. Non enim latet nostram sciscitatiónem, quòd primis tempóribus harumce supplicatiónum institutárum, cívitas tibi crédita, per hujuscémodi prodigiórum terriculamenta vacuabátur; nam modò scenæ mœnium publicórum crebris terræ mótibus concutiebantur; nunc ignes sæpè flammáti cadúcas cúlminum cristas superjecto favillárum monte tumulábant; cùm tu ad nova celer véterum Ninivitárum exempla decurristi. Nam cùm vice quâdam cívitas conflagráre cœpisset, fides tua in illo ardóre plus cáluit; indícis jejúnia, interdícis flagítia, expónis ómnibus nec pœnam longinquam esse, nec véniam: mones minácem terræ mótuum conflictatiónem fidei stabilitáte firmandam: devotióne placátus in pectore pectorum Deus fecit esse obsecratiónem vestram vobis salúti, cæteris imitatióni, utrísque præsídio. Quæ ómnia sciens pópulus iste Viennénsibus tuis, & accidisse priùs, & non accessisse postériùs, vestígia tam sacro-sanctæ informatiónis ampléctitur, sédulò petens ut consciéntiæ tuæ beatitúdo mittat oratiónum suárum suffrágia, quibus exempla transmísit.

℟. Spíritus ádjuvet. 452.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap. 11. 1.*

Oratio Dominica.

IN illo témpore; Factum est cùm esset Jesus in quodam loco orans, ut cessávit, dixit unus ex discípulis ejus ad eum: Dómine, doce nos oráre. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ep. 130. *quæ est ad Probam. n.* 21. 22. *&* 23.

HOc quod in Domínica oratióne pósitum est, tam latè patet, ut homo Christiánus in quálibet tribulatióne constitútus, in hoc gémitus edat, in hoc lácrymas fundat, hinc exordiátur, in hoc immorétur, ad hoc términet oratiónem. His enim verbis res ipsas memóriæ nostræ commendári oportébat. Nam quælibet ália verba dicámus, quæ affectus orantis vel præcedendo format ut cláreat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil áliud dícimus quàm quod in ista Domínica oratióne pósitum est, si rectè & congruenter orámus. Quisquis autem id dicit quod ad istam Evangélicam precem pertinére non possit, etiamsi non illícitè orat, carnáliter orat: quod néscio quemádmodum non dicátur illícitè, quandóquidem Spíritu renátos non nisi spirituáliter decet oráre. Unde líberum est áliis atque áliis verbis, éadem tamen in orando dícere; sed non debet esse líberum ália dícere. Qui dicit in oratióne, verbi grátiâ; Dómine, multíplica divítias meas; aut, Da mihi tantas, quantas illi vel illi dedisti; aut, Honóres meos auge; & hæc dicit, eórum habens concupiscéntiam, non id attendens, ut ex his secundùm Deum prosit homínibus: puto eum non inveníre in oratióne Domínica, quo possit hæc vota coaptáre. Quamobrem púdeat saltem pétere, quæ non pudet cúpere; aut si & hoc pudet, sed cupíditas vincit, quantò mélius hoc pétitur, ut étiam ab isto cupiditátis malo líberet, cui dícimus, Líbera nos à malo.

℟. Réspice, Dómine, *pag.* 453.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES & HORAS, ut in Feria præcedenti.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

An. 1536. *part.* 9. *Cap.* 7.

LItániæ princípiò institútæ sunt, ut tum pópulus divínâ institutióne admónitus cleméntiam Dei exóret; quo pestes, clades, calamitátes, fames, bella, & id géneris adversa quæ nobis justíssimo Dei judício infliguntur.... avertat & tollat.

AD VESPERAS, *ut in Feria præcedenti.*

FERIA

FERIA QUARTA

In Rogationibus,

VIGILIA ASCENSIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De Isaía Prophéta.

LECT. I. *Cap.* 52. *v.* 10.

De Christi exaltatione.

PArávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium: & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. Recédite, recédite, exíte inde, pollútum nolíte tángere: exíte de médio ejus, mundámini, qui fertis vasa Dómini. Quóniam non in tumultu exíbitis, nec in fuga properábitis: præcédet enim vos Dóminus, & congregábit vos Deus Israël. Ecce intélliget servus meus, exaltábitur, & elevábitur, & sublímis erit valdè. Sicut obstupuérunt super te multi, sic inglórius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hóminum. Iste asperget gentes multas; super ipsum continébunt reges os suum: quia quibus non est narrátum de eo, vidérunt; & qui non audiérunt, contempláti sunt.

℟. Ecce intélliget,*Exaltábitur, & elevábitur; & sublímis erit valde, allelúia. *Is.* 52. *v.* 12. 13. ℣. Semetipsum exinanívit formã servi accípiens. *Phil.* 2. *v.* 7. * Exaltábitur.

Ex História Ecclesiástica sancti Gregórii Turonensis Epíscopi.

LECTIO II. *Lib.* 2. *Hist. Francor.* Cap. 34.

BEátus Avítus refert in quadam homília, quam de Rogatiónibus scripsit, has ipsas Rogatiónes quas ante Ascensiónis Domínicæ triumphum celebrámus, à Mamerto ipsíus Viennensis urbis Epíscopo, cui & hic eo témpore præerat, institútas fuisse, dum urbs illa multis terrerétur prodígiis. Nam & terræ motu frequenter quatiebátur, sed & cervórum atque lupórum féritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil métuens oberrábat. Cumque hæc per anni círculum gererentur, adveniéntibus Paschális solemnitátis diébus, expectábat misericórdiam Dei plebs tota devótè. Sed in ipsa glorióſæ noctis vigília, dum Missárum celebrarentur solémnia, súbitò Palátium Regále divíno igne succénditur, pavóre ómnibus pertérritis. Sanctus Sacerdos prostrátus ante altáre cum gémitu & lácrymis, Dómini misericórdiam imprecátur. Penetrávit excelsa poli orá-

tio Pontíficis, restinxítque domus incéndium flumen profluéntium lacrymárum. Cumque hæc agerentur, appropinquantè Ascensióne Majestátis Domínicæ, indixit pópulis jejúnium, instituit orandi modum. Cessántibus quoque exinde terróribus per cunctas Províncias dispersâ facti famâ, cunctos Sacerdótes imitári commónuit, quod Sacerdos fecit ex fide: quæ usque nunc in Christi nómine per omnes Ecclésias in compunctióne cordis & contritióne spíritûs celebrátur.

℟. Ascendet pandens iter ante eos: * Divident, & transíbunt portam, & ingrediéntur per eam; & transíbit Rex eórum coram eis, & Dóminus in cápite eórum, allelúia. *Mic.* 2. 13. ℣. Apóstolis præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis. *Act.* 1. 3. * Divident.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 17. 1.

Oratio Christi pro clarificatione sua, & pro Apostolis.

IN illo témpore; Sublevátis Jesus óculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Epíscopi.

In Joan. Evang. Tract. 104.

POterat Dóminus noster unigénitus, & coætérnus Patri, in forma servi, & ex forma servi, si hoc opus esset, oráre siléntio: sed ita se Patri exhibére vóluit precatórem, ut meminisset nostrum se esse doctórem. Proinde eam, quam fecit oratiónem pro nobis, notam fecit & nobis; quóniam tanti magistri non solùm ad ipsos sermocinátio, sed étiam pro ipsis ad Patrem orátio, discipulórum est ædificátio. Et si illórum, qui hæc dicta áderant auditúri, profectò & nostra, qui fuerámus conscripta lectúri. Quapropter hoc quod ait: Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum: ostendit omne tempus, & quid, quando fáceret, vel fieri síneret, ab illo esse dispósitum, qui témpori súbditus non est: quóniam quæ futúra erant per síngula témpora, in Dei sapiéntia causas efficientes habent, in qua nulla sunt témpora. Non ergo credátur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo pótiùs ordinante; nec si-

dérea necéssitas Christi connéxuit passiónem: absit enim ut sidera mori cógerent siderũ conditórẽ.

℟. Deus clarificátus est in Filio hóminis; * Et clarificábit eum in semetipso, * Et contínuò clarificábit eum, allelúia. *Joan.* 13. 31. 32. ℣. Citò véniet grádiens ad aperiendum. *Is.* 51. 14. * Et clarificábit. ℣. Glória Patri & Filio. † Et contínuò.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES & HORAS.

Omnia ut in Feria secunda præcedenti, exceptis quæ sequuntur.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Convescens præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent; sed expectárent promissiónem Patris, allelúia. *Act.* 1. 4.

Orémus. *Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut nostræ mentis inténtio, quò ventúræ solemnitátis gloriósus autor ingressus est, semper intendat; & quò fide pergit, conversatióne pervéniat; Per eumdem Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad omnes Horas.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo.

An 1536. *Part.* 9. *Cap.* 7.

LItánias, id est, supplicatiónes, seu Rogatiónes.... ante Dómini Ascensiónem, Pátribus plácuit celebrári: quibus omnes interesse jubentur; ut quemádmodum omnes peccavérunt, sic & omnes pro vénia súpplicent, omnesque ad Deum corda cum mánibus élevent.



IN ASCENSIONE DOMINI.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. D. Qui ædíficat in cœlo ascensiónem suam, Dóminus nomen ejus, allelúia. *Amos*, 9. 6.

Ant. 7. d. Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivárum, qui est contra Jerúsalem ad Orientem, allelúia. *Zach.* 14. 4.

Ant. 5. C. Qui redempti sunt à Dómino, reverténtur & vénient in Sion laudantes, allel. *If.* 51. 11.

Ant. 6. F. Póntifex ultra velum intrábit in Sancta, ut roget pro universo cœtu Israël, allelúia. *Levit.* 16. *v.* 12. 17.

Ant. 3. a. Ipse portábit glóriam, & sedébit, & dominábitur super sólio suo, allelúia. *Zach.* 6. 13.

Capitulum. Act. 3. 20. 21.

PRædicátus est vobis Jesus Christus, quem oportet quidem cœlum suscípere, usque in témpora restitutiónis ómniũ, quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum à sǽculo Prophetárum.

℟. Attóllite portas, príncipes, vestras, & elevámini portæ æternales, allelúia, & introíbit Rex glóriæ. * Quis est iste Rex glóriæ? † Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ, allelúia, allelúia. *Psal.* 23. 7. 8. ℣. Venit hora ut clarificétur Fílius hóminis. *Joan.* 12. 23. * Quis est. ℣. Glória Patri. † Dóminus.

Hymnus, Christe, quem sedes, *infrà in II. Vesp.*

℣. Iter fácite ei qui ascendit super occásum; ℟. Dóminus nomen illi. *Ps.* 67. 5.

Ad Magnífic. *Ant.* 7. G. Ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat, & usque ad Antíquum diérum pervénit, & in conspectu ejus obtulérunt eum; & dedit ei potestátem, & honórem, & regnum, allelúia. *Dan.* 7. 13.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui hodiernâ die Unigénitum tuum Redemptó-

rem nostrum ad cœlos ascendisse crédimus, ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus; Per eumdem Dóminum.

AD COMPLETORIUM, *Psalmi de Feria, reliqua ut in die Festi.* 468.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesum euntem in cœlum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 1. 11. *Psal.* Veníte.

Hymnus. S. V.

FŒLIX dies mortálibus,
Quâ per profúsum sánguinem,
Homo Deus, clausas diu
Intrávit æternas domos!

Nos membra, quò nostrum caput,
Quò dux præívit, íbimus;
Si jungat una mens simul,
Nos una junget glória.

DISCESSIT, & suis adest,
Præsente semper Spíritu;
Miscens suo se córpori,
Omnes in artus ínfluit.

NOSTRAS, Olympo rédditus,
Qui, Christe, sedes præparas,
Hìc éxules ad pátriam
Trahas amóris néxibus.

TUNC ore nudo qualis es,
Quantusque, te vidébimus;
Amábimus te júgiter,
Te júgiter laudábimus.

SI quos amas, non déseris,
Nostræ salútis óbsidem,
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adoptet, Spíritum.

* QUI victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

* *Sic terminantur Hymni ejusdem metri usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè, iis exceptis quorum Doxologia est propria.*

In Psalm. Dómine, Dóminus. 43. *Ant.* 5. C. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus, allelúia. *v.* 2.

In Ps. In Dómino confido. 89. *Ant.* 1. D. Dóminus in templo sancto suo, Dóminus in cœlo, allelúia. *v.* 4.

In Ps. Cœli enarrant. *cum sua divisione.* 54. *Ant.* 4. E. In sole pósuit tabernáculum suum, allelúia. *v.* 4.

℣. Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli, ℟. Ad Orientem. *Ps.* 67. 34.

Incipit Liber Actuum Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 1. 1.

Christus Apostolis promittit Spiritum, & ascendit ad cœlos.

PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, ô Theóphile,

quæ cœpit Jesus facere & docére usque in diem, quâ præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum, quos elégit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convescens, præcépit eis ab Jerosólymis, ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizávit aquâ; vos autē baptizabimini Spíritu sancto, non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicentes: Dómine, si in témpore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse témpora vel momenta, quæ Pater pósuit in sua potestáte: sed accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixisset, vidéntibus illis, elevátus est: & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis; qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodùm vidistis eum euntem in cœlum.

℟. Præbuit seipsum vivum Jesus post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei; & vidéntibus illis, elevátus est, * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. *Act.* 1. v. 3. 9.

℣. Cùm sermocinarentur, ascendit in cœlum. 4. *Reg.* 2. 11. * Et nubes.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II. *Cap.* 1. 2. 5.

Sermo de Ascensione secundus.

SIcut in solemnitáte Paschâli resurréctio Dómini fuit nobis causa lætandi: ita Ascénsio ejus in cœlo præséntium nobis est matéria gaudiórum. Explétis ómnibus quæ Evangélicæ prædicatióni & novi Testamenti mystériis congruébant, Dóminus noster Jesus Christus, quadragésimo post resurrectiónem die, coram discípulis elevátus in cœlum, corporális præséntiæ modum fecit, mansúrus in Patris déxtera, donec témpora multiplicandis Ecclésiæ filiis

divínitùs præstitúta peragántur, & ad judicandos vivos & mórtuos in eádem carne, in qua ascendit, advéniat. Exultémus ítaque, dilectíssimi, gáudio spirituáli, & digná apud Deum gratiárum actióne lætantes, líberos cordis óculos ad illam altitúdinem in qua Christus est, erigámus. Sursùm vocátos ánimos desidéria terréna non déprimant; ad ætérna præeléctos peritúra non óccupent; viam veritátis ingréssos falláces illécebræ non retárdent: & ita à fidélibus hæc temporália decurrántur, ut peregrinári se in hac mundi valle cognóscant.

℞. Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * A summo cœlo egréssio ejus, & occúrsus ejus usque ad summum ejus, † Allelúia, allelúia. *Ps.* 18. *v.* 6. 7. ℣. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. *Joan.* 3. 13. * A summo. *Resumitur* Exultávit.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio III. *Cap.* 16. 14.

Jesus mittit Apostolos in universum orbem, & assumitur in cælum.

IN illo témpore; Recumbéntibus Undecim appáruit Jesus, & exprobrávit incredulitátem eórum, & durítiam cordis; quia iis qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29. in Ev. hab. in Basil. S. Petri, in Ascens. Domini.

QUòd resurrectiónem Domínicam discípuli tardè credidérunt, non tam illórum infírmitas, quàm nostra, ut ita dicam, futúra firmitas fuit. Ipsa namque resurréctio, illis dubitántibus, per multa arguménta monstráta est: quæ dum nos legentes agnóscimus, quid áliud quàm de illórum dubitatióne solidámur? Minus enim mihi María Magdaléne præstitit, quæ cítius crédidit, quàm Thomas qui diu dubitávit. Ille étenim dubitando, vúlnerum cicatríces tétigit, & de nostro péctore dubitatiónis vulnus amputávit. Dóminus tunc discípulos increpávit, cùm eos corporáliter relíquit; ut verba quæ recédens díceret, in córdibus audiéntiū árctiùs impréssa remanérent. Et Dóminus quidem Jesus, postquàm locútus est, assumptus est in cœlum: non curru, non Angelis

sublevátus ; quia is qui fécerat ómnia, nimírum super ómnia suâ virtúte ferebátur. Exultávit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei dicerémus ex corde : Trahe nos post te ; currémus in odórem unguentórum tuórum. Unde, fratres charíssimi, Christum oportet ut illuc sequámur corde, ubi eum córpore ascendísse crédimus. Desidéria terréna fugiámus ; nihil jam nos delectet in ínfimis, qui Patrē habémus in cœlis.

℟. Ascendit Deus in júbilo, allelúia : *Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro ; quóniam Rex omnis terræ Deus, † Allelúia, allelúia. *Ps.* 46. *v.* 6. 7. 8. ℣. Dóminus Jesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. *Marc.* 16. 19. * Psállite. ℣. Glória. † Allelúia. *Resumitur* ℟. Ascendit.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Regnábit Deus super gentes ; ℟. Deus sedet super sedem sanctam suam. *Psalm.* 46. 9.

Psalmi de Dominica, præter Canticum.

Ant. 7. *d.* EUm qui módicò quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum, allelúia. *Hebr.* 2. 9.

Ant. 6. F. Sedit ad déxteram majestátis in excelsis, tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit, allelúia. *Hebr.* 1. *v.* 3. 4.

Ant. 1. g. Talis decébat, ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus à peccatóribus, & excélsior cœlis factus, allelúia. *Hebr.* 7. 26.

Ant. 5. C. Ascendens.

Canticum Danielis. 3. 52.

BEnedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum, * & laudábilis & gloriósus & superexaltátus in sécula :

Et benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum, * & laudábile & superexaltátum in ómnibus séculis.

Benedictus es in templo sancto glóriæ tuæ, * & superlaudábilis & supergloriósus in sécula.

Benedictus es in throno regni tui, * & superlaudábilis & superexaltátus in sécula.

Benedictus es qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim, * & laudábilis & superexaltátus in sécula.

Benedictus es in firmamento cœli, * & lau-

dábilis & gloriósus in sǽcula.

Non dicitur Glória Patri.

Ant. Ascendens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus, allelúia. *Ephes.* 4. 8.

Ant. 8. *G.* Unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei, allelúia. *Hebr.* 10. 12.

Capitul. Hebr. 12. *v.* 1. 2.

PEr patiéntiam currámus, fratres, ad propósitum nobis certámen: aspicientes in auctórem fidei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contemptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet.

Hymnus. S. V.

PArta tuis labóribus,
Qui jam potíris glóriâ;
Quos hîc relinquis órphanos,
Nos, Christe, semper réspicis.

Alto benignus è throno
E Patris almi déxtera
Nos állicis, nos cónfoves,
Et ad volandum próvocas.

Terrena quæ mens non capit,
Quæ sola pérspicit fides,
Ad sancta fac nos gáudia
Amóre casto cúrrere.

Si quos amas, non déseris;
Nostræ salútis óbsidem,
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adoptet, Spíritum.

Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus in cœlo,
℟. Parávit sedem suam. *Psalm.* 102. 19.

Ad Benedict. *Ant.* 3. E. Christus splendor glóriæ, portans ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis, allelúia. *Hebr.* 1. 3.

Orémus. *Oratio.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus; ut, qui hodiernâ die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cœlos ascendisse crédimus, ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus; Per eumdem Dóminum.

AD HORAS: In fine Hymnorum dicitur Doxologia sequens.

Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória,
Summo Patri &c.

Antiphonæ de Laudibus, Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 7. *d.* Eum.

Capitulum Hebr. 9. 12.

PEr próprium sánguinem introivit semel in sancta, ætérnâ redemptióne inventâ.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui ascendisti super omnes cœlos. *Eph.* 4. 10.

CANON.

Ex Constitutiónibus Apostolórum.

Lib. 5. *Cap.* 18. *in fine.*

NUmerátis quadraginta diébus à primo Domínico die, celebrate diem festum Assumptiónis Dómini, quo die ascendit ad Deum, eumdemque Patrem suum, à quo missus fúerat; ad cujus déxteram virtútis sedet; quique in consummatióne séculi, véniet cum potestáte & glória multa, ad judicandum vivos & mórtuos.

AD TERTIAM.

Ant. 6. F. Sedet.

Capitulum. 1. Petr. 3. 22.

CHristus est in déxtera Dei, deglútiens mortem ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & Potestátibus, & Virtútibus.

℟. *br.* Ascendit Deus super Chérubim, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Ascendit. ℣. Et volávit super pennas ventórum. * Allelúia. ℣. Glória. *Rep.* Ascendit. *Psalm.* 17. 11.

℣. Ponis nubem ascensũ tuum; ℟. Ambulas super pennas ventórum. *Psalm.* 103. 3.

AD SEXTAM.

Ant. 1. g. Talis.

Capitulum. Hebr. 9. *v.* 24.

NOn in manufacta sancta Jesus introívit, exemplária verórum, sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis.

℟. *br.* Dóminus in cœlo sedes ejus, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Dóminus. ℣. Oculi ejus in páuperem respíciunt. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Dóminus. *Psal.* 10. 5.

℣. Factus est Dóminus refúgium páuperi, ℟. Adjútor in opportunitátibus in tribulatióne. *Ps.* 9. 10.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Unam.

Capitul. Eph. 4. *v.* 9. 10.

QUod ascendit Christus quid est, nisi quia & descendit primùm in inferióres partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.

℟. *br.* Ascendisti in altum; cepisti captivitátem, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Ascendisti. ℣. Accepisti dona in homínibus. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Ascendisti.

℣. Currus Dei decem míl-

fibus múltiplex, ℟. Míllia lætántium. *Psal.* 67. *v.* 18. 19.

AD II. VESPERAS.

In Ps. Dixit, *pag.* 27. *Ant.* IN splendóribus 5. C. sanctórum, Dóminus à dextris tuis, allelúia. *v.* 3. 5.

In Ps. Confitébor tibi, Dómine, *p.* 27. *Ant.* 4. E. In concílio justórum & congregatióne, magna ópera Dómini, allelúia. *v.* 1. & 2.

In Ps. Laudáte púeri, *p.* 28. *Ant.* 7. *d.* Super cœlos glória ejus; quis sicut Dóminus Deus, qui in altis hábitat? allelúia. *v.* 4. 5.

In Ps. Lætátus sum, *p.* 68. *Ant.* 3. a. In domum Dómini íbimus, quæ ædificátur ut cívitas, allelúia. *v.* 1. & 3.

In Ps. Confitébor tibi, ...quóniam, *p.* 104. *Ant.* 6. F. Magna est glória Dómini; quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit, allelúia. *v.* 6. 7.

Capitul. Ephes. 1. *v.* 20. 21.

DEus constítuit Christum ad déxteram suam in cœléstibus supra omnem principátum & potestátem & virtútem & dominatiónem, & omne nomen, quod nominátur non solùm in hoc sǽculo, sed étiam in futúro.

Hymnus.

CHRISTE, quem sedes
révocant paternæ;
Spléndidos orbi rénovas
triumphos,
Dum viâ tentas hómini
negátâ
Scándere cœlum!

OCIOR venti resonante
pennâ,
Vi suâ celsum per ináne
fertur;
Non eget curru; jubet, &
recédunt
Sídera nutu.

CLAUSA tot sæclis patet aula cœli,
Ipse Rex claros jaculátus
ignes,
Mœnibus ruptis subit, &
supernas
Tránsvolat arces.

SE Deo sistit; Pater,
ecce Natus,
In tuo victor grémio repónit
Plúrimo partas, & adhuc
rubentes
Sánguine lauros.

TU caput surgis! tua
sed jacémus
Membra: quam præfers,
mediátor, audi
Quanta pro membris tibi
crux potente
Voce loquátur!

SUMMA laus summæ
Tríadi per orbem;
Qui tenes dextram sólii
paterni,
Pacis ætenæ simul esto
nobis
Auctor & obses. Amen.

℣. Constituisti eum super ópera mánuum tuárum; ℟. Omnia subjecisti sub pédibus ejus. *Ps.* 8. *v.* 7. 8.

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. O Rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos órphanos; sed mitte promissum Patris in nos, spíritum veritátis, allelúia.

Oratio Concéde, *ut suprà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. c. Omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris, allelúia. *Philip.* 2. 11.

Psalmi de Feria.

Hymnus.

DE luce qui lux náſceris,
Dextræque Patris áſſides;
Cadente sole, méntibus,
Ætérna lux, te dérege.
QUÆ te premit clémentia!
Passus necem pro sóntibus,
Tuo piátos sánguine
Ad alta transfers sídera.
DUM lánguido jacébimus
Somno, futúri cœlites:
Fac, corda sedes prævиis
Votis supernas óccupent!
PROMISSA funde múnera,
Quibus resurgens cháritas,
Nos & sopóri débitæ
Noctis quietem cónsecret.
QUI victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória:
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. Ephes. 2. *v.* 6. 7.

DEus consedére nos fecit in cœléstibus in Christo Jesu, ut osténderet in sǽculis superveniéntibus abundantes divítias grátiæ suæ.

℟. *br.* In manus tuas.

Ad Nunc dimittis, *Ant.* 5. a. Allelúia, in sempiternum sedet, allelúia: in déxtera Dei, allelúia, allelúia. *Hebr.* 10. 12.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, mentes nostras & corda nostra in eo requiéscere, quem ad déxteram tuam sedentem adorámus mediatórem nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

Et sic per Octavam.

INTRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Si Festum Duplex occurrat, fit Officium de Festo cum Commemoratione Oct.

De Semiduplici & Simplici fit tantùm Commemoratio.

Omnia ut in die Ascensionis, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi tres infrà notati in qualibet Feria.

Antiph. sola. 1. a. Jesus ferebátur in cœlum, & Apóstoli adorantes, regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno, allelúia. *Luc.* 24. *v.* 51. 52.

℣. Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli, ℟. Ad Orientem. *Psal.* 67. 34.

Lectiones & ℟℟℟. ut infrà in qualibet Feria.

AD LAUDES, Psal. de Feria.

Canticum de Festo.

Antiph. sola. 8. c. Cùm introissent in cœnáculum, omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne cum muliéribus & María matre Jesu, allelúia. *Act.* 1. *v.* 13. 14.

AD HORAS, Psalmi de Feria. Canon ut infrà in qualibet Feria.

AD VESPERAS, Psalmi de Feria.

Ant. sola. 6. F. Erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum, allelúia. *Luc.* 24. 53.

AD COMPLETORIUM, *Psalmi de Feria.*

FERIA SEXTA.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

LECTIO I. *Cap.* 4. *v.* 1.

Per Ascensionem captivitas liberata.

OBsecro itaque vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis; cum omni humilitáte & mansuetúdine, cum patiéntia, supportantes ínvicem in charitáte, sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrûm data est grátia secundùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captívam duxit captivitátem; dedit dona homínibus.

℟. Regna terræ, cantáte Deo; psállite Dómino, * Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem, allelúia. *Psal.* 67. *v.* 33. 34. ℣. Sedenti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glô-

ria. *Apoc.* 5. 13. * Qui.

LECTIO II. *v. 9.*

Ascendit ut impleret omnia.

QUòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferióres partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem pastóres & doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii in ædificatiónem córporis Christi; donec occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, in virum perfectum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi: ut jam non simus párvuli fluctuantes, & circumferámur omni vento doctrínæ, in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris; veritátem autem faciéntes in charitáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctúram subministratiónis, secundùm operatiónem in mensúram uniuscujusque membri, augmentum córporis facit in ædificatiónem sui in charitáte.

℟. In sempiternum sedet in déxtera Dei, expectans * Donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus, allelúia. *Hebr.* 10. *v.* 12. 13. ℣. Omnia, Dómine, subjecisti sub pédibus ejus. *Psal.* 8. 8. * Donec.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO III.

Serm. 1. *de Ascens. Domini.*

POst beátam & gloriósam resurrectióne Dómini nostri Jesu Christi, quâ verum Dei templum Judáicâ impietáte resolútum divínâ in triduo poténtiâ suscitávit; quadragenárius hódiè, dilectíssimi, sanctórum diérum explétus est númerus, sacratíssimâ ordinatióne dispósitus, & ad utilitátem nostræ eruditiónis impensus: ut dùm à Dómino in hoc spátium mora præséntiæ corporális exténditur, fides resurrectiónis documentis necessáriis munirétur. Unde beatíssimi Apóstoli, omnesque discípuli, qui, & de éxitu crucis fúerant trépidi, & de fide resurrectiónis ambígui, ita sunt veritáte perspícuâ roboráti, ut Dómino in cœlórum eunte sublímia, non solùm nullâ afficerentur tristitiâ, sed étiam ma-

guo gáudio replerentur.

℟. Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum * Glorificávit Filium suum Jesum. *Act.* 3. 13. ℣. Benedictus Dóminus Deus Israël à sǽculo & usque in sǽculum. *Psalm.* 40. 14. * Glorificávit. ℣. Glória. * Glorificávit.

CANON.

Ex Concílio Rhemensi.

An. 1583. *tit. de Sacr. n.* 1.

QUóniam septem Sacramentis, quasi médiis quibusdam præstantíssimis, cultus Deo sanctíssimus plenissimusque pietátis exhibétur, imprímis Parœcis ómnibus, divinique verbi ministris, præcípimus; ut sédulò dóceant, quid sint Sacramenta, quorsùm instituta, quam vim hábeant, seu quis sit eórum effectus, quæ utílitas, quæ virtus; ut simul intélligant fidéles quantâ pietáte, fide & religióne ad eórum perceptiónem accédere débeant.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de II. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 9.

Christus glorificatus Pontifex.

EUm qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum: ut grátiâ Dei, pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos filios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis: in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterùm: Ego ero fidens in eum. Et íterùm: Ecce ego, & púeri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse simíliter participávit eísdem: ut per mortem destrúeret eum, qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis qui tentantur, auxiliári.

℟. Præbuit seipsum vivum Jesus post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei; & vidéntibus illis, elevátus est, * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. *Act.* 1. *v.* 3. 9. ℣. Cùm sermocinarentur, ascendit in cœlum. 4. *Reg.* 2. 11. * Et nubes.

LECTIO II.

Cap. 4. *v.* 9.

Christi thronus in cœlis, thronus gratiæ.

RElínquitur sabbatismus pópulo Dei. Qui enim ingressus est in réquiem ejus, étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem: ut ne in idipsum quis íncidat incredulitátis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertingens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, compágum quoque ac medullárum, & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus: ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo pontíficem magnum, qui penetrâvit cœlos, Jesum filium Dei: teneámus confessiónem. Non enim habémus pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris: tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxilio opportúno.

℟. Exultávit ut gigas ad currendam viam: * A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, † Allelúia, allelúia. *Ps.* 18. 2. 6. 7. ℣. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. *Joan.* 3. 13. * A summo.

Sermo sancti Clementis Papæ & Mártyris.

LECTIO III.

Epist. 1. *ad Corin. Cap.* 36. *Sect.* 1.

INvénimus Jesum Christum Pontíficem oblatiónum nostrárum infirmitátis nostræ patrónum & auxiliatórem. Per hunc in cœlórum altitúdines óculos defigámus; per hunc immaculátum & suprémum illíus vultum speculábimur: per hunc óculi cordis nostri aperti sunt: per hunc insípiens & obscuráta mens nostra in admirábilem ejus lucem repúllulat: per hunc vóluit

Dóminus, ut immortálem cognitiónem gustarémus: qui cùm sit splendor majestátis ejus, tantò major est Angelis, quantò excelléntius nomen sortítus est. Ita quippe scriptum est: Qui facit Angelos suos spíritus, & ministros suos flammam ignis. De Fílio autem suo sic dixit Dóminus: Fílius meus es tu, ego hódiè génui te. Et íterùm dicit ad eum: Sede à dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum. Quinam sunt inimíci ejus? qui pravi sunt, quique divínæ voluntáti suam voluntátem oppónunt.

℟. Ascendit Deus in júbilo, allelúia: * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro; quóniam Rex omnis terræ Deus, † Allelúia, allelúia. *Psal.* 45. *v.* 6. 7. 8. ℣. Dóminus Jesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. *Marc.* 16. 19. * Psállite. ℣. Glória. † Allelúia.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 19. *de Baptismo.*

ADversùs peccátum originále in quo omnes concípimur & náscimur, únicum est remédium Baptismus; cujus vim & necessitátem éxprimens Christus, ait: Nisi quis renátus fuerit ex aqua & Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum cœlórum.

AD VESPERAS.

Psalmi de Sabbato, sub sola Antiph. seq.

Ant. 6. F. Erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum, allelúia. *Luc.* 24. 53.

Capitulum. Colos. 3. 1. 3.

QUæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram: mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo.

Hymnus & Versus ut in die, Christe, quem. 467.

Ad Magnif. *Ant.* 3. a. Christus Jesus qui mórtuus est & resurrexit, est ad déxteram Dei, & interpellat pro nobis, allelúia. *Rom.* 8. 34.

Oratio, Deus, *infrà ad Laudes.*

Non fit alia commemoratio Octavæ.

DOMINICA

INTRA OCTAVAM

Ascensiónis.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Christum qui mittet à Patre Spíritum veritátis, * Veníte, adorémus. *Joan.* 15. 26.

Psalmus, Veníte.

Hymnus.

TEstes novæ victóriæ,
Quâ, Christe, scandis æthera,
Jubes in urbem flámmeo
Pergant replendi Spiritu.

Prompti sacrátis cógitant
Celáre se recéssibus;
Terræque curis liberi,
Cœlo peroptant vívere.

Jam junctus uno pécto-re,
Unâ domo grex júngitur;
Votísque fusis sæpiùs,
Infert Deo vim súpplicem.

Uno labórat ímpetu,
Superna claustra rúmpere;
Quibus solútis, ígneus
Fœcundet imber péctora.

Turbæ precanti júngimur:
Tu, Christe, vota súscipe;
Et mitte, quem missúrus es,
Cor innovantem Spíritum.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Patris sedenti dézterâ;
Qui nos fovébis flámine,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

Psalmi de III. Nocturno.

Ant. 1. *f.* Non ad mensúram dat Deus Spíritum; Pater díligit Fílium, & ómnia dedit in manu ejus, allelúia. *Joan.* 3. 34. 35.

Ant. 6. F. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte, allelúia. *Joan.* 4. 23.

Ant. 7. *d.* Pater de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se, allelúia. *Luc.* 11. 13.

℣. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus,
℟. Et deprecatiónem eórum exáudiet. *Ps.* 144. 19.

De Jeremía Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 31. *v.* 31.

Lex nova scribenda in corde per Spiritum Sanctum.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & fériam dómui Israël & dómui Juda fœdus novum: non secundùm pactum, quod pépigi cum pátribus eórum, in die quâ apprehendi manum eórum, ut edúcerem eos de terra Ægypti: pactum, quod írritum fecérunt, & ego dominátus sum eórum, dicit Dóminus. Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israël post dies illos, dicit Dóminus: Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in pópulum. Et non docébit ultrà vir próximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dóminum: omnes enim

cognoscent me à minimo eórum usque ad máximum, ait Dóminus; quia propitiábor iniquitáti eórum, & peccáti eórum non memorábor ámpliùs. Hæc dicit Dóminus, qui dat solem in lúmine diei, órdinem lunæ & stellárum in lúmine noctis; qui turbat mare, & sonant fluctus ejus: Dóminus exercítuum nomen illi. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Effundátur super nos Spíritus de excelso: * Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. *Is.* 32. 15. 17. ℣. Cùm vénerit Paraclétus qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit. *Joan.* 1. 26. * Et erit.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO II. *Cap.* 1. *v.* 9.

Se præparant ad adventum Spiritûs Sancti.

Vidéntibus illis, elevátus est: & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic véniet quemádmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc reversi sunt Jerosólymam à monte qui vocátur Olivéti, qui est juxta Jerúsalem, sábbati habens iter. Et cùm introissent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus & Joannes, Jacóbus & Andréas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacóbus Alphæi, & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi. Hi omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus.

℟. Sensum tuum, Dómine, quis sciet? * Nisi tu míseris Spíritum Sanctum tuum de altíssimis, & sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris. *Sap.* 9. 17. 18. ℣. In ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. 1. *Joan.* 1. 6. * Nisi tu míseris.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 15. 26.

Paracleti testimonium.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

In Joan. Tract. 92. n. 1. & 2.

Dominus dicébat, Odio habuérunt me gratis : cùm autem vénerit Paraclétus, ille testimónium perhibébit de me; tamquam díceret, Odio me habuérunt, & occidérunt videntes; sed tale de me Paraclétus testimónium perhibébit, ut eos fáciat in me crédere non videntes. Et vos, inquit, testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Perhibébit Spíritus sanctus, perhibébitis & vos. Quia enim ab inítio mecum estis, potestis prædicáre quod nostis: quod ut modò non faciátis, illíus Spíritûs plenitúdo nondum adest vobis. Ille ergo testimónium perhibébit de me, & vos perhibébitis; dabit enim vobis fidúciam testimónium perhibendi cháritas Dei diffúsa in córdibus vestris, per Spíritum sanctum qui dábitur vobis.

℟. Spíritus sanctus discíplinæ effúgiet fictum, * Et áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu. *Sap.* 1. 5. ℣. Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. 1. *Cor.* 2. 10. * Et áuferet. ℣. Glória Patri & Filio. * Et áuferet se. Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

Psalmi de Dominica cum Cantico Joël in vigil. Pentecostes.

Ant. 8. c. Ipsi adorantes regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno, allelúia. *Luc.* 24. 52.

Ant. 7. c. Reversi sunt Jerosólymam à monte qui vocátur Olivéti, allelúia. *Act.* 1. 12.

Ant. 3. à. Ascendérunt ubi manébant Petrus & Joannes, allelúia. *Act.* 1. 13.

Ant. 5. a. Erat autem turba hóminum simul ferè centum viginti, allelúia. *Act.* 1. 15.

Ant. 4. a. Erant omnes páriter in eódem loco, allelúia. *Act.* 2. 1.

Capitulum. Act. 1. 4.

Convescens præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audistis, inquit, per os meum.

Hymnus.

Mundo novum jus dícere
Quos, Christe, mittis núntios;
Clausos sacris in ædibus,
Sancti foves spe fláminis.

Fac nos tibi gens débita,
Puris piémur ignibus;
Tuamque, pleni Númine,
Testémur orbi glóriam.

Almum tui vi fúneris
Terræ datúrus Spíritum;
Da, perfruámur intimâ
Virtúte fusi sánguinis.

Regni paterni párticeps,
Thronóque Patris ássidens,
In nos ama jam pródigus
Promissa dona fúndere.

Umbris remótis lóngiùs,
Fac, nostra lex sit cháritas;
Et efficáci dédxterâ,
Scribátur hæc lex córdibus.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Patris sedenti déxterâ;
Qui nos fovébis flámine,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deus, tu conversus vivificábis nos, ℟. Et plebs tua lætábitur in te. *Ps.* 84. 17.

Ad Benedict. *Ant.* 8. *G.* Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre, allel. *Joan.* 4. 24.

Orémus. *Oratio.*

Deus, cujus Fílius in altum ascendens, captivitátem nostram suâ duxit virtúte captívam; tríbue, quæsumus, ut dona quæ discípulis suis cóntulit, & ipse nobis largiátur; Qui tecum vivit & regnat.

Non fit alia commemoratio Octavæ.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ipsi.

Capitulum, &c. ut in die.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 7. *Can.* 3. *de Baptismo.*

Si quis díxerit in Ecclésia Romána, quæ ómnium Ecclesiárum mater est & magistra, non esse veram de Baptísmi Sacraménto doctrínam: anáthema sit.

AD TERTIAM.

Ant. 7. c. Reversi sunt.

Capitulum. Act. 1. 13.

Cum introïssent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus & Joannes, Jacóbus & Andréas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacóbus Alphæi & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi.

℟. *br.* Custodiébant testimónia ejus, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Custodiébant. ℣. Et præceptum quod dedit illis, * Allelúia. ℣. Glória. *Repetitur* Custodiébant. *Psal.* 98. 7.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Psal.* 132. 1.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Ascendérunt.

Capitulum. Act. 1. 14.

OMnes erant perseverantes unanimiter in oratióne, cum muliéribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus.

℟. *br.* Invocábant Dóminum, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Invocábant. ℣. Et ipse exaudiébat eos, * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Invocábant. *Ps.* 98. 6.

℣. Propè est Dóminus ℟. Omnibus invocántibus eum. *Ps.* 144. 18.

AD NONAM.

Ant. 4. a. Erant omnes.

Capitulum. Act. 1. 8.

ERitis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ.

℟. *br.* Glóriam regni tui, Dómine, dicent, * Allelúia, allelúia. *Repet.* Glóriam. ℣. Et poténtiam tuam loquentur, * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Glóriam. *Ps.* 144. 11.

℣. Bene patientes erunt, ℟. Ut annúntient quóniam rectus Dóminus. *Psal.* 91. 15. 16.

AD VESPERAS.

Omnia ut in die, exceptis sequentibus.

Ad Magnif. *Ant.* 4. D. Cùm vénerit ille Spiritus veritátis, non loquétur à semetipso; sed quæcumque áudiet, loquétur: & quæ ventúra sunt, annuntiábit. *Joan.* 16. 13.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Non fit alia commemoratio Octavæ.

FERIA SECUNDA INTRA OCTAVAM Ascensionis.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I. *Cap.* 6. *v.* 7.

Sollicitudo ad spem explendam.

TErra sæpe venientem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo. Próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est, & maledicto próxima: cujus consummátio in combustiónem. Confidimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & viciniόra salúti: tametsi ita lóquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus, qui ministrastis sanctis, & ministrátis. Cúpimus autem unumquemque vestrûm eamdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem: ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℟. Regna terræ, cantáte Deo; psállite Dómino, * Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem, allelúia. *Psal.* 67. *v.* 33. 34. ℣. Sedenti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glória. *Apoc.* 5. 13. * Qui.

LECTIO II. *v.* 13.

Introivit Jesus ad interiora cœli.

Abrahæ namque promittens Deus, quóniam néminem hábuit, per quem juráret, majórem, jurávit per semetipsum, dicens: Nisi benedícens benedícam te, & multíplicans multiplicábo te: & sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem. Hómines enim per majórem suî jurant: & omnis controvérsiæ eórum finis, ad confirmatiónem, est juramentum. In quo abundántiùs volens Deus osténdere pollicitatiónis hærédibus immobilitátem consilii sui, interpósuit jusjurandum: ut per duas res immóbiles, quibus impossíbile est mentíri Deum, fortíssimum solátium habeámus, qui confúgimus ad tenendam propósitam spem. Quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interióra veláminis: ubi præcursor pro nobis introívit Jesus, secundum órdinē Melchísedech póntifex factus in æternum.

℟. In sempiternum sedet in déxtera Dei, expectans * Donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus, allelúia. *Hebr.* 10. *v.* 12. 13. ℣. Omnia, Dómine, subjecisti sub pédibus ejus. *Psal.* 8. 8. * Donec.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

LECTIO III.

Sermo 261. de Ascens. Dom.

Resurréctio Dómini spes nostra: Ascénsio Dómini, glorificátio nostra. Ascensiónis enim hódiè solémnia celebrámus. Si ergo rectè, si fidéliter, si devótè, si sanctè, si piè Ascensiónem Dómini celebrámus, ascendámus cum illo, & sursùm cor habeámus. Ascendentes autem non extollámur, nec de nostris quasi de própriis méritis præsumámus. Sursùm enim cor habére debémus, sed ad Dóminum. Sursùm enim cor non ad Dóminum, supérbia vocátur; sursùm autem cor ad Dóminum, refúgium vocátur. Illi enim dícimus qui ascendit: Dómine, refúgium factus es nobis. Resurrexit enim, ut spem nobis daret, quia resurgit

quod móritur; ne moriendo desperarémus, & totam vitam nostram morte finitam putarémus. Sollíciti enim erámus de ipsa ánima; & ille nobis, resurgendo, & de carne securitátem dedit.

℟. Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum * Glorificávit Filium suum Jesum. *Act*. 3. 13. ℣. Benedíctus Dóminus Deus Israël à século, & usque in séculum. *Psalm*. 40. 14. * Glorificávit. ℣. Glória. * Glorificávit.

CANON

Ex Statútis Synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

An. 1272. *Cap*. 3.

CUm ex dilatióne baptísmi plúrima possint perícula provenire; vólumus & mandámus, ut infans natus, quo cítiùs fieri póterit, baptizétur.

FERIA TERTIA INTRA OCTAVAM Ascensionis.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de III. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I. *Cap*. 8. *v*. 1.

Christus in dextera Patris.

TAlem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum miniſter, & tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo. Omnis enim Póntifex ad offerendum múnera & hóstias constitúitur: unde necesse est & hunc habére áliquid quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundùm legem múnera, qui exemplári & umbræ desérviunt cœléstium. Sicut responsum est Móysi, cùm consummáret tabernáculum: Vide, (inquit) ómnia fácito secundùm exemplar, quod tibi osténsum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò & melióris testamenti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est.

℟. Præbuit seipsum vivum Jesus post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei; & vidéntibus illis, elevátus est, * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. *Act*. 1. *v*. 3. 9. ℣. Cùm sermocinarentur, ascendit in cœlum. 4. *Reg*. 2. 11. * Et.

LECTIO II. *Cap*. 9. *v*. 24.

Jesus introivit in cœlum.

NOn enim in manufacta sancta Jesus introívit, exemplária verórum; sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis: neque

que ut sæpè ófferat semetipsum, quemádmodum Póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine alieno. Alióquin oportébat eum frequenter pati ab orígine mundi : nunc autem semel in consummatióne seculórum, ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit. Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori, post hoc autem judícium : sic & Christus semel oblátus est ad multórum exhaurienda peccáta ; secundò sine peccáto apparébit expectántibus se in salútem.

℟. Exultávit ut gigas ad currendam viam : * A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, allelúia, allelúia. *Ps.* 18. *v.* 6. 7. ℣. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. *Joan.* 3. 13. * A summo.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO III.

Serm. 2. *de Ascensione Domini.*

Quod Redemptóris nostri conspícuum fuit, in sacramenta transívit : & ut fides excelléntior esset & fírmior, visióni doctrína succéssit, cujus auctoritátem, supernis illumináta rádiis credéntium corda sequerentur. Hanc fidem Ascensióne Dómini auctam, & Spíritûs Sancti múnere roborátam, non víncula, non cárceres, non exília, non fames, non ignis, non laniátus ferárum, nec exquisíta persequéntium crudelitátibus supplícia terruérunt. Pro hac fide per universum mundum non solùm viri, sed étiam féminæ ; nec tantùm impúbes púeri, sed étiam ténerae vírgines, usque ad effusiónem sui sánguinis decertárunt. Hæc fides dæmónia ejécit, ægritúdines dépulit, mórtuos suscitávit. Unde & ipsi beáti Apóstoli tantùm de Ascensióne Dómini profecérunt, ut quidquid illis priùs intúlerat metum, verterétur in gáudium. Totam enim contemplatiónem ánimi in divinitátem ad Patris déxteram consedentis eréxerant.

℟. Ascendit Deus in júbilo, allelúia : * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro ; quóniam Rex omnis terræ Deus, † Allelúia, allelúia. *Ps.* 46. *v.* 6. 7. 8. ℣. Dóminus Jesus assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. *Marc.* 16. 19. * Psállite. ℣. Glória. † Allelúia.

C A N O N.
Ex Concílio Parisiensi sexto.
An. 829. lib. 1. Cap. 7.

QUicumque .... de sacro fonte filios spirituáles suscepérunt, cognoscant se pro eis fidejussóres extitisse apud Deum: & in eo necesse est, ut semper illis sollicitúdinem veræ charitátis impendant, admóneant, & castígent, atque corrípiant.

FERIA QUARTA
Intra Octavam Ascensionis.

Psalmi de III. Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio I. Cap. 10. v. 11.
Christus in sempiternum sedet.

OMnis quidem sacerdos præstò est quotídie ministrans, & easdem sæpè ófferens hóstias, quæ numquam possunt auferre peccáta: hic autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempiternum sedet in déxtera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatióne, consummávit in sempiternum sanctificátos. Contestátur autem nos & Spíritus Sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem testamentum quod testábor ad illos post dies illos, dicit Dóminus; Dando leges meas in córdibus eórum, & in méntibus eórum superscribam eas: & peccatórum & iniquitátum eórum jam non recordábor ámpliùs. Ubi autem horum remissio: jam non est oblátio pro peccáto.

℞. Regna terræ, cantáte Deo; psállite Dómino, * Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem, allelúia. *Ps.* 67. 31. 33. 34. ℣. Sedenti in throno, & Agno benedíctio, & honor, & glória. *Apoc.* 5. 13. * Qui.

Lectio II. v. 19.
Accedendum ad Christum.

HAbentes itaque, fratres, fidúciam in introítu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum super domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspersi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ; teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit;) & considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis, & bonórum óperum: non deserentes collectiónem

nostram, sicut consuetúdinis est quibusdam, sed consolantes, & tantò magis quantò videritis appropinquantem diem.

℟. In sempiternum sedet in déxtera Dei, expectans * Donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus, allelúia. *Hebr.* 10. *v.* 12. 13. ℣. Omnia, Dómine, subjecisti sub pédibus ejus. *Psal.* 8. 8. * Donec.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

LECTIO III.

Serm. de Ascens. Domini.

CHristus ascendens in cœlum, nostræ natúræ primítias óbtulit Patri; & oblátum donum mirátus est Pater, quòd & tanta dígnitas offerébat, & quod offerebátur, nulla mácula fœdabátur. Nam & suis mánibus suscépit oblátum, & suæ sedis fecit esse partícipem; & quod plus est, ad partem suæ déxteræ collocávit. Cognoscámus quis est ille qui audívit: Sede ad déxteram meam; quæ natúra est, cui Deus dixit: Esto meæ párticeps sedis? Illa natúra est, quæ audívit: Terra es, & in terram ibis. Non enim ad omnem glóriam cœlos transiisse suffécerat, non cum Angelis stare; sed cœlos transívit, supra Chérubim ascendit, ultra Séraphim elevátur, nec antè stetit, nisi sedem Domínicam meruisset.

℟. Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum * Glorificávit Fílium suum Jesum. *Act.* 3. 13. ℣. Benedictus Dóminus Deus Israël à século & usque in séculum. *Ps.* 40. 14. * Glorificávit. ℣. Glória. * Glorificávit.

CANON.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 10.

MAgna ex parte Christiánum decus vilescit, quando renáti in Christo, ea, quibus in baptísmate renunciárunt, nec intellígere curant, nec ab his se, ut Christo pollíciti sunt, abstinére sátagunt.

FERIA QUINTA.

IN DIE OCTAVÆ Ascensionis.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Ant. 2. D. FActum est regnum hujus mundi Dómini nostri & Christi ejus; & regnábit in sécula seculórum, allelúia. *Apoc.* 11. 15.

Ant. 6. F. Ecce venit cum núbibus, & vidébit

cum omnis óculus, & qui eum pupugérunt, allelúia. *Apoc.* 1. 7.

Ant. 3. a. Judicábit Deus occulta hóminum secundùm Evangélium, allelúia. *Rom.* 2. 16.

Ant. 4. f. Neque enim Pater júdicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorí-ficent Filium, sicut honoríficant Patrem, allelúia. *Joan.* 5. 22. 23.

Ant. 5. a. Potestátem dedit ei judícium fácere, quia filius hóminis est, allelúia. *Joan.* 5. 27.

Capitulum. Isaï. 66, v. 14. 15.

COgnoscétur manus Dómini servis ejus, & indignábitur inimicis suis; quia ecce Dóminus in igne véniet.

℟. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, * Sic véniet quemádmodum vidistis eum euntem in cœlum, † Allelúia, allelúia. *Act.* 1. 11. ℣. Judicábit orbem terræ in æquitáte, & pópulos in veritáte sua. *Ps.* 95. 13. * Sic. ℣. Glória. † Allelúia.

Hymnus. S. V.

SENSUS quis horror pércutit?
Cœlum profundum scínditur:
Christum sedentem núbibus
Hinc inde stipant ágmina.

FERALIS ad sonum tubæ,
Mors justa reddit mórtuos;
Quos ad tribúnal júdicis
Urgent coactos Angeli.

PIOS locans ad dexteram,
Repellet ad lævam reos:
Novit gregem pastor suum;
Oves ab hœdis ségregat.

AD júdicis sedent latus,
Quicumque spretis ómnibus,
Fugére mundum páuperes,
Deum secuti páuperem.

CRUX, ante Judæis probrum,
Ludíbrium crux géntibus,
Terror reis, probis amor,
Summo micábit æthere.

FIXERE quem diræ trabi
Cernent, pavébunt, ingement;
Vultu beábit quo suos,
Hoc territábit ímpios.

VENTURE judex sǽculi,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

¶ *Hac Doxologia*, Ventúre, *dicitur hodie ad omnes Horas in Hymnis ejusdem metri.*]

℣. Parávit Dóminus in judício thronum suum; ℟. Et ipse judicábit or-

be terræ in æquitáte. *Ps.* 9.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. D. Fílius hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuíque secundùm ópera ejus, allelúia. *Matt.* 16. 27.

Oratio, ut infrà ad Laud.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitator. Júdicem vivórum & mortuórum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 10. *v.* 42.

Psal. Veníte.

Hymnus, Sensus, *ut suprà in I. Vesperis.*

Psalmi de III. Nocturno Feria.

Ant. 1. f. Ecce venit Dóminus in sanctis míllibus suis fácere judícium, allelúia. *Juda.* 14.

Ant. 5. C. Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, ita erit Fílius hóminis in die sua, allelúia. *Luc.* 17. 24.

Ant. 2. D. De die illa & hora nemo scit, nisi solus Pater, allelúia. *Matt.* 24. 36.

℣. Cùm exárserit in brevi ira ejus; ℟. Beáti omnes qui confídunt in eo. *Psal.* 2. 13.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I. *Cap.* 10. *v.* 26.

Judicium grave in legis novæ transgressores.

VOluntárie enim peccántibus nobis post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia, terríbilis autem quædam exspectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur: quantò magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Et íterùm: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horrendum est incídere in manus Dei viventis.

℟. Ipse est qui constitútus est à Deo * Judex vivórum & mortuórum, allelúia. *Act.* 10. 42. ℣. Parávit in judício thronum suum, & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte. *Ps.* 9. *v.* 8. 9. * Judex.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II.

Serm. 4. *de collectis & eleemosyna.*

VEniet in majestátis suæ glória Dóminus, sicut ipse prædíxit, aderítque cum eo rádians in

splendóribus suis, innumerábilis Angelicárum multitúdo Legiónũ. Congregabúntur ante thronum poténtiæ ejus ómnium géntium pópuli: & quidquid hóminum univérsis sǽculis toto orbe terrárum progénitum est, in conspéctu judicantis adstábit. Separabúntur ab injustis justi, à nocéntibus innocentes; & cùm præparátum sibi regnum, recensítis misericórdiæ opéribus, filii pietátis accéperint, exprobrábitur durítia sterilitátis injustis: & nihil habentes sinistri commúne cum dextris, in ignem ad diáboli & Angelórum ejus tormenta dispósitum omnipoténtis Júdicis damnatióne mittentur, cum illo habitúri pœnæ communiónem, cujus elegérunt fácere voluntátem. Quis ígitur istam sortem æternórum cruciátuum non pavéscat? Quis mala numquam finienda non tímeat? Sed cùm ideò denuntiáta sit sevéritas, ut misericórdia quærerétur, in diébus præséntibus cum misericórdiæ est largitáte vivendum, ut hómini post periculósam negligéntiã, ad pietátis ópera reverténti, possíbile sit ab hac senténtia liberári. Hoc enim agit poténtia júdicis, hoc grátia Servatóris, ut relinquat ímpius vias suas, & ab iniquitátis suæ consuetúdine peccátor abscédat.

℟. Vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt: * Et plangent se super eum omnes tribus terræ, allelúia. *Apoc.* 1. 7. ℣. Introíbunt in speluncas petrárum, & dicent móntibus: Operíte nos. *Isa.* 2. 19. *&* *Osee* 10. 8. * Et plangent.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 24. 49.

Promissum Spiritûs Sancti mittendi.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego mitto promíssum Patris mei in vos; vos autem sedéte in civitáte, quoadúsque induámini virtúte ex alto. Et réliqua.

Homília sancti Justini Mártyris.

Apol. 1. *ad Anton. Senatumque Rom. An.* 150.

CHristum in cœlum étiam reversúrum esse quemádmodum prædíctum erat, ex his cognóscite: Tóllite portas cœlórum, aperíte, ut Rex glóriæ intróeat; quis est hic rex glóriæ? Dóminus fortis & potens. Eúmdem étiam cum glória ex cœlis ventúrum esse cognóscite ex his, quæ à

Jeremía Prophéta ad hoc ipsum dicta sunt: Ecce ut Filius hóminis ex cœli núbibus venit, & cum eo sui Angeli. Quóniam ígitur ea, quæ jam facta sunt ómnia, fore, prædíctum esse à Prophétis docémus, ea étiam quæ símiliter prædicta sunt à Prophétis, & futúra sunt, ut omninò futúra, necessáriò crédere debémus. Duos enim ejus adventus Prophétæ prædixérunt: unum qui jam evénit quasi inglórii, patibilísque hóminis. Alterum cùm ex cœlis in majestáte, unà cum suo Angelórum exércitu, ut prædictum est, véniet, cùm étiam hóminum córpora excitábit: eumque bonórum córpora immortalitáte donábit, improbórum verò in ætérno sensu cum malis géniis in ignem ætérnum conjíciet.

℟. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, * Sic véniet quemádmodum vidístis eum euntem in cœlum, † Allelúia, allelúia. *Act.* 1. 11. ℣. Judicábit orbem terræ in æquitáte, & pópulos in veritáte sua. *Ps.* 95. 13. * Sic véniet. ℣. Glória. † Allelúia.

Te Deum.

AD LAUDES.

Omnia ut in die Ascensionis, exceptis quæ seq.

Hymnus. S. V.

O Christe, quæ! qualis dies!
Dies tremenda sóntibus,
Cùm sede descendens tuâ,
Ultor redíbis críminum!

Damnatus insons à reis,
Partes resúmes júdicis:
Ad ora cóntrement tua
Dijudicandi júdices.

Ut morte dignos sólveres,
Vitam profudísti volens:
Cui mors Dei non pródérit,
Vindicta qualis ímminet!

Quem noxa lethális premit,
Prævertat iram Núminis;
Largísque prudens débitos
Extinguat ignes flétibus.

Fac, Christe, ne mores bonos
Contáge mundus ínquinet:
Secerne nos ab ímprobis,
Ne misceámur sóntibus.

Venture Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória;
Summo Patri laus máxima;
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Deus manifestè véniet; ℟. Deus noster, & non silébit. *Ps.* 49. 3.

Ad Benedict. *Ant.* 7. G. Véniet Dóminus, qui & illuminábit abscóndita te-

nebrárum, & manifestábit consília córdium; & tunc laus erit unicuíque à Deo, allelúia. 1. *Cor*. 4. 5.

Orémus. *Oratio*.

FAc, Dómine, fidéles tuos, sic in último Mediatóris adventu parátos occúrrere; ut præmiis donentur, qui promissis credidérunt; Per eumdem Dóminum.

Non fit Commemoratio Octavæ.

AD HORAS, ut in die Ascensionis, excepto Canone & Oratione.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 7. *de Baptism.*

Can. 14.

SI quis díxerit párvulos baptisátos, cùm adoléverint, interrogandos esse an ratum habére velint quod Patríni eórum nómine, dum baptisarentur, pollíciti sunt: &, ubi se nolle respónderint, suo esse arbítrio relinquendos; nec áliâ ínterim pœnâ ad christiánam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharístiæ aliorumque Sacramentórum perceptióne arceantur, donec resipiscant: anáthema sit.

AD VESPERAS, ut in die Ascensionis.

Hymnus. Sensus quis, *ut in I. Vesperis.*

Ad Magnífic. *Ant.* J. Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta; secúndò sine peccáto apparébit expectántibus se in salútem, allelúia. *Hebr*. 9. 28.

Oratio ut suprà ad Laud.

Non fit alia Commemoratio Octavæ.

FERIA SEXTA

Post Octavam Ascensionis.

Semiduplex.

Fit de Festo Duplici minore aut suprà, si occurrat, cum Commemoratione Feriæ.

De Semiduplici Festo occurrente, aut Simplici, fit tantùm Commemoratio ad Laudes & Vesperas.

Omnia ut in Dominica intra Octavam Ascensionis, exceptis quæ sequuntur.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Psalmi de III. Nocturno Feriæ, sub hac Antiphona.

Ant. 7. d. Non ad mensúram dat Deus Spíritum; Pater díligit Fílium, & ómnia dedit in manu ejus, allelúia. *Joan.* 3. 34.

℣. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus,

℟. Et deprecatiónem eórum exáudiet. *Ps.* 144. 19.

De Ezechiéle Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 36. *v.* 23.

Promittitur Spiritus novus.

SAnctificábo nomen meum magnum, quod

pollútum est inter gentes, quod polluistis in médio eárum; ut sciant gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercítuum, cùm sanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus, & congregábo vos de universis terris: & addúcam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinamentis vestris, & ab universis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestrî: & áuferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum. Et spíritum meũ ponam in médio vestrî; & fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini: & habitábitis in terra quam dedi pátribus vestris; & éritis mihi in pópulum, & ego ero vobis in Deum: & salvábo vos ex universis inquinamentis vestris; & vocábo frumentũ, & multiplicábo illud, & non impónam vobis famem. Et multiplicábo fructum ligni, & genímina agri, ut non portétis ultrà oppróbrium famis in géntibus. Et recordabímini viárum vestrárum pessimárum, studiorumque non bonórum; & displicébunt vobis iniquitátes vestræ, & scélera vestra. Non propter vos ego fáciam, ait Dóminus Deus, notum sit vobis: confundímini, & erubéscite super viis vestris, domus Israël.

℟. Effundátur super nos Spíritus de excelso: * Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secûritas usque in sempiternum, allelúia. *Is.* 32. 15. 17. ℣. Cùm vénerit Paraclétus qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit. *Joan.* 1. 26. * Et erit.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO II. *Cap.* 1. 14.

Apostoli in cœnaculo.

OMnes erant perseverantes unanímiter in oratióne cum mulíeribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus. In diébus illis exurgens Petrus in médio fratrum, dixit: (erat autem turba hóminum simul ferè centum viginti.) Viri fratres, oportet impléri Scriptúram, quam prædixit Spíritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum: qui connumerátus erat in nobis, & sortítus est sortem mi-

nistérii hujus : & hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, & suspensus crépuit médius ; & diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem, ita ut appellarétur ager ille, linguâ eórum, Hacéldama, hoc est, Ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum : Fiat commorátio eórum desérta, & non sit qui inhábitet in ea : & Episcopátum ejus accípiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens à baptísmate Joannis usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectiónis ejus nobíscum fieri unum ex istis. Et statuérunt duos, Joseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, & Matthíam. Et orantes, dixérunt : Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde, quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus, & apostolátûs, de quo prævaricátus est Judas ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, & cécidit sors super Matthíam, & annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

℟. Sensum tuum, Dómine, quis sciet ? * Nisi tu míseris Spíritum Sanctum tuum de altíssimis, & sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, allelúia. *Sap.* 9. 17. 18. ℣. In ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. 1. *Joan.* 1. 6. * Nisi.

Ex Commentário sancti Joannis Chrysóstomi, in Acta Apostolórum.

LECTIO III. *Hom.* 1.

QUare Spíritus Sanctus non advénit cùm adhuc adesset Dóminus, aut mox ab illius discessu ; sed ipse quidem ábiit die quadragésimo ; Spíritus autem advénit cùm complerétur dies quinquagésimus ? At si nondum advénerat, quómodo stat quod díxerat : Accípite Spíritum Sanctum ? Nimírum, ut eos capáces rédderet & idóneos accipiendo Spirítui. Etenim si Dániel Angelum visúrus, semótus est ; multò magis hos decébat secédere, tamquam Dei donum acceptúros. Licetne eo modo quæstiónem sólvere ? an sic pótiùs accipiendum est, quòd de eo quod futúrum erat, perindè quasi jam factum esset, sic locútus, velut

enim ait : Calcáte serpentes & scorpiónes & omnem virtútem inimíci ? Cur ígitur non tum prótinus advénit Spíritus ? Oportébat illos desidério promissi tenéri, atque ita donum accípere. Ideóque, cùm ipse digressus esset, tum advénit Spíritus. Qui si venisset eo præsente, non habuisset illos tam ardens expectátio.

℟. Spíritus Sanctus disciplínæ effúgiet fictum, * Et áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, allelúia. *Sap.* 15. ℣. Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. 1. *Cor.* 2. 10. * Et. ℣. Glória. * Et.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

Ps. Feria cum Cant. Joël, infrà, p. 494. *sub Ant. seq.*

Ant. 1. a. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte, allelúia. *Joan.* 4. 23.

Cætera ut in Dominica præcedente.

Oratio Dominicæ.

Non fit commemoratio de Cruce.

AD HORAS, omnia ut in Dominica præcedente, excepta Canone.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 7. *de Confirm. Can.* 1.

SI quis díxerit Confirmatiónem baptisatórũ, otiósam cæremóniam esse, & non pótiùs verum & próprium Sacramentum: aut, olim nihil áliud fuisse quàm catéchesim quamdam, quâ adolescéntiæ próximi, fidei suæ ratiónem coram Ecclésia exponébant; anáthema sit.

Ad VESPERAS, Psalmi Feria, sub hac Antiph.

Ant. 3. c. Pater de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se, allelúia.

Capitulum, Hymnus, Versus, ut in Laudibus Dominicæ.

Ad Magníficat, *Ant.* Cùm vénerit, *ut in Dom. præced.*

Oratio Dominicæ.

Non fit commemoratio de Cruce.

AD COMPLETORIUM, *ut intra Octavam Ascensionis.*

SABBATO.

In Vigilia Pentecostes.

Ab hac Vigilia inclusivè ad Festum SS. Trinitatis, etiam inclusivè, non fit Officium de ulla Festo Duplici aut suprà, sed quodlibet occurrens transfertur post idem Festum SS. Trinitatis. De Semiduplici autem & Simplici nulla fit commemoratio.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitator. Christum, qui mittet à Patre Spíritum veritátis, * Veníte, adorémus. *Joan.* 15. 26.

Psalmus, Veníte.

Hymnus, Testes. *p.* 474.

Psalmi de III. Nocturno.

Ant. 7. d. Non ad mensúram dat Deus Spíritum; Pater díligit Fílium, & ómnia dedit in manu ejus, allelúia. *Joan.* 3. 32. 35.

Ant. 1. a. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in Spíritu & veritáte, allelúia. *Joan.* 4. 23.

Ant. 3. c. Pater de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se, all. *Luc.* 11. 13.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Ps.* 41. 1.

De Libro Exodi.

LECTIO I. *Cap.* 19. *v.* 14.

Præparatio ad legem in monte Sinaï dandam.

DEscendit Móyses de monte ad pópulum, & sanctificávit eum. Cumque lavissent vestiménta sua, ait ad eos: Estóte paráti in diem tértium, & ne appropinquétis uxóribus vestris. Jamque advénerat tértius dies, & mané inclarúerat: & ecce cœpérunt audíri tonítrua, ac micáre fúlgura, & nubes densíssima operíre montem, clangorque búccinæ vehemémtiùs perstrepébat: & tímuit pópulus qui erat in castris. Cumque eduxísset eos Móyses in occúrsum Dei de loco castrórum, steterúnt ad radíces montis. Totus autem mons Sínaï fumábat: eò quòd descendísset Dóminus super eum in igne, & ascénderet fumus ex eo quasi de fornáce; eratque omnis mons terríbilis. Et sónitus búccinæ paulátim crescébat in majus, & prolíxiùs tendebátur: Móyses loquebátur, & Deus respondébat ei. Descenditque Dóminus super montem Sínaï in ipso montis vértice, & vocávit Móysen in cacúmen ejus.

℟. Ad montem Sínaï descendísti, Dómine; * Locútus es cum pátribus nostris de cœlo, & dedísti eis judícia recta, & legem veritátis, allelúia. 2. *Esdras.* 9. 13. ℣. Qui es, & qui eras, & qui ventúrus es. *Apoc.* 11. 17. * Locútus.

Ex Libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses.

LECTIO II. *Cap.* 17. *num.* 2. *sec.* 2.

DOminus pollícitus est míttere se Paraclétum qui nos aptáret Deo. Sicut enim de árido trítico massa una fieri non

potest sine humóre, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poterámus, sine aqua quæ de cœlo est. Et sicut árida terra, si non percipiat humórem, non fructíficat: sic & nos lignum áridum existentes primùm, numquam fructificarémus vitam, sine superna voluntária plúvia. Córpora enim nostra per lavácrum, illam quæ est ad incorruptiónem unitátem accepérunt: ánimæ autem per spíritum. Unde & utraque necessária, cùm utraque proficiant in vitam Dei: miserante Dómino nostro Samaritánæ illi prævaricatríci, quæ in uno viro non mansit, sed fornicáta est in multis núptiis, & ostendente ei, & pollicente aquam vivam, ut ultériùs non sitíret, neque occuparétur ad humectatiónem aquæ laboriósæ, habens in se potum salientem in vitam ætérnam. Quod Dóminus accípiens munus à Patre, ipse quoque his donávit, qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spíritum Sanctum.

℟. Spíritus tuus bonus, Dómine, dedúcet me in terram rectam: * Propter nomen tuum vivificábis me in æquitáte tua, allel. *Ps.* 142. 10. ℣. Docébit omnem veritátem; & quæ ventúra sunt, annuntiábit. *Joan.* 16. 13. * Propter.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *C.* 14. *v.* 15.

Christus promittit consolatorem.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si dilígitis me, mandáta mea serváte; & ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 74. *ante finem.*

QUod ait, Rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis: ostendit & seipsum esse Paraclétum. Paraclétus enim latínè dícitur Advocátus; & dictum est de Christo: Advocátum habémus ad Patrem, Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accípere Spíritum Sanctum, sicut étiam dictum est: Prudéntia carnis inimíca est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest: velut si dicámus: Injustítia justítia esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi signíficans dilectóres: quæ diléctio non est à Patre. Et ideò dilectióni hujus mundi,

de qua satágimus ut minuátur & consumátur in nobis, contrária est diléctio Dei, quæ diffúnditur in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. Mundus ergò eum accípere non potest, quia non videt eum, neque scit eum. Non enim habet invisíbiles óculos mundána diléctio, per quos vidéri Spíritus Sanctus potest, qui vidéri nisi invisibíliter non potest. Vos autem, inquit, cognoscétis eum: quia apud vos manébit, & in vobis erit. Erit in eis, ut máneat; non manébit, ut sit: priùs est enim esse alicubi, quàm manére. Sed ne putárent quod dictum est: Apud vos manébit; ita dictum, quemádmodum apud hóminem hospes visibíliter manére consuévit, expósuit quid díxerit, Apud vos manébit, cùm adjunxit & dixit: In vobis erit.

℞. Quis tríbuat ut omnis * Pópulus prophétet, & det eis Dóminus spíritum suum? allelúia. *Num.* 11. 29. ℣. Ut fiat oblátio géntium accepta, & sanctificáta in Spíritu Sancto. *Rom.* 15. 16. * Pópulus. ℣. Glória. * Pópulus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Dabit Dóminus voci suæ vocem virtútis, allelúia. ℞. Date glóriam Deo, allelúia. *Ps.* 67. *v.* 34. 35.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 6. F. Creábit Dóminus super omnem locum montis Sion nubem per diem, & splendórem ignis flammantis in nocte, allelúia. *Is.* 4. 5.

Ant. 7. d. Germinábunt quasi sálices juxta prætertfluentes aquas, allelúia. *Is.* 44. 4.

Ant. 2. D. Ténebræ & palpátio in æternum, donec effundátur super nos Spíritus de excelso, allelúia. *Is.* 32. *v.* 14. 15.

Ant. 3. g. Fílii Sion.

Canticum. Joël c. 2. v. 23.

FIlii Sion, exultáte & lætámini in Dómino Deo vestro, * quia dedit vobis doctórem justítiæ.

Et descéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & serótinum, * sicut in princípio.

Et implebuntur áreæ frumento, * & redundábunt torculária vino & óleo.

Et reddam vobis annos * quos comédit locusta, bruchus, & rubígo, & erúca:

Fortitúdo mea magna, * quam misi in vos.

Et comedétis vescentes, * & saturabímini.

Et laudábitis nomen

Dómini Dei vestri, * qui fecit mirabília vobiscum.

Et non confundétur pópulus meus * in sempitérnum.

Et sciétis, quia in médio Israël ego sum, * & ego Dóminus Deus vester, & non est ámplius.

Et non confundétur pópulus meus * in ætérnum.

Et erit post hæc: * Effundam Spíritum meum super omnem carnem.

Et prophetábunt fílii vestri * & fíliæ vestræ.

Senes vestri sómnia somniábunt, * & júvenes vestri visiónes vidébunt.

Sed & super servos meos & ancillas in diébus illis * effundam Spíritum meum.

Glória Patri.

Ant. Fílii Sion, prophetábunt fílii vestri & fíliæ vestræ, allelúia. *Joël.* 2. 23. 28.

Ant. 5. a. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! allelúia. *Sap.* 12. 1.

Capitulum. Joël. 2. 28.

EFfundā Spíritum meū super omnem carnem, & prophetábunt fílii vestri & fíliæ vestræ.

Hymnus. Mundo novum. *pag.* 476.

℣. Díriget mansuétos in judício; ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24. 9.

Ad Benedict. *Ant.* 8. G. Cùm vénerit ille Paraclétus, árguet mundum de peccáto, & de justítia, & de judício, allelúia. *Joan.* 16. 8.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui nos Resurrectiónis & Ascensiónis Dómini dedísti solémnia celebráre; mentes nostras & corda nostra purífica, ut adveniéntem Spíritum Sanctum suscípere mereámur; Per Dóminum..... in unitáte ejusdem.

AD HORAS, Doxologia, ut in Psalterio.

Psalmi de Sabbato.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Creábit.

In ℟. *br.* ℣. Qui ascendísti super omnes cœlos. *Ephes.* 4. 10.

CANON.

Ex Statútis Synodálibus Diœcesis Carcassonensis.

An. 1272. *Cap.* 6.

SAcerdótes pópulum suum admóneant diligenter, quòd quílibet adultus confirmatiónis recípiat Sacramentum; nullus enim, absque confirmatióne, vitam finíre debet.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Germinábunt.

Capitulum. Jerem. 31. v. 31. 33.

ECce dies vénient, dicit Dóminus; & fé-

riam dómui Juda fœdus novum : dabo legem meā in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam.

℟. br. Dulcis & rectus Dóminus, * Allelúia, allel. Repet. Dulcis. ℣. Propter hoc legem dabit delinquéntibus in via. * Allelúia. ℣. Glória. Repet. Dulcis.

℣. Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, ℟. Requiréntibus testamentum ejus. Ps. 24. v. 8. 10.

AD SEXTAM.

Ant. 2. D. Ténebræ.

Capitulum. Is. 44. v. 2. 3.

NOli timére, serve meus, Jacob, & rectíssime, quem elégi ; effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super áridam : effundam Spíritum meum semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam, dicit Dóminus.

℟. br. Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, * Allelúia, allelúia. Repet. Plúviam. ℣. Hæreditáti tuæ. * Allelúia. Ps. 67. 10. ℣. Glória. Repet. Plúviam.

℣. Flábit Spíritus ejus, ℟. Et fluent aquæ. Psalm. 147. 7.

AD NONAM.

Ant. 5. a. O quàm bonus.

Capitulum. Sap. 1. v. 5. 6.

SPíritus Sanctus áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, & corripiétur à superveniente iniquitáte : benignus est enim Spíritus sapiéntiæ.

℟. br. Ne projícias me à fácie tua, Dómine, * Allelúia. Repet. Ne projícias me. ℣. Et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas à me. * Allelúia. ℣. Glória. Rep. Ne projícias. Ps. 50. 13.

℣. Deduc me, Dómine, in via tua ; ℟. Et ingrédiar in veritáte tua. Psal. 85. 11.



IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

ANNUALE.

IN I. VESPERIS.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 3. a. DE Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúsalem, allelúia. *Isa.* 2. 3.

Ant. 5. C. In monte Sion, & in Jerúsalem erit salvátio, allelúia. *Joel.* 2. 32.

Ant. 7. G. Effundátur super nos Spíritus de excelso, & erit secúritas usque in sempitérnum, allelúia. *Isa.* 32. *v.* 15. 17.

Ant. 6. F. Sensum tuum, Dómine, quis sciet, nisi tu míseris Spíritum sanctum de altíssimis? allelúia. *Sap.* 9. 17.

Ant. 4. E. Spíritus sanctus áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, allelúia. *Sap.* 1. 5.

Capitulum. Ezech. 11. *v.* 19. 20.

SPíritum novum tribuã in viscéribus eórum, & áuferam cor lapídeum de carne eórum, & dabo eis cor cárneum, ut in præceptis meis ámbulent.

℟. Dóminus de Sinaï venit, & de Seïr ortus est nobis: appáruit de monte Pharan; * In déxtera ejus ígnea lex, allelúia, allelúia. *Deut.* 33. 2. ℣. Non loquétur à semetipso Spíritus veritátis; sed quæcumque áudiet, loquétur. *Joan.* 16. 13. * In déxtera. Glória Patri. * In déxtera.

Hymnus, Veni, superne Spíritus, *ut infrà ad Laudes.* 503.

℣. Deus Israël, ipse dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi suæ. *Ps.* 67. 36.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Spíritus Dómini, Spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus sciéntiæ & pietátis, allelúia. *Is.* 11. 2.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui Sacramento inchoátæ festivitátis universam Ecclésiam tuam in omni gente & natióne sanctíficas; in totam mundi latitúdinem Spíritûs tui sancti dona diffunde; Per Dñm....

in unitáte ejusdē Spíritûs.

AD COMPLETOR.

Psalmi de Dominica, cætera ut in die. 507.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Allelúia, Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Sap.* 1. 7.

Psalm. Veníte.

Hymnus.

ÆTHER insólito quid sonat ímpetu!
Quâ stant Discípuli concútitur domus;
Nil mortále sonans péctora Spíritus
Sancto flámine cónsecrat.

ILLAPSU própero córdibus hóspitem,
Fœtum divítiis se Deus ínserit;
Vitæ fons récreat, quos amor hóstiam
Almis ímmolat ígnibus.

DEMISSOS ut amat lámbere vértices,
Linguis quanta tegit múnera flámmeis!
Mentes luce suâ pérmeat íntimas,
Et cor róbore prótegit.

DISPAR facta sibi, plenaque Númine,
Jam linguis váriis turba tonat Deum;
Quo donante loqui grándia, díssitæ
Gentes prodígio stupent.

SIGNIS aucta fides particípibus
Gaudet progénies, quam regit una mens;
Quam spes una movet, firmaque cólligit
Casto fœdere cháritas.

SIT laus summa Patri, summaque Fílio;
Par sit, sancte, tibi glória, Spíritus;
Adsis, munéribus nos réfove tuis,
Et dona nova péctora.
Amen.

Ant. 7. *d.* Vox Dómini.

PSALMUS 28.

AFferte Dómino, fílii Dei; * afferte Dómino fílios aríetum.

Afferte Dómino glóriam & honórem; afferte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas; Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani, * & dilectus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini interciden-

tis flammam ignis; vox Dómini concutientis desertum; * & commovébit Dóminus desertum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condensa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Vox Dómini in virtúte; vox Dómini in magnificéntia: Dóminus virtútem pópulo suo dabit; Dóminus benedícet pópulo suo, allelúia.

Ant. 1. g. Dabit vocem suam.

PSALMUS 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculũ suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam; mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum; * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobiscum; * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Dedit vocem suam; mota est terra: Dóminus virtútum nobiscum: veníte, & vidéte quæ pósuit prodígia super terram, allelúia.

Ant. 8. G. Sicut audívimus.

PSALMUS 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univerſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturientis: * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleċtímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in séculum séculi: * ipse reget nos in sécula.

Ant. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, allelúia: lætétur mons Sion, quóniam hic est Deus, Deus noster, allelúia, allelúia.

℣. Justítiâ plena est déxtera tua; ℟. Lætétur mons Sion. *Psal.* 47. 11.

De Actibus Apostolórum.

Lect. I. *Cap.* 2. *v.* 1.

Spiritûs sancti effusio.

Cum compleréntur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco: & factus est repentè de cœlo sonus, tamquam advenientis spíritûs vehementis, & replévit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, seditque supra síngulos eórum: & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitantes Judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúsa est, quóniam audiébat unusquisque linguâ suâ illos loquentes. Stupébant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quómodo nos au-

dívimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamítæ, & qui hábitant Mesopotámiam, Judæam, & Cappadóciam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Líbyæ quæ est circa Cyrénen, & ádvenæ Románi, Judæi quoque; & Prosélyti, Cretes, & Arabes, audívimus eos loquentes nostris linguis magnália Dei.

℟. Factus est repentè de cœlo sonus, * Tamquàm adveniéntis Spíritûs vehementis, & replévit totam domum, allelúia, allelúia. *Act.* 2. 2. ℣. Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam. *Ps.* 17. 14. * Tamquàm. *Resumitur* Factus.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II.

Sermo 1. *de Pentecoste.*

HOdiernam solemnitátem, dilectíssimi, in præcípuis festis esse venerandam, ómnium Catholicórum corda cognoscunt. Nec dúbium est, quanta huic diéi reveréntia debeátur, quem Spíritus sanctus excellentíssimo sui múneris miráculo consecrávit. Nam & ab illo die, quo Dóminus super omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris consessúrus ascendit, décimus iste est, qui ab ejusdem Resurrectióne quinquagésimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mystéria in se & véterum sacramentórũ cóntinens, & novórum, quibus manifestíssimè declarátur & grátiam prænuntiátam fuisse per legem, & legem implétam esse per grátiam. Sicut enim Hebræo quondam pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagésimo die post immolatiónem agni, lex data est in monte Sínaï; ita post Passiónem Dómini, quâ verus Dei Agnus occísus est, quinquagésimo à Resurrectióne ipsíus die, in Apóstolos plebemque credéntium Spíritus sanctus illapsus est: ut fácilè díligens christiánus agnoscat inítia véteris testamenti Evangélicis ministrasse princípiis, & ab eódem Spíritu cónditum fuisse fœdus secundum, à quo primum fúerat institútum. Nam sicut Apóstolica testátur história, ab hoc die tuba Evangélicæ prædicatiónis intónuit; ab hoc die imbres charísmatum, flúmina benedictiónum, omne desertum & universam

áridam rigavérunt. Tu autem.

℟. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui * Váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis, allelúja. *Act.* 2. 4. ℣. Factus est Spíritus Dómini in illis, & prophetáre cœpérunt. 1. *Reg.* 19. 20. * Váriis. *Resum.* Repléti.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 14. 23.

Paracleti missio.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit; & Pater meus díliget eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Ev. 30. *hab. die Pent. in Bas. S. Petri. n.* 1.

HOdie Spíritus sanctus repentíno sónitu super discípulos venit, mentésque carnálium in suî amórem permutávit: & foris apparéntibus linguis ígneis, intùs facta sunt corda flammántia; quia dum Deum in ignis visióne suscípiunt, per amórem suáviter arsérunt. Ipse namque Spíritus sanctus amor est. Unde & Joannes dicit: Deus cháritas est. Qui ergo mente íntegrâ Deum desíderat, profectò jam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum dilígere, si eum quem díligit, non habéret. Sed ecce, si unusquisque vestrûm requirátur, an díligat Deum; to:â fidúciâ & secúrâ mente respondet, Diligo. In ipso autem lectiónis exórdio audístis quid Véritas dicat: Si quis díligit me, sermónem meum servábit. Probátio ergo dilectiónis, exhibítio est óperis. Hinc in Epístola sua idem Joannes dicit: Qui dicit, Díligo Deum, & mandáta ejus non custódit, mendax est. Verè étenim Deum dilígimus, si ad mandáta ejus nos à nostris voluptátibus coarctámus. Nam qui adhuc per illícita desidéria diffluit, profectò Deum non amat; quia ei in suà voluntáte contradícit.

℟. Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, terra mota est; * Etenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínaï, † A fácie Dei Israël, allelúia. *Ps.* 67. 8. 9. ℣. Grátia magna erat in ómnibus illis. *Act.* 21. 33. * Etenim. ℣. Glória. † A fácie. *Resumit.* Deus. Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Spíritus tuus bonus dedúcet me, ℟. In terram rectam. *Ps.* 142. 10.

Psalmi de Dominica.

Ant. 3. a. CUm compleréntur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco, allelúia. *Act.* 2. 1.

Ant. 5. a. Apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, allelúia. *Act.* 2. 3.

Ant. 7. d. Convénit multitúdo, & mente confúsa est, quóniam audiébat unusquisque linguâ suâ illos loquentes, allelúia. *Act.* 2. 6.

Ant. 6. F. Dómine, da servis tuis.

Canticum novorum Fidelium.

Act. 4. 24.

DOmine, tu es qui fecisti cœlum & terram, * mare, & ómnia quæ in eis sunt;

Qui Spíritu sancto * per os patris nostri David, púeri tui, dixisti:

Quare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum & adversùs Christum ejus.

Convenérunt enim verè in civitáte ista * adversùs sanctum púerum tuum Jesum quem unxisti,

Heródes & Póntius Pilátus, * cum géntibus & pópulis Israël:

Fácere quæ manus tua & consílium tuum * decrevérunt fieri.

Et nunc, Dómine, réspice * in minas eórum;

Et da servis tuis * cum omni fidúcia loqui verbum tuum:

In eo quòd manum tuam extendas * ad sanitátes;

Et signa & prodígia fieri * per nomen sancti Fílii tui Jesu.

Et cùm orassent, motus est locus in quo erant congregáti; * & repléti sunt omnes Spíritu sancto.

Glória Patri, &c.

Ant. Dómine, da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, allelúia. *Act.* 4. 29.

Ant. 8. G. Stupébant omnes, & mirabantur ad ínvicem, allel. *Act.* 2. 12.

Capitulum. Act. 2. v. 7. 8.

MIrabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quómodo nos audívimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?

Hymnus.

VENI, superne Spíritus,
Cœleste méntium jubar,
Benigne páuperum pater,
Munus, datorque múnerum.
Tu cordis hospes óptimus,

Dulcis labórum tu quies;
Tu flétibus quos élicis,
Divina misces gáudia.
O VERITATIS Spíritus,
Fons sanctitátis, quo sine
A labe nullus integer,
Imple tuo nos Númine!
VENI, lava cor sórdidum,
Siccum riga, durum doma;
Redux vagantes, frigidos
Accende, sana sáucios.
ADESTO te vocántibus;
Largíre septem múnera:
Pugnáre da, da víncere;
Victóribus da prǽmium.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

℣. Emittes Spíritũ tuum, & creabuntur; ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Ps.* 103. 30.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Déxterâ Dei exaltátus Jesus, & promissióne Spíritûs sancti acceptâ à Patre, effũdit hunc, allelúia. *Act.* 2. 33.

Oratio, Deus qui. 497.

AD HORAS, in fine Hymnorum Doxol. Qui nos creávit laus Patri, &c. *ut in Psalterio.*

Psalmi de Dominica, Antiphona de Laud.

AD PRIMAM.

Ant. 3. a. Cùm complerentur.

Capitulum. Act. 2. 16. 17.

HOc est quod dictum est per prophétam Joël, & erit in novíssimis diébus, dicit Dóminus: effundam de spíritu meo super omnem carnem.

In ℟. *br.* ℣. Qui de Spíritu tuo dedísti nobis. 1. *Joan.* 4. 13. * Allel.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *Tit.* 20.

NOs pro igne visíbili, qui die Pentecostes super Apóstolos appáruit, óleum sanctum, matériam nempe ignis, ex Apostolórum traditióne ad confirmandum adhibémus, eóque frontes confirmandórum signantur; ne púdeat eos crucem Christi palàm & apertè profitéri, & in fronte sicut & in corde gestáre.

AD TERTIAM.

Loco Hymni, O fons, *hodie & per Octav. dicitur.*

Hymnus.

VEni, creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita;
Imple supernâ grátiâ,
Quæ tu creásti péctora.
QUI Paraclétus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et spiritális únctio.
TU septiformis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promíssũ Patris,
Sermóne

Sermóne ditans gúttura.
ACCENDE lumen sénsibus,
Infunde amórem córdibus,
Infirma nostri córporis,
Virtúte firmans pérpeti.
HOSTEM repellas lóngiùs,
Pacemque dones prótinùs,
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
PER te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Filium,
Te utriusque Spíritum,
Credámus omni témpore.
SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus. Amen.

Ant. 5. a. Apparuérunt illis.

Capitulum. Tit. 3. v. 5. 6.

DEus secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum.

℟. *br.* Magnificávit Dóminus fácere nobíscum, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Magnificávit. ℣. Facti sumus lætantes. *Ps.* 125. 3. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Magnificávit.

℣. Benedictus Dóminus ex Sion, ℟. Qui hábitat in Jerúsalem. *Psalm.* 134. 21.

Orémus. *Oratio.*

DEus, qui hodiernâ die corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuisti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére; Per Dóminum..... in unitáte ejusdem Spíritûs sancti.

Hæc Oratio dicitur ad Horas sequentes.

AD SEXTAM.

Ant. 7. d. Convénit.

Capitul. Act. 2. v. 46. 47.

SUmébant cibum cum exultatióne & simplicitáte cordis, collaudantes Deum, & habentes grátiam ad omnem plebem: Dóminus autem augébat, qui salvi fierent quotídiè in idipsum.

℟. *br.* Auxit pópulum suum vehementer, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Auxit. ℣. Et firmávit eum super inimícos ejus. *Psal.* 104. 24. * Allelúia. ℣. Glória. *Rep.* Auxit.

℣. Benedixit eis, ℟. Et multiplicáti sunt nimis. *Psal.* 106. 38.

AD NONAM.

Ant. 8. G. Stupébant.

Capitul. Act. 4. v. 31. 32.

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, & loquebantur verbum Dei

cum fidúcia. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum & ánima una.

℟. *br.* Ecce quàm bonum & quàm jucundum, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Ecce. ℣. Habitáre fratres in unum, * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Ecce quàm.

℣. Illic mandávit Dóminus benedictiónem, ℟. Et vitam usque in séculum. *Ps.* 132. *v.* 1. 3.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 5. C. In misericórdiis tuis multis, Deus, Spíritum tuum bonum dedisti, allelúia. 2. *Esdr.* 9. *v.* 19. 20.

Ant. 6. F. Dóminus Deus noster pépigit nobiscum fœdus, allelúia. *Deut.* 5. 2.

Ant. 4. E. Non cum pátribus nostris íniit pactum, sed nobiscum, qui in præsentiárum sumus & vivimus, allelúia. *Deut.* 5. 3.

Ant. 7. a. Unxit nos Deus, & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris, allelúia. 2. *Cor.* 1. 21. 22.

Ant. 3. a. Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei, allelúia. *Rom.* 8. 16.

Capitul. Ephes. 3. *v.* 16. 17.

DEt vobis Deus secundùm divítias glóriæ suæ corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

Hymnus.

QUò vos Magistri glória, quò salus
Invítat orbis, sancta cohors, Dei
Portáre verbum, vos reposcit
Prima seges, pia cura fratrum.

PROH! quanta messis prótinus éxtitit!
Ter mille verbum concípiunt viri:
Deóque maturante, reddunt
Multíplicem, bona terra, fructum.

COMPUNCTA passim péctora flétibus
Mœrent amáris, atque piáculo
Ardent salutáris lavácri
Prætéritas abolére labes.

JAM mille divûm templa solo ruunt:
Cedit superbæ vis sapiéntiæ:
Cedunt tyranni: victa cedit
Carníficum rábies furentûm.

NOVUM potentis grátia Spíritûs
Creávit orbem: nos quoque, nos tuæ
Succendat ardor charitátis,

Alme Deus, renovetque totos.

Sit summa Patri, summaque Filio;
Sit, sancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo dura mitescunt, novasque
Concípiunt pia corda flammas. Amen.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, ℟. A templo tuo in Jerúsalem. *Ps.* 67. *v.* 29. 30.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Non Spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis, allelúia. 1. *Cor.* 2. 12.

Oratio, ut suprà ad Tertiam.

AD COMPLETOR.

Psalmi de Dominica, & sic per Octavam cum Antiph. sequenti.

Ant. 7. d. Ductor eórum fuisti, Dómine, per diem & per noctem, & Spíritum tuum bonum dedisti, qui docéret eos, allelúia. 2. *Esdr.* 9. 12. 20.

Hymnus.

Adsis, supréme Spíritus,
In nocte sis lux méntium,
Fons veritátis, córdium
Optáta sis pax & quies.

Da per quiétem nóxias
Mens vincat umbras críminis,
Tuóque plenum Númine
Cor charitáte férveat.

Qui flétibus quos élicis,
Divina misces gáudia;
Jam sis orígo flétuum,
Ut sis perennis gáudii.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus. Amen.

Capitulum. Is. 26. *v.* 8. 9.

Nomen tuum & memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte, & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. *Repet.* In manus, &c.

Ad Nunc dimittis *Ant.* 6. F. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! allelúia. *Sap.* 12. 1.

Orémus. *Oratio.*

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut mentes nostras per hanc noctem illustret splendor tui Spíritûs, & in tuo amóre corda confirmet: Per Dóminum ..... in unitáte ejusdem.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
Pentecostes.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

AD NOCT. habentur Lectiones & Responsoria pro unoquoque die.

AD LAUDES, Antiphonæ & Psalmi cum Cantico de Die; Ant. ad Benedictus *& Oratio, infrà, in quolibet die.*

AD HORAS, ut in die præter Orationem, & Canonem.

AD VESPERAS, Antiphonæ, Psalmi, &c. ut in Die; ad Magníf. *Ant. & Oratio, infrà, in quolibet die.*

AD COMPLETORIUM, *ut in die.*

FERIA SECUNDA.

Duplex-majus.

AD OFFICIUM NOCT.

Sermo beáti Petri Apóstoli ad Judæos.

LECTIO I. *Act.* 2. 14.

Prophetia Joel impleta.

VIri Judæi & qui habitátis Jerúsalem univérsi, hoc vobis notum sit, & áuribus percípite verba mea. Non enim, sicut vos æstimátis, hi ébrii sunt, cùm sit hora diéi tértia: sed hoc est, quod dictum est per prophétam Joël: Et erit in novíssimis diébus (dicit Dóminus) effúndam de Spíritu meo super omnem carnem: & prophetábunt filii vestri & fíliæ vestræ: & júvenes vestri visiónes vidébunt, & senióres vestri sómnia somniábunt. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diébus illis effúndam de Spíritu meo, & prophetábunt: Et dabo prodígia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sánguinem, & ignem, & vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, & luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus & manifestus. Et erit: Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum: & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles; * Quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est, allelúia. *Act.* 10. *v.* 44. 45. ℣. Non est apud Dóminum Deum nostrum personárum accéptio. 2. *Paralip.* 19. 7. * Quia.

Ex Apológia sancti Justíni Mártyris, ad Antonínum Imperatórem & Senátum.

LECTIO II.

Scripta anno 150.

FUtúra prædicens Spíritus sanctus, ita lóquitur: Ex Sion exibit

lex, verbumque Dómini Hierosólymis; atque ita factum esse crédere potestis. Hierosólymis enim duódecim viri número in mundum exiérunt, iíque ignári & idiótæ, nulláque dicendi facultáte prædíti, vi divínâ omni hóminum géneri exposuérunt, missos se esse à Christo, qui omnes Dei verbum docérent. Ac nos qui quondam mútuis cædibus nosmetipsos contaminabámus, non modò non gérimus bellum cum inimícis & hóstibus, sed étiam, ne mentiámur, eosque qui nos quærunt, captémus & fallámus, libenter Christum confiténtes, mortem appétimus. Poterámus enim id quod fertur: Jurávit lingua; mentem injurátam gero . . . . Nos autem qui immortalitátis cupiditáte dúcimur, non póssumus non perferre ómnia, ut ea quæ cupímus, ab eo qui dare potest, consequámur.

℟. Spíritus in quo clamámus, Abba, Pater, * Testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei, allelúia, allelúia. *Rom.* 8. *v.* 15. 16. ℣. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! *Sap.* 12. 1. * Testimónium.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 3. 16.
Filius Dei missus ad salvandum mundum.

IN illo témpore; Dixit Jesus Nicodémo: Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis qui credit in eum, non péreat; sed hábeat vitam ætérnam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 12. *in Joan.*

QUantùm in médico est, sanáre venit ægrótum. Ipse se intérimit, qui præcepta médici observáre non vult. Venit Salvátor in mundum. Quare Salvátor dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut júdicet mundum? Salvári non vis ab ipso? ex te judicáberis. Et quid dicam, judicáberis? vide quid ait: Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, quid dictúrum speras, nisi, judicátur? quod addit: Jam, inquit, judicátus est. Nondum appáruit judícium, & jam factum est judícium. Novit enim Dóminus qui sunt ejus: novit qui permáneant ad corónam, qui permáneant ad flammam: novit in área sua tríticum, novit

& páleam : novit ségetem, novit & zizánia. Jam judicátus est, qui non credit. Quare judicátus? quia non crédidit in nómine unigéniti Filii Dei. Hoc est autem judícium : quia lux venit in mundum, & dilexérunt hómines magis ténebras, quàm lucem; erant enim mala ópera eórum.

℟. Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua; quia dixisti, & facta sunt; * Misísti Spíritum tuum, & creáta sunt, allelúia. *Judith.* 16. 17. ℣. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdótes. *Ap.* 15. 10. * Misísti. ℣. Glória. * Misísti.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret : ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam, allel. *Joan.* 3. 16.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui Apóstolis tuis sanctum dedisti Spíritum : concéde plebi tuæ piæ petitiónis efféctum; ut quibus dedisti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 20.

Vita hóminis milítia est super terram, ut habet Scriptúra : ídeò quotquot per Baptísmum regeneráti sunt ad vitam, confirmándi sunt ad pugnam, quod consecúti sunt Apóstoli in die Pentecostes.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Omnis qui malè agit, odit lucem : qui autem facit veritátem, venit ad lucem; ut manifesténtur ópera ejus, quia in Deo sunt facta, allelúia. *Joan.* 2. *v.* 20. 21.

FERIA TERTIA.

Duplex-majus.

AD OFFICIUM NOCT.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 36.

Tria millia accipiunt Spiritum.

Certíssimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dóminum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. His autem audítis, compúncti sunt corde, & dixérunt ad Petrum, & ad réliquos Apóstolos : Quid faciémus, viri fratres? Petrus verò ad illos : Pœniténtiam (inquit) ágite, & baptizétur unusquisque vestrûm in nómine Jesu Christi, in remissiónem peccatórum vestrórum : & accipiétis donum Spíritûs sancti. Vobis enim est repromíssio, & filiis vestris, & ómnibus qui longè

sunt, quoscumque advocâverit Dóminus Deus noster: áliis étiam verbis plúrimis testificátus est, & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne ista prava. Qui ergo recepérunt sermónē ejus, baptizáti sunt: & appósitæ sunt in die illa ánimæ círciter tria míllia.

℟. Confirmat nos Deus in Christo, * Et signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris, allelúia, allel. 2. *Cor.* 1. *v.* 21. 22. ℣. Dóminus Deus noster pépigit nobíscum fœdus. *Deut.* 5. 2. * Et signávit nos.

Ex História Ecclesiástica Eusébii Cæsariensis Epíscopi.

LECTIO II. *Lib.* 3. *C.* 1.

Apóstoli & discípuli Dómini ac servatóris nostri per universum orbem dispersi Evangélium prædicábant. Et Thomas quidem, ut à majóribus tráditum accépimus, Párthiam sortítus est; Andréas verò Scythiam; Joanni Asia obvénit, qui plúrimum témporis in ea commorátus, Ephesi tandem diem óbiit. At Petrus per Pontum, Galátiam, Bithyniam, Cappadóciam atque Asiam, Judæis qui in dispersióne erant, prædicasse existimátur; qui ad extrémum Romam véniens cruci suffixus est, cápite deorsùm demisso; sic enim ut in cruce collocarétur, oráverat. De Paulo jam quid áttinet dícere, qui ab Jerosólymis usque ad Illyricum, munus evangélicæ prædicatiónis implévit. Ac postremò Romæ sub Neróne martyrio perfunctus est. Hæc Orígenes in tértio volúmine expositiónū in Génesim disertis verbis commémorat.

℟. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet: * In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, & ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis, allelúia, allelúia. 1. *Joan.* 4. *v.* 12. 13. ℣. In misericórdiis tuis multis, Deus, Spíritum tuum bonum dedisti. 2. *Esd.* 9. *v.* 19. 20. * In hoc.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *C.* 10. 1.

Christus ostium.

In illo témpore; Dixit Jesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro. Qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 45. in Joan.

DOminus de grege suo, & de óstio quo intrátur ad ovíle, similitúdinem propósuit in hodierna lectióne. Dicant ergo Pagáni: Benè vívimus. Si per óstium non intrant, quid prodest eis? unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuíque prodesse benè vívere, ut detur illi semper vívere: nam cui non datur semper vívere, quid prodest benè vívere? Quia nec benè vívere dicendi sunt, qui finem benè vivendi vel cæcitáte nésciunt, vel inflatióne contemnunt. Non est autem cuíquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus, & per jánuam intret in ovíle. Ecce ipsi Pharisæi legébant, & in eo quod legébant, Christum sonábant; ventúrum sperábant, & præsentem non agnoscébant. Jactábant se étiam ipsi inter videntes, hoc est, inter sapientes; & negábant Christum, & non intrábant per óstium. Ergo & ipsi, si quos fortè sedúcerent, mactandos & occidendos, non liberandos sedúcerent. Et hos dimittámus: videámus illos, si fortè ipsi intrant per óstium, qui ipsíus Christi nómine gloriántur. Innumerábiles enim sunt, qui se videntes non solùm jactant, sed à Christo illumináros vidéri volunt; sunt autem hærétici. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Repléti sunt omnes, Spíritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia; * Multitúdinis autem † Credéntium erat cor unum & ánima una, allelúia. *Act.* 4. 31. 32. ℣. Facta est manus Dómini ut daret eis cor unum. 2. *Par.* 30. 12. * Multitúdinis. ℣. Glória Patri. † Credéntium erat cor unum.

Ad Benedict. *Ant.* 2. a. Oves vocem ejus áudiunt; & próprias oves vocat nominátim & edúcit eas, allelúia. *Joan.* 10. 3.

Orémus. *Oratio.*

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur advérsis; Per Dóminum ..... in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus.

CANON.

Ex Concílio Rhemensi.

An. 1583. *tit. de Conf. n.* 1.

QUamvis unusquisque per Baptismum catálogo fidélium sit adscrip-

tus, ad diáboli tamen, carnis, mundíque tentatiónes perferendas ac superandas, nonnisi per impositiónem mánuum Episcopórum plus róboris & grátiæ récipit.

Ad Magnif. *Ant.* 1. f. Oves illum sequuntur; quia sciunt vocem ejus, allelúia. *Joan.* 10. 4.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM.

Duplex-minus.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 2. *v.* 42.

Mores post acceptum Spiritum.

ERant autem perseverantes in doctrína Apostolórum, & communicatióne fractiónis panis, & oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & signa per Apóstolos in Jerúsalem fiébant, & metus erat magnus in universis. Omnes étiam qui credébant, erant páriter, & habébant ómnia commúnia. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuique opus erat. Quotídie quoque perdurantes unanímiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumébant cibum cum exultatióne, & simplicitáte cordis, collaudantes Deum, & habentes grátiam ad omnem plebem. Dóminus autem augébat qui salvi fierent quotídie in idipsum.

℟. Cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum: & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles; * Quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est, allel. *Act.* 10. *v.* 44. 45. ℣. Non est apud Dóminum Deum nostrum personárum accéptio. 2. *Paral.* 19. 7. * Quia.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II.

Sermo 1. *de jejunio Pentecostes.*

HOdiernam, dilectíssimi, festivitátem descensióne sancti Spíritûs consecrátam séquitur, ut nostis, solemne jejúnium, quod ánimis corporibúsque curandis salúbriter institútum, devótâ nobis est observántiâ celebrandum. Replétis namque Apóstolis virtúte promissâ, & in corda eórum Spíritu veritátis ingresso, non ambígimus inter cætera cœlestis Sacramenta doctrínæ, hanc spirituális continéntiæ disciplínam de Paracléti magistério primitùs fuisse conceptam: ut sanctificátæ jejúnio mentes conferendis sibi charismátibus fierent ap-

tióres. Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honórem Dómini à mórtuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis exégimus, postque perceptũ sancti Spíritûs donum, salúbriter & necessárie consuetúdo est ordináta jejúnii: ut si quid fortè inter ipsa festivitátum gáudia négligens libertas & licéntia inordináta præsúmpsit; hoc religiósæ abstinéntiæ censúra castiget: quæ ob hoc quoque studiósiùs exequenda est; ut illa in nobis, quæ hâc die Ecclésiæ divínitùs sunt colláta, permáneant. Templum enim facti Spíritûs sancti & majóre quàm unquam cópiâ divíni flúminis irrigáti, nullis debémus concupiscéntiis vinci, nullis vítiis possidéri, ut virtútis habitáculũ nullâ sit contaminatióne pollútum. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

℟. Spíritus in quo clamámus, Abba, Pater, * Testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei, allelúia, allelúia. *Rom.* 8. *v.* 15. 16. ℣. O quàm bonus & suávis est Spíritus tuus in ómnibus! *Sap.* 12. 1. * Testimónium reddit spirítui nostro.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

Lectio III. *Cap.* 6. 44.

Tracti & docti à Patre.

IN illo témpore: Dixit Jesus Judæis: Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me, tráxerit eum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 26. *in Joan.*

NOli cogitáre te invítum trahi: tráhitur ánimus & amóre. Nec timére debémus, ne ab homínibus, qui verba perpendunt, & à rebus máximè divínis intelligendis longè remóti sunt, in hoc Scripturárum sanctárum Evangélico verbo fórsitan reprehendámur, & dicátur nobis: Quómodò voluntáte credo, si trahor? Ego dico: Parùm est voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid est, trahi voluptáte? Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. Est quædam volúptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poétæ dícere lícuit: Trahit sua quemque volúptas; non necéssitas, sed volúptas; non obligátio, sed delectátio: quantò fórtiùs nos dícere debémus trahi hóminem ad Christum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitú-

dine, delectátur justítiâ, delectátur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est? An verò habent córporis sensus voluptátes suas, & ánimus deséritur à voluptátibus suis? Si ánimus non habet voluptátes suas, unde dícitur: Fílii autem hóminum sub tégmine alárum tuárum sperábunt: inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, & torrente voluptátis tuæ potábis eos: quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen? Da amantem, & sentit quod dico: da desiderantem, da esurientem, da in ista solitúdine peregrinantem, atque sitientem, & fontem ætérnæ pátriæ suspirantem: da talem; & scit quid dicam.

℟. Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua: quia dixisti, & facta sunt; * Misisti Spíritum tuum, & creáta sunt, allelúia. *Judith.* 16. 17. ℣. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdótes. *Ap.* 15. 10. * Misisti. ℣. Glória. * Misisti.

Ad Benedict. *Ant.* 7. c. Est scriptum in prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei, allelúia. *Joan.* 6. 45.

Orémus. *Oratio.*

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem; Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Concílio Cloveshoviensi.

An. 747. *Cap.* 18.

JEjuniórum Témpora, id est, quarti, séptimi, & décimi mensis nullus neglígere præsúmat; sed ante horum inítia per síngulos annos admoneátur plebs, quátenùs legítima universális Ecclésiæ sciat atque obsérvet jejúnia.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Non Patrem vidit quisquã, nisi is qui est à Deo; hic vidit Patrem, allelúia. *Joan.* 6. 46.

FERIA QUINTA.

Duplex-minus.

AD OFFICIUM NOCT.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 4. *v.* 31.

Bona sunt communia.

CUm orassent, motus est locus, in quo erant congregáti: & repléti sunt omnes Spíritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum & ánima una: nec quisquam eórum, quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat; sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ

reddébant Apóstoli testimónium Resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apostolórũ. Dividebátur autem síngulis prout cuique opus erat. Joseph autem, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis (quod est interpretátum Fílius consolatiónis) Levítes, Cyprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum.

℟. Confirmat nos Deus in Christo, * Et signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Deus noster pépigit nobiscum fœdus. *Deut.* 5. 2. * Et signávit.

Ex história Ecclesiástica Eusébii Cæsariensis Epíscopi.

LECTIO II. *lib.* 2. *c.* 3.

OPitulante cœlesti virtúte, salutáris Dei sermo tamquam solis rádius universum terrárum orbem súbitò illustrávit, & prout in sacris lítteris prædictum fúerat, in omnem terram exívit sonus Evangelistárum simul & Apostolórum, & usque ad fines terræ verba eórum. Per omnes ígitur civitátes & vicos, Ecclésiæ infinitâ hóminum multitúdine abundantes, velut áreæ quædam frúgibus refertæ, brevì congregátæ sunt. Et qui propagato à majóribus erróre, superstitióso dæmonum cultu, quasi vetusto quodam morbo constricti tenebantur: hi Christi virtúte, per prædicatiónem simul & mirácula discipulórum ipsius, tamquam à sævissimis dóminis liberáti, & gravissimis vínculis solúti, deórum quidem turbam à dæmónibus invectam respuébant; unum autem Deum esse ómnium rerum opíficem confitebantur. Quem quidem sacris veræ pietátis rítibus, per divínam modestamque religiónem, quam Servátor noster in humánum genus invéxerat, colébant.

℟. Si diligámus invícem, Deus in nobis manet; * In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, & ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis, allelúia, allelúia. 1. *Joan.* 4. *v.* 12. 13. ℣. In misericórdiis tuis multis, Deus, Spí-

ritum tuum bonum dedisti. 2. *Esdr.* 9. *v.* 19. 20. * In hoc.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 9. *v.* 1.

Apostolorum missio.

IN illo témpore; Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De Civit. Dei. Lib. 22. *Cap.* 5.

TRia sunt incredibília, quæ tamen facta sunt. Incredíbile est Christum resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne. Incredíbile est mundum rem tam incredíbilem credidisse. Incredíbile est hómines ignóbiles, ínfimos, paucíssimos, imperítos rem tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis persuadére potuisse. Horum trium incredibílium primum nolunt isti cum quibus ágimus, crédere: secundum coguntur & cérnere; quod non invéniunt unde sit factum, si non credunt tértium. Resurréctio certè Christi, & in cœlum cum carne in qua resurrexit ascénsio, toto jam mundo prædicátur & créditur: si credíbilis non est, unde toto terrárum orbe jam crédita est? Si multi nóbiles, sublímes, docti, eam se vidisse dixérunt, & quod vidérunt diffamáre curárunt, eis mundum credidisse non mirum est; sed istos adhuc crédere nolle perdúrum est. Si autem, ut verum est, paucis, obscúris, mínimis, indoctis eam se vidisse dicéntibus & scribéntibus, crédidit mundus; cur pauci obstinatíssimi, qui remansérunt, ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt?

℞. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia; * Multitúdinis autem † Credéntium erat cor unum & ánima una, allelúia. *Act.* 4. *v.* 32. 33. ℣. Facta est manus Dómini ut daret eis cor unum. 2. *Par.* 30. 12. * Multitúdinis. ℣. Glória. † Credéntium.

Ad Benedict. *Ant.* 8. G. Dedit Apóstolis Jesus virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent, allelúia. *Luc.* 9. 1.

Orémus. *Oratio.*

ANnue, miséricors Deus, ut, qui divína præcepta violando, à

Paradísi felicitáte decídimus; duce Spíritu Sancto, ad ætérnæ beatitúdinis redeámus ascensum per mórum custódiam mandatórum; Per Dóminum .... in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. An. 1584. tit. 20. de Confirm. Can. 4. & 8.

NOn offerantur ad Sacramentum Confirmatiónis, nisi qui séptimum annum attígerint, ut symbolum fidei profitéri per se possint. Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus Sacramenti susceptiónem peccáta confiteantur.

Ad Magníf. *Ant.* 1. f. Egressi Apóstoli, circuíbant per castella, evangelizantes & curantes ubíque, allelúia. *Luc.* 9. 6.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

Duplex-minus.

AD OFFICIUM NOCT.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 8. *v.* 14.

Samaritani accipiunt Spiritum Sanctum.

CUm audissent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quòd recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cùm venissent, oravérunt pro ipsis ut acciperent Spíritum Sanctum: nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, & accipiébant Spíritum Sanctum. Cùm vidisset autem Simon, quia per impositiónem manûs Apostolórum darétur Spíritus Sanctus, óbtulit eis pecúniam, dicens: Date & mihi hanc potestátem, ut cuicumque imposúero manus, accipiat Spíritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecúnia tua tecum sit in perditiónem; quóniam donum Dei existimasti pecúniâ possidéri. Non est tibi pars, neque sors in sermóne isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœniténtiam ítaque age ab hac nequítia tua, & roga Deum, si fortè remittátur tibi hæc cogitátio cordis tui. In felle enim amaritúdinis, & obligatióne iniquitátis vídeo te esse. Respondens autem Simon, dixit: Precámini vos pro me ad Dóminum, ut nihil véniat super me horum quæ dixistis. Et illi quidem testificáti & locúti verbum Dómini, redíbant Jerosólymam, & multis regiónibus Sa-

maritanórum evangelizábant.

℟. Cécidit Spíritus Sanctus super omnes qui audiébant verbum : & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles , * Quia & in natiónes grátia Spíritûs Sancti effúsa est , allelúia. *Act.* 10. *v.* 44. 45. ℣. Non est apud Dóminum Deum nostrum personárum accéptio. 2. *Paral.* 19. 7. * Quia & in natiónes.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II.

De Jejunio Pentecostes. Serm. 2.

CUm in die Pentecostes , quem à Pascha Dómini quinquagésimum celebrámus , promissus à Dómino Spíritus Sanctus expectántium mentes majóri quàm umquam cópiâ , & clarióre præséntiâ suæ majestátis impléverit : manifestíssimè patet inter cætera Dei múnera , jejuniórum quoque grátiam , quæ hodiernam festivitátem indivísa subséquitur , tunc fuisse donátam ; ut sicut fuit concupiscéntia inítiũ peccatórum , ita sit continéntia orígo virtútum. Agnoscat ergo Cathólicus Christiánus sanctitátem jejúnii sui, quod étiam inter máximas largitátes sterilíssimum erit , nisi de Sancti Spíritûs rigatióne processerit. Cum enim dicat Apóstolus nullas sibi virtútes sine charitáte prodesse , idemque dicat charitátem Dei diffúsam esse in córdibus nostris per Spíritum Sanctum qui datus est nobis ; cavendum est ne bona quæ fácere sine charitáte non póssumus , elatióne perdámus. Nam omni se méritò laude dispóliat , qui de stúdiis indústriæ suæ in se magis quàm in Dómino gloriátur.

℟. Spíritus in quo clamámus , Abba , Pater , * Testimónium reddit spirítui nostro , quòd sumus filii Dei , allelúia , allelúia. *Rom.* 8. *v.* 15. 16. ℣. O quàm bonus & suávis est Spíritus tuus in ómnibus ! *Sap.* 12. 1. * Testimónium.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 5. 17.

Paralyticus.

IN illo témpore ; Factum est in una diérum , & Jesus sedébat docens. Et erant Pharisæi sedentes , & legis doctóres , qui vénerant ex omni castello Galilææ , & Judææ , & Jerúsalem : & virtus Dómini erat ad sanandum eos. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. Cap. 8. n. 6.

MOvet Scribas remíssum ab hómine peccátum: hóminem enim tantùm in Jesu Christo contuebántur. Et remíssum est ab eo, quod lex laxáre non póterat; fides enim sola justíficat. Deinde murmuratiónem eórum Dóminus introspicit, dicítque fácile esse Fílio hóminis in terra peccáta dimíttere. Verùm enim nemo potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus: ergo qui remittit, Deus est. Quia nemo remittit nisi Deus, Deus in hómine manens, curatiónem hómini præstábat: & nulla ei agendi & loquendi erat difficultas, cui subest totum posse quod lóquitur. Porrò autem ut ipse esse in córpore pósitus intélligi posset, qui & ánimis peccáta dimítteret, & resurrectiónem corpóribus præstáret, ait: Ut sciátis quóniam Fílius hóminis habet potestátem in terra dimíttere peccáta, ait Paralytico: Surge. Sed quia omnis erat perficiendi óperis rátio explicanda, adjécit: Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Primùm remissiónem tríbuit peccáti, dehinc virtútem resurrectiónis osténdit, tum sublatióne léctuli infirmitátem ac dolórem corpóribus dócuit abfutúram: postrémò réditu in domum própriam, iter in paradísum credéntibus esse redhibendum.

℟. Tibi, Dómine, sérviat omnis creatúra tua: quia dixísti, & facta sunt, * Misísti Spíritum tuum, & creáta sunt, allelúia. *Judith.* 16. 17. ℣. Fecísti nos Deo nostro regnum & sacerdótes. *Apoc.* 15. 10. * Misísti. ℣. Glória. * Misísti.

Te Deum.

Ad Benedict. *Ant.* 7. c. Fílius hóminis habet potestátem in terra dimittendi peccáta, allelúia. *Luc.* 5. 24.

Orémus. *Oratio.*

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut Sancto Spíritu congregáta, hostíli nullátenus incursióne turbétur; Per Dóminum. . . . in unitáte ejusdem.

CANON.

Ex Actis Ecclésiæ Mediolanensis.

Part. 4, *tit.* 11.

MOneátur pópulus, ut statis illis quátuor anni Tempóribus, & privátim in suis quisque ædibus, & públicè in Ecclésia oret; ad Litánias

convéniat, Deum precatúrus pro iis qui órdinis Sacramento initiantur.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Stupor apprehendit omnes, & magnificábant Deum, & repléti sunt timóre, dicentes : Quia vídimus mirabília hódie, allelúia. *Luc.* 5. 26.

SABBATO

QUATUOR TEMPORUM.

Duplex-minus.

AD OFFICIUM NOCT.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO I. *Cap.* 11. *v.* 4.

Spiritus Sanctus in gentes effusus.

INcípiens autem Petrus, exponébat illis órdinem, dicens : Ego eram in civitáte Joppe orans, & vidi in excessu mentis visiónem, descendens vas quoddam velut línteum magnum quátuor inítiis summitti de cœlo, & venit usque ad me. In quod íntuens considerábam, & vidi quadrupédia terræ, & béstias, & reptília, & volatília cœli. Audívi autem & vocem dicentem mihi : Surge, Petre, occíde, & mandúca. Dixi autem : Nequáquam, Dómine ; quia commúne aut immundum numquam introívit in os meum. Respondit autem vox secundò de cœlo : Quæ Deus mundávit, tu ne commúne díxeris. Hoc autem factum est per ter : & recepta sunt ómnia rursùm in cœlum. Et ecce viri tres conféstim astitérunt in domo, in qua eram, missi à Cæsaréa ad me. Dixit autem Spíritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venérunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. Narrávit autem nobis, quómodò vidisset Angelum in domo sua stantem & dicentem sibi : Mitte in Joppen, & accersi Simónem, qui cognominátur Petrus. Qui loquétur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Cùm autem cœpissem loqui, cécidit Spíritus Sanctus super eos, sicut & in nos in inítio. Recordátus sum autem verbi Dómini, sicut dicébat : Joannes quidem baptizávit aquâ ; vos autem baptizabímini Spíritu Sancto. Si ergo eamdem grátiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credídimus in Dóminum Jesum Christum : ego quis eram, qui possem prohibére Deum ? His audítis, tacuérunt : & glorificavérunt Deum, dicentes : Ergo & géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam.

℟. Confirmat nos Deus in Christo, * Et signávit nos, & dedit pignus Spíritus in córdibus nostris, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 1. *v.* 21. 22. ℣. Dóminus Deus noster pépigit nobiscum fœdus. *Deut.* 5. 2. * Et signávit.

Sermo sancti Leónis Papæ.

LECTIO II.

De Jejunio Pentec. Serm. 4.

AD hanc utilitátem nos, dilectíssimi, præsens tempus invítat; ut à resurrectióne Dómini usque ad adventum Spíritûs Sancti quinquaginta diébus emensis, quos in lætítia præcípuæ festivitátis exégimus, ad jejuniórum remédia recurrámus, ne fortè per occasiónem licéntiæ blandióris, áliquas negligéntiæ culpas delectabílium usus incíderit. Terra enim carnis nostræ, nisi assíduis fúerit subacta cultúris, citò de segni ótio spinas tribulosque prodúcit, & partu degéneri dabit fructum non hórreis inferendum, sed ígnibus concremandum, dicente Dómino: Omnis plantátio quam non plantávit Pater meus cœlestis, eradicábitur. Custodienda ígitur nobis ómnium gérminum seminumque generósitas, quam ex summi agrícolæ plantatióne concépimus, & vígili sollicitúdine providendum, ne Dei múnera áliquâ inimíci fraude violentur, & in paradíso virtútum concrescat silva vitiórum. Ad declinandum autem hoc malum; nihil est poténtius eleemósynis & jejúniis.

℟. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet; * In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus, & ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis, allelúia, allelúia. 1. *Joan.* 4. *v.* 12. 13. ℣. In misericórdiis tuis multis, Deus, Spíritum tuum bonum dedisti. 2. *Esdr.* 9. *v.* 19. 20. * In hoc.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO III. *Cap.* 4.

Dæmonium ejectum. Socrus Simonis.

IN illo témpore; Descendit Jesus in Caphárnaum civitátem Galilææ; ibíque docébat illos Sábbatis: & stupébant in doctrína ejus, quia in potestáte erat sermo ipsíus. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. Lib. 4. *n.* 57. 58. *&* 63.

VIde cleméntiam Dómini Salvatóris: nec

indignatióne commótus, nec scélere offensus, nec injúriâ violátus, Judæam déserit: quin étiam ímmemor injúriæ, memor cleméntiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spíritu nequítiæ liberátum antè præmísit, & substítuit féminæ sanitátem. Utrumque enim sexum Dóminus curatúrus advénerat: & prior sanári débuit, qui prior creátus est; nec prætermitti illa quæ mobilitáte magis ánimi, quàm pravitáte peccáverat. Sábbato medicínæ Domínicæ ópera cœpta signíficat; ut inde nova creatúra cœperit, ubi vetus ante desívit; nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem in ipso princípio designáret; nec solvi legem, sed impléri. Fortassis étiam in typo mulíeris illíus socrûs Simónis & Andréæ, váriis críminum fébribus caro nostra languébat, & diversárum cupiditátum immódicis æstuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris esse díxerim, quàm calóris. Itaque illa ánimum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avarítia est, febris nostra libído est, febris nostra ambítio est, febris nostra iracúndia est. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

℟. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia; * Multitúdinis autem † Credéntium erat cor unum & ánima una, allelúia. *Act.* 4. *v.* 32. 33. ℣. Facta est manus Dómini ut daret eis cor unum. 2. *Par.* 30. 12. * Multitúdinis. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. † Credéntium.

Te Deum.

Ad Benedíct. *Ant.* 4. *D.* Omnes qui habébant infirmos, ducébant illos ad Jesum: at ille síngulis manus impónens, curábat eos, allelúia. *Luc.* 4. 40.

Orémus. *Oratio.*

Mentibus nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benignus infunde; cujus & sapiéntiâ cónditi sumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum........ in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus.

CANON.

Ex Concilio Tridentino.

Sess. 23. de ref. Cap. 16.

Cum nullus débeat ordinári, qui judício sui Epíscopi non sit útilis aut necessárius suis Ecclésiis; sancta Synodus vestígiis sexti Cánonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in pósterum ordinétur, qui illi Ecclésiæ aut pio loco, pro cujus necessitáte, aut utilitáte assúmitur, non adscribátur; ubi suis fungátur munéribus, nec incertis vagétur sédibus. Quòd si locum inconsulto Epíscopo, deserúerit; ei Sacrórũ exercítium interdicátur.

Finitâ Nonâ, terminatur tempus Paschale.



PROPRIUM SANCTORUM.

PARS VERNA.

DIE VIII. FEBRUARII.
SANCTI JOANNIS de Matha, Presbyteri,
Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Tecum. ℣. Fructum. xxxj. *Orat.* Deus, *infrà*,

AD LAUDES, Ant. Obtulit. ℣. Prævenisti. xxxiv.

Oratio.

DEus, qui beáto Joanni Presbytero, ac sóciis ejus, zelum fidéles redimendi captívos infudisti: da servis tuis illam córporis & ánimæ libertátem, quâ Christus Fílius tuus nos liberávit; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs sancti Deus; Per omnia sécula seculórum.

DIE IX.
S. APOLLONIÆ, Virginis & Martyris,
Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Dóminum. ℣. Regnábit. xlvij. *Orat.* Deus, qui inter. lj.

AD LAUDES, Ant. Felix. ℣. Corónat. *Orat.* Deus, qui inter. lj.

DIE X.
S. SCHOLASTICÆ, Virginis,
Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Dóminum. ℣. Regnábit. xlvij. *Orat.* Omnípotens. lj.

AD LAUDES, Ant. Felix. ℣. Corónat. *Orat.* Omnípotens. lj.

DIE XI.
SANCTI BENEDICTI Anianensis Abbatis,
Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Assumpsit. ℣. Sperat. xxxvj. *Orat.* Omnípotens. xxxix.

AD LAUDES, Ant. Fide. ℣. Ascensiónes. *Orat.* Omnípotens. xxxix.

DIE XVIII.
S. SIMEONIS EPISC. Hierosolymitani, & Martyris,
Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Pro certo, ℣. Justus. vij. *Orat.* Omnípotens. xj.

LECTIO IV.

Ex libro quinto Commentariorum sancti Hegesippi Historiographi.

Euseb. Hist. Lib. 3.

Simeon, cognátus Dómini, filius Cléophæ, calúmniam passus ab Hæréticis, accusátus est coram Attico Consulári; & per plúrimos dies excruciátus, martyr effectus est: ita ut omnes suprámodum admirarentur, & ipse quoque Consuláris, quómodo is qui centum viginti annos attígerat, tália pertulisset. Tandem verò senténtiâ júdicis cruci affixus est. Ad hæc usque témpora Ecclésia virgo pura & incorrupta permansit, in obscúro adhuc recessu delitescéntibus quicumque rectam salutáris prædicatiónis régulam depraváre nitebantur. Postquam autem sacer Apostolórum chorus vário mortis génere extinctus est, effluxeratque jam ætas hóminum illórum qui divínam ipsam Sapiéntiā suis áuribus auscultáre meruerant; tunc demum exorta est ímpii erróris conspirátio, nullo vidélicet ámpliùs ex Apóstolis supérstite.

AD LAUDES, *Ant.* Vitâ. ℣. Justus. x. *Orat.* Omnípotens. xj.

DIE XXIV. aut XXV.

In Festo

S. MATTHIÆ, APOST.

Duplex-majus.

De Communi Apostolorum.

Si hoc Festum occurrerit Feriâ IV. cinerum, transfertur in Feriam V.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scriptura occurrente è duabus fiunt tres.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário S. Joannis Chrysóstomi in Actus Apostolórum.

LECTIO IV. *Hom. 3.*

In diébus illis, exurgens Petrus. Tamquam férvidus & tamquam is cui à Christo grex commissus fúerat, & tamquam chori princeps, ubíque primus íncipit loqui. Viri fratres, oportébat impléri scriptúram. Illud consídera quòd Petrus agit ómnia ex commúni senténtia, nihil ex auctoritáte, nihil cum império. Oportet ígitur ex viris nobiscum congregátis in omni témpore. Quamobrem commúnicat hoc negótium cum illis? ne delaberentur in contentiónem: nam si his ipsis hoc áccidit, multò magis accidisset illis. Proptereà ait, Viri fratres, oportet elígere è nobis. Multitúdini permittit judícium: simul eos qui eligebantur

reddens venerandos, & seipsum liberans ab ódio cæterórum. Ex quibus autem facienda sit eléctio, ipse interpretátur, dicens, Ex viris nobiscum congregátis in omni témpore: étenim si dixisset, Modestos oportet adesse; cæteros affecisset contuméliâ.

LECTIO V.

ET statuérunt duos: Joseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est justus; & Matthíam. Quare non multos? ne major fieret animórum dejéctio, neve res in multos distraherétur. Neque témerè Matthíam propónit; sed ostendens, frequenter eum qui apud hómines in prétio est, apud Deum esse inferiórem. Et verò omnes commúniter precantur, dicentes: Tu, Dómine, qui nosti corda ómnium, ostende. Tu, ínquiunt; non nos. Aptè córdium cognitórem appellant: hinc enim eléctio erat facienda, non ab exterióribus. Neque dixérunt, Elige; sed, Ostende electum, hoc est, quem tu elegisti; sciéntes ómnia præfiníta esse à Deo.

LECTIO VI.

ET dedérunt eis sortes. Nondum judicábant se esse idóneos ut rem ipsi sibi permítterent. Ideóque cúpiunt áliquo signo edocéri. Alióqui, si illic ubi nec erat precátio, neque viri probi, tantùm váluit sors eò quòd recto ánimo fíeret super Jona, multò magis hîc explévit chorum, ac perfécit órdinem. Nec alter ille dóluit: non enim celassent Apóstoli próprios defectus, qui de ipsis primóribus non vériti sunt dícere, quòd álibi commóti fúerint indignatióne: idque non semel, sed sæpiùs. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor, sed his tantùm qui principátum affectant. Si credis Dei esse electiónem, ne indignéris: illi enim indignáris, & irritáris adversùs illum. Ille est, qui elégit.

IN III. NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

LECTIO VII. *Cap.* 1. *v.* 15.

Deliberatur de eligendo Apostolo.

IN diébus illis, exurgens Petrus in médio fratrum dixit, (erat autem turba hóminum simul ferè centum viginti.) Viri fratres, oportet impléri scriptúram, quam prædixit Spíritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum: qui

connumerátus erat in nobis, & sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, & suspénsus crépuit médius; & diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem, ita ut appellarétur ager ille, linguâ eórum, Hacéldama, hoc est, ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commorátio eórum desérta, & non sit qui inhábitet in ea: &, Episcopátum ejus accípiat alter.

Lectio VIII. *v. 21.*

Eligitur Matthias.

Oportet ergo ex his viris qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens à baptísmate Joannis usque in diem quâ assumptus est à nobis, testem resurrectiónis ejus, nobiscum fieri unum ex istis. Et statuérunt duos, Joseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est justus; & Matthíam. Et orantes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde, quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus, & Apostolátus, de quo prævaricátus est Judas ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, & cécidit sors super Matthíam, & annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lect. IX. *Cap.* 19. *v.* 27.

Iis qui sequuntur Jesum merces promissa.

In illo témpore; Respondens Petrus, dixit Jesu: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Isräel. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalm. 86.

Sedébitis, inquit Christus, super duódecim sedes. Si duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, & non erit quómodo júdicet: & ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantùm, sed & Angelos. Respondéret ergo turba: Quid te jactas judicatúrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus, duódecim Apóstolos;

Apóstolos; unus cécidit Judas, in locum ipsius Matthías ordinátus est; implétus est duodenárius númerus sédium. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacramentum est cujusdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia: & ídeò, quia úndique venítur ad judicandum, duódecim sedes sunt: sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt.

Orémus.

DEus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociasti: tribue, quæsumus, ut ejus interventióne tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus; Per.

DIE XXVIII.

[*Anno Bissext.* DIE XXIX.]

SS. MARTYRUM, Qui obiêre in charitatis officio, erga pestilentiâ afflictatos Alexandriæ, *Commemoratio.*

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Exultábitis. ℣. Custódit. xiij. *Orat.* Da, quæsumus, *infrà.*

LECTIO IV.

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni Epíscopi, de peste quæ Alexándriæ grassabátur.

Apud Euseb. lib. 7. *c.* 22.

REpentè íngruit lues illa, quæ ómnium spem opinionemque superávit: neque enim à nobis abstínuit, licèt plúrimùm in Gentíles grassáta sit. Plúrimi ex frátribus nostris ob nímiam charitátem, curam omnem própriæ salútis abjicientes, dum ægros securè atque audacter invísunt, eisque assíduè ministrant, & curatiónem ádhibent, in Christo unà cum illis mórtui sunt, aliórum ægritúdini libentíssimè sese impendentes, & proximórum morbum in semetipsos quodámmodo attrahentes, doloresque eórum sponte suâ exprimentes atque extergentes. Et hoc quidem pacto óptimi quique ex frátribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diáconi, & ex pópulo laudatíssimus quisque mortem oppetiérunt; ádeò ut genus hoc mortis ob pietátem, fideíque constántiam, nequáquam inférius martyrio censeátur. Hi ergo Sanctórum córpora supínis mánibus gremióque excipientes, óculos illis, & ora claudentes, bajulantes éadem húmeris suis, componentes, adhærescentes illis, complectentes, & vestimentis ornantes, paulò post éadem officia ab áliis consecúti sunt, cùm supérstites

semper eorum qui præcésserant, vestigiis insísterent. Gentiles vero prorsus contraria his egérunt.

AD LAUDES, *Ant.* Lætitia. ℣. In te. xvj.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, qui frátribus dirâ lue afflictis cum vitæ dispéndio ministráre non timuérunt; nos eódem spíritu ferventes necessitátibus Sanctórum communicáre; Per Christum Dóminum nostrum.

FESTA MARTII.

DIE I.

SANCTI ALBINI,

Episcopi Andegavensis,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Elégit. ℣. Beatus. xix. *Oratio*, Da Ecclésiæ tuæ. xxiij.

AD LAUDES, *Ant.* Dedit. ℣. Memor. xxij. *Oratio*, Da Ecclésiæ. xxiij.

DIE VII.

SS. PERPETUÆ ET FELICITATIS,

Martyrum,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Timor Dómini cum eléctis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. *Eccli.* 1. 16.

℣. Firmamentum est Dóminus timéntibus eũ, ℟. Et testamentum ipsius ut manifestétur illis. *Ps.* 24. 14.

Oratio, Omnípotens, *ut infrà.*

AD LAUDES, *Ant.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fortia, & non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1. *v.* 27. 29.

℣. Firmamentum. *ut sup.*

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis ut fortia quæque confundas; da nobis, intercedéntibus beátis Martyribus tuis Perpétuâ & Felicitáte, ut spíritu tuæ veritátis armáti, mundum, sive blandiéntem, sive sævientem, víncere pro tui nóminis amóre valeámus; Per.

DIE IX.

SS. MARTYRUM,

Qui pro sacris Libris interiêre,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Exultabitis. ℣. Custódit. xiij.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut infrà*.

Ex Actis sanctórum Saturníni, Dativi, & aliórum plurimórum Mártyrum in Africa.

LECTIO IV.

Apud Ruinart, anno 304.

TEmpóribus Diocletiáni & Maximiáni, bellum diábolus Christiánis indixit isto modo, ut sacrosancta Dómini testamenta Scripturasque divínas ad exurendum péteret, Basílicas Domínicas subvérteret, & ritus sacros, cœtusque sanctíssimos celebrári Dómino prohibéret. Sed non tulit exércitus Dómini Dei tam immáne præceptum. Et quamvis tradendo Gentílibus Scriptúras Domínicas, atque testamenta divína profánis ígnibus comburenda cecidêre nonnulli; conservando tamen eas, & pro ipsis libenter suum sánguinem effundendo fórtiter finiêre quamplúrimi. Quique pleni Deo, devicto atque prostráto diábolo, victrícem palmam in passióne gestantes, senténtiam in traditóres, atque in eórum consortes, quâ illos ab Ecclésiæ communióne rejécerant cuncti Mártyres próprio sánguine consignábant. Fas enim non fúerat, ut in Ecclésia Dei simul essent Mártyres & traditóres.

AD LAUDES, *Ant.* Lætítia. ℣. In te. xvj.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, Deus miséricors, ut recolendo sanctos Mártyres, qui pótiùs elegérunt subire mortem, quàm Scriptúras sacras comburendas trádere, eórum æmulando fidem & constántiam, in ómnibus advérsis habeámus solátio sanctos Libros, qui sunt in mánibus nostris; Per.

DIE XVII.

SANCTI PATRICII, Episcopi.

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xix. *Oratio*, Quæsumus, *infrà*.

AD LAUDES, *Ant.* Dedit. ℣. Memor. xxij.

Oratio.

QUæsumus, Dómine, cleméntiam tuam, ut in hac die, quam tránsitu sacro beáti Pontíficis Patrícii consecrasti, des nobis illam sequi doctrínam quam ille & verbo dócuit, & ópere complévit; Per Christum.

DIE XVIII.

S. CYRILLI, EPISCOPI Jerosolymitani,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Antiph.* Elégit. ℣. Beá-

tus. xix. *Oratio*, Exaudi. *infrà.*

AD LAUDES, *Ant.* Dedit. ℣. Memor. xxij.

Orémus.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Cyrilli Pontificis festivitáte deférimus; & qui tibi dignè méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccátis; Per Christum.

DIE XIX.

In Festo

SANCTI JOSEPH, Sponsi Beatæ Mariæ.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Psalmi Feriales in toto Officio. Cætera ut in Communi unius Justi, exceptis quæ sequuntur.

Hymnus. S. V.

Regum progénies, Isácidum decus;
Festo te célebrent cármine cónjuges,
Certatimque ferant cándida vírgines
Sponso lília vírgini.

Tu, Joséphe, novi lux nova fœderis,
Tu custos sóciæ Vírginis integer,
Tu sanctæ thálamo cónjugis ábstinens,
Tu Christi tamen es pater.

Alto progéniem quàm benè créditam
Servas consílio depósitum Dei!
Tecum pervígiles cœlitùs Pater
Curas, juraque dividit.

Artus inválidum tu púerum foves,
Infantique Deo pábula sufficis;
Et formáta Dei, te sine, de tuis
Crescunt membra labóribus.

Sint qui mille tibi úndique pérsonent
Adventasse Deum, qui pópulos regat;
Tu commissa tibi non violábili
Velas sacra siléntio.

Sit laus summa Patri, summaque Filio;
Sit par alme tibi glória, Spíritus,
Qui fœcunda facis víscera Vírginis,
Illábens útero Deus.
Amen.

Oratio, Custódi, *ut infrà ad Laudes.*

Commemoratio Feriæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jesum Joseph súbditum * Veníte, adorémus. *Luc.* 2. 51.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus. S. V.

Matris intactæ venerande conjux,
Testis & custos nívei pudóris,
Quid Deo plenam meditáris anceps
Línquere sponsam?

ANXIUM cœlo tibi missus ales
Firmat; hinc Virgo tibi visa major:
Mente sedátâ, modò nascitúrum
Numen adóras.

VIX Puer natus, redit ecce præpes
Núntius patri: Fuge, dixit; Infans
Quæritur: matrem Puerumque tutas
Transfer in oras.

TU nihil contrà, per opáca noctis
Prótinus matrem Puerumque transfers;
Dírigit gressus, aperitque calles,
Dum silet, Infans.

ORA mox solvet; Sólymam per urbem
Quem dolens quæres, comitante matre,
Hunc senes inter, Púerum stupébis
Mira loquentem.

ANXIAS mentes, tenebrisque mersas
Christus illustret, Patris ipse splendor:
Nos inoffenso pede ducat astris,
Sémita factus.

NOSTRA te summum célebrent Parentem
Ora, te summo Génitum Parente;
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. & *Vers. ut in I. Noct. unius Justi.*

Lectiones de Scriptura occurrente in Quadragesima, è prima fiunt dua.

℟. *j.* Jacob génuit Joseph virum Maríæ * De qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matt.* 1. 16. ℣. Et nomen Vírginis María. *Luc.* 1. 27. * De qua.

℟. *ij.* Sapiéntia jucunditátem & exultatiónem thesaurisábit super illum, * Et nómine ætérno hæreditábit illum. *Eccli.* 19. 6. ℣. Super ómnia bona sua constítuet eum. *Matt.* 24. 47. * Et nómine.

℟. *iij.* Cùm esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, * Antequàm convenírent, † Inventa est in útero habens de Spíritu sancto. *Matth.* 1. 18. ℣. Quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. *v.* 20. * Antequàm. ℣. Glória. † Inventa.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Joseph autem vir ejus cùm esset justus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. *Matt.* 1. 19.

Ant. 3. a. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei. *Ibid.* 20.

Ant. 6. F. Páriet fílium; ipse salvum fáciet

populum suum. *Ibid.* 21.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36. 31.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Homilia 2. super Missus.

Lectio IV.

Conjice ex appellatióne quâ, licèt dispensatóriâ, méruit honorári à Deo, ut Pater Dei & dictus, & créditus sit; cónjice & ex próprio vocábulo quod Augmentum non dúbites interpretári, quis & qualis homo fúerit iste homo Joseph. Simul & meménto magni illíus quondam Patriarchæ vénditi in Ægypto: & scito ipsíus istum non solum vocábulum fuisse sortítum, sed & castimóniam adeptum, innocéntiam assecútum & grátiam.

℟. iv. Exurgens autem Joseph à somno,* Fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, & accépit uxórem suam. *Matt.* 1. 24. ℣. Mens justi meditátur obediéntiam. *Prov.* 15. 28. * Fecit.

Lectio V.

Siquidem ille Joseph, fraterna ex invidia vénditus & ductus in Ægyptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Joseph Herodiánam invidiam fúgiens, Christum in Ægyptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste dóminam suam, dómini sui matrem, vírginem agnoscens, & ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intellīgéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fieri atque partícipem cœléstium sacramentórum.

℟. v. Consurgens Joseph accépit Púerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum; * Et erat ibi usque ad óbitum Heródis. *Matt.* 2. 14. 15. ℣. Habitávit in Ægypto cum omni domo. *Gen.* 50. 22. * Et erat.

Lectio VI.

Ille frumenta servávit non sibi, sed omni pópulo: iste panem vivum è cœlo servandum accépit tam sibi quàm toti mundo. Non est dúbium quin bonus & fidélis homo fúerit iste Joseph, cui mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus & prudens, quem constítuit Dóminus suæ matris solátium, suæ carnis nutrítium; solum dénique in terris, magni consílii coadjutórem sibi fidelíssimum.

℟. vj. Invénit grátiam coram Dómino suo, &

ministrábat ei : * Præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domũ. *Gen.* 39. *v.* 46. ℣. Consurgens Joseph, accépit Púerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël. *Matt.* 2. *v.* 2. * Præpósitus. ℣. Glória. * Præpósitus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 3. c. Fecit quod rectum erat in conspectu Dómini. 3. *Reg.* 22. 43.

Ant. 1. f. Cùm requíreret Dóminum, dirêxit eum in ómnibus. 2. *Par.* 26. 5.

Ant. 7. d. Probátus, & perfectus est; erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31. 10.

℣. Prævenisti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Ps.* 19. 4.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

LECTIO VII. *Cap.* 4. *v.* 1.

Misit Deus filium suum.

QUanto témpore heres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum, factum ex mulíere, factũ sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. vij. Audiens Joseph, quòd Archeláüs regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illò ire; * Et admónitus in somnis, secessit in partes Galilææ. *Mat.* 2. 22. ℣. Dóminus erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat. *Gen.* 39. 23. * Et admónitus.

LECTIO VIII. *v.* 6.

Non sumus servi sed filii.

QUóniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius, & heres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natúrâ non sunt Dii, serviebátis. Nunc autem cùm cognovéritis Deum, immò cógniti sitis à Deo: quómodò convertímini íterùm ad infírma & egéna eleménta, quibus dénuò servíre vultis?

℟. viij. Vir justus atque perfectus fuit: * Cum Deo ambulávit, & fecit ómnia quæ præcéperat illi Deus. *Genes.* 6. *v.* 9. 22. ℣. Véniens Joseph, habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth. *Matt.* 2. *v.* 23. * Cum Deo ambulávit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio IX. *C. 1. v. 18.*

Justitia Joseph.

CUm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequàm conveníŕent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

De nupt. & concup. lib. 1. §. 12.

NOn fallàciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timére accípere Maríam cónjugem tuam. Conjux vocátur ex prima fide desponsatiónis. Propter quod fidéle conjúgiū, parentes Christi vocári ambo meruérunt; & non solùm illa mater, verum étiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus; utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater solâ mente, sive illa mater & spíritu & carne; parentes tamen ambo humilitátis ejus, non sublimitátis; infirmitátis, non divinitátis. Neque enim mentítur Evangélium, ubi légitur: Et erant pater ejus & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo; & álio loco: Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerúsalem; item paulò post: Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebámus te. At ille, ut osténderet habére se præter illos Patrem, qui eum génuit præter matrem, respondit eis: Quid est quòd me quærebátis? Nesciebátis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et rursùm, ne hoc dicto parentes illos negasse putarétur, Evangelista secútus, adjunxit: Et ipsi non intellexérunt verbū quod locútus est ad illos; & descendit cum eis, & venit Názareth, & erat súbditus illis.

℟. ix. Amantíssimus Dómini habitábit confidenter in eo: * Quasi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiescet. *Deut.* 33. 12. ℣. Fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. *Matth.* 24. 45. * Quasi. ℣. Glória. * Quasi.

Lectio X. *Evangelium Feriæ, cum Homilia. Et continuò dicitur:* Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96. 11.

Ant. IBant parentes Jesu *8. c.* per omnes annos in Jerúsalem in die solem-

ni Paschæ. *Luc.* 2. 41.

Ant. 7. a. Cùm factus esset Jesus annórum duódecim, ascendérunt Jerosólymam, secundùm consuetúdinem diéi festi. *Ibid.* 42.

Ant. 3. à. Consummátis diébus, cùm redírent, remansit puer Jesus in Jerúsalem, & non cognovérunt parentes ejus. *Ibid.* 43.

Ant. 2. D. Existimantes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, & requirébant eum. *Ibid.* 44.

Ant. 1. a. Non inveniéntes, regressi sunt in Jerúsalem, & invenérunt illum in templo sedentem in médio doctórum. *Ibid.* v. 45. 46.

Capitulum. Cant. 3. v. 2. 4.

SUrgam, & circuíbo civitátem: per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea; quæsívi illum, & non invéni: páululùm cùm pertransíssem, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam.

Hymnus, Regum progénies, *ut in primis Vesperis.*

℣. Dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: ℟. Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo. *Ps.* 20. 7.

Ad Benedict. *Ant.* 3. E. Qui custos est dómini sui, glorificábitur. *Prov.* 27. 18.

Orémus.

CUstódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, qui beátum Joseph Unigénito tuo nutrítium & Vírgini matri custódem providísti; Per eumdem.

Commemoratio Feriæ.

AD PRIMAM.

Ant. 8. c. Ibant.

AD TERTIAM.

Ant. 7. a. Cùm factus.

Capitulum. Deut. 16. 16.

APparébit omne masculínum tuum in conspectu Dómini Dei tui, in loco quem elégerit, in solemnitáte azymórum.

℟. *br.* Te decet hymnus, * Deus, in Sion. *Repet.* Te. ℣. Et tibi reddétur votum in Jerúsalem. * Deus. ℣. Glória. *Repet.* Te decet.

℣. Replébimur in bonis domûs tuæ; ℟. Sanctum est templum tuum. *Ps.* 64. 2. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 3. à. Consummátis.

Capitulum. Tob. 10. 3.

CŒpit contristári nimis ipse, & uxor ejus cum eo, & cœpérunt ambo simul flere; eò quòd mínimè reverterétur filius eórum ad eos.

℟. *br.* Sperent in te

Dies salútis núntia,
Quâ missa cœlo tristibus
Venêre terris gáudia.
UNIUS omnes crimine
Casu gravi lapsi sumus:
Ut ipse lapsos érigat,
Descendit in terras Deus.
QUI Patris æterno sinu,
Ætérna Proles náscitur,
Obnóxius fit témpori,
Sinű nec horret Vírginis.
MORTALE corpus índuit,
Orbi piando víctimam,
Ut innocenti sánguine
Scelus nocentúm díluat.
QUI cuncta complet númine,
Nostros se in artus cólligit;
Ut nos redúcat ad Deum,
Est ipse nobiscum Deus.
¶ MUNDO Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus. Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas in fine Hymnorum ejusdem metri, nisi propria assignetur.*

℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam; ℟. Et veni, ut salvos fácias nos. *Ps.* 79. 3.

Ad Magnífic. *Ant.* 6. F. Cessavérunt fortes, donec súrgeret mater in Israël. Nova bella elégit Dñs, & portas hóstium ipse subvertit. *Judic.* 5. *v.* 7. 8.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

Fit Commemoratio de Feria.

AD COMPLETORIUM, *Ant. & Psalmi de Feria occurrente. Cætera ut in Officio B. Mariæ in Sabbato*, p. lxxxiij.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Verbum caro factum est; * Venite, adorémus. *Joan.* 1. 14.

Psal. Veníte.

Hymnus. S. V.

CŒLESTIS ales núntiat
Implenda mox mystéria:
Virtúte fœcundâ Deus
Illapsus implet Vírginem.
QUALIS stupendo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Conceptus in tuo sinu,
Natus Deo, nunc est tuus.
DE virgináli sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingente sancto Spíritu,
Christi caro compíngitur.
NOBIS per hanc mortálibus
Lactescit esca cœlitum:
Nos pascit infantes homo,
Qui pascit Angelos Deus.
MUNDO Redemptor qui venis, &c.

Psalmi de Officio parvo.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam vírginem desponsátā Joseph. *Luc.* 1. 26. 27.

Ant. 1. *f.* Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátiâ plena. *Luc.* 1. 28.

Ant. 2. D. Cùm audisset María, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. *Luc.* 1. 29.

℣. Lætentur cœli, & exultet terra; ℟. A fácie Dómini quia venit. *Psal.* 95. *v.* 11. 13.

De Isaía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 7. 10.

Virgo concipiet.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet filium; & vocábitur nomen ejus, Emmánuel: bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonũ.

℟. *j.* María, invenisti grátiam apud Deum: * Ecce concípies in útero, & páries Filium. *Luc.* 1. 30. 31. ℣. Hoc à Dómino Deo exívit, ut mirábile fáceret consíliũ. *Is.* 28. 29. * Ecce.

LECTIO II. *Cap.* 11. 1.

Virga de radice Jesse.

ET egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ & intellectûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secundùm visiónem oculórum judicábit, neque secundùm audítum áurium árguet; sed judicábit in justítia páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctóriũ renũ ejus.

℟. *ij.* Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur, & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus; * Et regnábit in domo Jacob in æternum. *Luc.* 1. 32. ℣. Adorábunt eum omnes reges terræ: omnes gentes sérvient ei. *Ps.* 71. 11. * Et regnábit.

LECTIO III. *Cap.* 35. 1.

Deus veniet, & salvabit.

LÆtábitur deserta & ínvia, & exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans; glória

Libani data est ei; decor Carméli & Saron: ipsi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei nostri. Confortate manus dissolútas, & génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, & nolíte timére; ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis; Deus ipse véniet, & salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt: tunc sáliet sicut cervus, claudus; & apérta erit lingua mutórum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitúdine: & quæ erat árida, erit in stagnū; & sitiens, in fontes aquárum.

℟. *iij.* Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium, * Et vocábitur nomen ejus Emmánuel. *Isa.* 7. 14. ℣. Habitábit cum homínibus; & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. *Apoc.* 21. 3. * Et. ℣. Glória. * Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. à. Spíritus Sanctus supervéniet in te. *Luc.* 1. 35.

Ant. 8. c. Virtus Altíssimi obumbrábit tibi. *Ibid.*

Ant. 2. D. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Ibid.*

℣. Homo natus est in ea, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86. 5.

Ex libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra hæreses.

Cap. 21. *secul.* 2.

LECTIO IV.

Deus homo factus est, & ipse Dóminus salvábit nos, dans vírginis signum. Unus enim & idem Spíritus qui in Prophétis quidem præconávit quis & qualis esset advéntus Dómini; ipse & in Apóstolis annuntiávit plenitúdinem témporum adoptiónis venisse, & proximasse regnum cœlórum, & inhabitáre intra hómines credentes in eum, qui ex vírgine natus est Emmánuel. Quemádmodùm ipsi testificantur, quóniam priusquàm convenisset Joseph cum María (manente ígitur eâ in virginitáte) inventa est in útero habens de Spíritu Sancto. Et quóniam dixit ei Gábriël Angelus: Spíritus Sanctus advéniet in te. Et quóniam Angelus in somnis dixit ad Joseph: Hoc autem factum est ut adimplerétur quod dictum est ab Isaía Prophéta: Ecce virgo in útero concípiet. Diligenter ígitur significávit Spíritus Sanctus generatiónem ejus, quæ est ex Vírgine; & substántiā, quóniam Deus;

Emmánuël enim nomen hoc significat.

℟. *iv.* Ecce Elízabeth cognáta tua, & ipsa concépit filium in senectúte sua; * Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 36. 37. ℣. Magnificábitur super te Deus Isräël. *Judith.* 13. *v.* 31. * Quia.

LECTIO V. *Cap.* 22.

ERrant ígitur qui dicunt eum nihil ex Vírgine accepisse, ut abjíciant carnis hæreditátem; abjiciant autem & similitúdinem. Apóstolus Paulus in ea epístola, quæ est ad Gálatas, manifestè ait: Misit Deus Fílium suum factum de mulíere. Et rursùs in ea quæ est ad Romános: De Fílio autem, inquit ejus, qui factus est ex sémine David secundùm carnem. Cæterùm supervácua est in Maríam descénsio ejus. Quid enim in eam descendébat, si nihil incipiébat súmere ab ea! aut si nihil sumpsisset ex María, numquam eas, quæ à terra erant, percepisset escas, per quas id, quod à terra sumptum est, nutrítur corpus. Nec quadraginta diébus, quemádmodum Móyses & Elías, jejúnans esurisset corpus ejus, suam quærens escam; nec David proclamasset in eum: Et super dolórem vúlnerum meórum apposuérunt; nec dixisset: Tristis est ánima mea; nec percusso látere exisset sanguis & aqua. Hæc enim ómnia signa carnis, quæ à terra sumpta est, quam in se recapitulátus est, suum plasma salvans.

℟. *v.* Dixit María ad Angelum: Ecce ancilla Dómini; * Fiat mihi secundùm verbum tuum. *Luc.* 1. 38. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat fiat. *Psal.* 71. *v.* 19. * Fiat.

LECTIO VI.

QUem promísit Deus David, de fructu ventris ejus æternum suscitatúrum se regem, hic est qui ex vírgine, quæ fuit de génere David, generátus est. Propter hoc enim & de fructu ventris ejus Regem promísit, quod erat próprium vírginis prægnantis; & non de fructu lumbórum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est próprium viri generantis. Státuit autem & confirmávit fructum ventris, ut generatiónem ejus qui erat futúrus ex vírgine, pronuntiáret; quemádmodum Elízabeth impléta Spíritu Sancto testificáta est, dicens ad Maríam: Benedicta tu

inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui; significante Spiritu Sancto audire voléntibus, repromissionem quam repromisit Deus de fructu ventris ejus suscitare Regem, implétam esse in virgine, hoc est, in Maríæ partu. Qui igitur Joseph filium eum volunt esse, illud transmútent quod apud David pósitum est, ubi promisit illi Deus de fructu ventris ejus suscitáre cornu, Christi regnum. Sed non intellexérunt.

℟. vj. Christi generátio sic erat: *Desponsáta María Joseph invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. *Matth.* 1. 18. ℣. Creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. *Jerem.* 31. 22. *Desponsáta. ℣. Glória. * Desponsáta. *Resumitur* ℟. Christi.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. D. Quod in ea natum est, de Spíritu Sancto est; páriet autem filium. *Matt.* 1. 20.

Ant. 6. F. Relíquiæ fratrum ejus converténtur ad filios Israël; & erit iste pax. *Mich.* 5. 5.

Ant. 7. c. Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophétam: Ecce virgo in útero habébit & páriet filium. *Matt.* 1. 22. 23.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israël. *Ps.* 97. 3.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

LECTIO VII. *Cap.* 4. *v.* 7.

Per Christum filii Dei facti sumus.

Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt a servo, cùm sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est usque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut, eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius, & hæres per Deum.

℟. vij. Benedicta es tu, filia, à Dómino Deo excelso * Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23. ℣. Ave, Maria, grátiâ plena; Dóminus tecum; benedicta tu. *Luc.* 1. 28. * Præ.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio VIII. *C.* 3. *v.* 3.

Per Christum facti sumus in spe hæredes vitæ æternæ.

ERámus aliquando & nos insipientes, incréduli, errantes, servientes desidériis, & voluptátibus váriis, in malítia & invídia agentes, odíbiles, odientes ínvicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritûs Sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

℟. *viij.* Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ; * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham & sémini ejus in sécula. *Luc.* 1. 54. 55. ℣. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13. 18. * Sicut.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 1. 26.

Gabriel ad Mariam missus.

IN illo témpore; Missus est Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. lib. 2.

LAtent quidem divína mystéria, nec fácilè juxta prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consílium Dei; sed tamen ex cæteris factis atque præceptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere, & hoc propensióris fuisse consílii, quòd ea potíssimùm elécta est, ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequàm desponsarétur, impléta est? Fortasse, ne dicerétur, quòd concéperat ex adultério. Máluit autem Dóminus áliquos de suo ortu, quàm de matris pudóre dubitáre. Et ingressus ad eam Angelus dixit: Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum, benedicta tu inter mulíeres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est in intróitu ejus. Disce vírginem móribus, disce vírginem verecúndiâ, disce vírginem oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, &

ad omnes viri affátus veréri. Discant mulieres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret; sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degénere depravarétur affátu, ab Angelo salutátur. Soli Maríæ hæc salutátio servabátur. Benè enim sola grátiâ plena dícitur, quæ sola grátiam, quam nulla ália merúerat, consecúta est, ut grátiæ repleréetur auctóre.

℟. ix. Benedíctus fructus ventris tui; & beáta quæ credidísti, *Quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 42. 45. ℣. Dóminus te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13. 24. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Resumitur* ℟. Benedíctus.

Legitur Evangelium Feriæ, & sine Responsorio dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* In humilitáte nostra memor fuit nostrî Dóminus, ℟. Et redémit nos ab inimícis nostris. *Ps.* 135. 23.

Ant. 8. *G.* VErbũ caro factũ est, & habitávit in nobis. *Joan.* 1. *v.* 14.

Ant. 3. a. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit. *Act.* 13. 32.

Ant. 4. a. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Fílium suum factum ex muliere. *Gal.* 4. 4.

Ant. 5. C. Nusquam Angelos apprehéndit, sed semen Abrahæ, unde débuit per ómnia frátribus similári. *Hebr.* 2. 16.

Ant. 6. F. Participávit carni & sánguini, ut liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. *Hebr.* 2. 14. 15.

Capitulum. Philip. 2. 6.

CUm in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo; sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.

Hymnus. S. V.

PUlsum supernis sédibus,
Umbris tot annos óbsitum,
Cœléstis ignárum viæ,
Errábat humánum genus.
Coelestis en Rex cúriæ,
Ut monstret ad cœlum viam,
Secumque ducat éxules,
Se sponte fecit éxulem.
Se déviis præbet ducem,
Vires dat ambulántibus:

Est ipse, quâ ducit, via;
Quò ducit, ipse términus.
Deus, supréma Véritas,
Umbráta velo córporis,
Puris vidénda méntibus,
Lustra tuo nos lúmine.
Et tu, tuórum sis memor,
Quæ, dum modesto péctóre
Te dicis ancillam Dei,
Regína mundi díceris.
Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

℣. Quid est, homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8. 5.

Ad Benedict. *Ant.* 2. D. Visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent. *Luc.* 1. 78.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum

Fit commemoratio Feriæ.

AD HORAS, in fine hymnorum Doxologia, Mundo redemptor, &c.

Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Verbum caro.

CANON.

Ex Concilio Lateranensi. *An.* 649. *c.* 3.

Si quis secundùm sanctos patres non confitétur sanctam semperque vírginem, & immaculátam Maríam, ipsum Deum Verbum specíaliter & verácirer absque sémine concepisse ex Spíritu Sancto, & incorruptibíliter eam genuisse, indissolúbili permanente, & post partum ejusdem virginitáte, condemnátus sit.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Quæ ad patres.

Capitul. Ephes. 1. 9. 10.

Propósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.

℟. *br.* Deus, Rex noster, * Operátus est salútem. *Repet.* Deus. ℣. In médio terræ. * Operátus. ℣. Glória. *Rep.* Deus. *Ps.* 73. 12.

℣. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus; ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43. 5.

AD SEXTAM.

Ant. 4. a. Ubi venit.

Capitulum. 1. Joan. 4. 10.

IN hoc est cháritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

℟. *br.* Redemptiónem misit Dóminus * Pópulo suo. *Rep.* Redemptiónem. ℣. Mandávit in ætérnum testaméntum suum. * Pópulo suo. ℣. Glória. *Rep.* Redemptiónem. *Ps.* 110. 9.

℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus; ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106. 8.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Participávit.

Capitulum. 1. Timoth. 3. *v.* 16.

MAnifestè magnum est pietátis sacraméntum quod manifestátum est in carne, justificátum est in spíritu, appáruit ángelis, prædicátum est géntibus, créditum est in mundo, assúmptum est in glória.

℟. *br.* Dómini * Est assúmptio nostra. *Repet.* Dómini. ℣. Et sancti Israël regis nostri. * Est assúmptio nostra. ℣. Glória. *Repet.* Dómini. *Ps.* 88. 19.

℣. Dóminus virtútum nobiscum, ℟. Suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45. 12.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus. Psalmi de parvo Officio.

Capitulum. 1. Joan. 4. v. 6. 9.

DEus, cháritas est. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

Hymnus, HÆc illa solemnis dies, *ut in I. Vesperis.* 539.

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84. 12.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi: nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. 1. *Joan.* 4. 14. 19.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Commem. Feriæ.

AD COMPLETORIUM, *Antiphona & Psalmi de Dominica, Hymnus, &c. ut in parvo Officio B. Mariæ in Sabbato.*

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA, *Tempore Paschali.*

IN I. VESPERIS, Psalmi de Domin. Fit Comm. Dominicæ in Albis tantùm.

AD OFFICIUM NOCT.

Antiph. & ℣. I. Nocturni.

Lect. I. ex Is. Adjécit.

℟. *iij.* Hic erit.

Lect. II. erit prima II. Noct.

℟. *vj.* Christi generátio.

Lect. III. Homilia cum ℟. *ix.*

FESTA APRILIS.

Die ii.

In Festo

SANCTI FRANCISCI de Paula.

Semiduplex.

Cùm occurrit in Quadrag. fit Comm. de Comm. unius Justi ad utrasque Vesp. & Laudes, & Lect. post ℟. *iij. Die Dominicâ non legitur, nec si occur. Festum novem lect.*

Tempore Paschali, fit Officium de Comm. unius Justi. Orat, Deus humílium, *infrà. Lectio I. ex duabus de Scriptura occurrente; omittitur tertia.*

Lectio II.

Ex Actis sancti Francisci de Paula apud Bollandum & Papebr.

Franciscus, Paulæ in Calábria natus, à téneris annis solitúdinem dilígere, ac jejúniis & oratiónibus vacáre cœpit. Ecclésiam propè Paulam ædificávit; ac prima ibi Ordinis sui fundamenta jecit. Cumque præ humilitáte, ómnium mínimus habéri vellet, alumnos quoque suos Mínimos vóluit appellári. A Ludovíco undécimo Francórum rege propter miraculórum famam expetitus, jubente Sixto quarto, ad eum se cóntulit. Quem Rex magno cum honóre excépit in palátio Plexítio propè Turónes: eóque in loco monastérium illi construxit. Ibi Franciscus mortis suæ præscius, ánimam Christo réddidit, anno ætátis círciter nonagésimo, salútis millésimo quingentésimo séptimo. Cujus corpus dies úndecim insepultum, ita incorruptum permansit, ut suávem étiam odórem efflaret. Eum Leo décimus in Sanctórum númerum adscripsit.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *Cap.* 11. 25.

Mitis & humilis Jesus.

In illo témpore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor, tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapién-

tibus & prudéntibus, & revelasti ea párvulis. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 69. de Verbis Evang.

VEníte ad me, omnes qui laborátis. Quare omnes laborámus, nisi quia sumus mortáles, frágiles, infirmi, lútea vasa portantes, quæ fáciunt invicem angústias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spátia charitátis. Quid ergo dicit: Veníte ad me, omnes qui laborátis; nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborantes vocávit. Quærent fortè, quâ mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília & invisibilia creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, & mórtuos suscitáre; sed, quóniam mitis sum, & húmilis corde. Magnus esse vis? à mínimo incipe. Cógitas magnam fábricam constrúere celsitúdinis? de fundamento priùs cógita humilitátis. Et quantam quisque vult & dispónit superimpónere molem ædificii; quantò erit majus ædifícium, tantò áltius fodit fundamentum. Et fábrica quidem cùm constrúitur, in supréma consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima déprimitur. Ergo & fábrica ante celsitúdinem humiliátur; & fastígium post humiliatiónem erígitur.

AD LAUDES.

Capitulum. Judic. 6. v. 15. 16.

OBsecro, mi Dómine, in quo liberábo Israël? Ego mínimus in domo patris mei. Dixitque ei Dóminus: Ego ero tecum.

Oratio.

DEus, humílium celsitúdo, qui beátum Franciscū Sanctórum tuórum glóriâ sublimasti; tribue, quæsumus, ut ejus méritis & imitatióne, promissa humílibus præmia felíciter consequámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuū, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

DIE XIII.

In Festo SANCTI JUSTINI Martyris.

Simplex.

Si inciderit in Hebdomadam Passionis, fit Commem. de Communi unius Mart. ad Vesperas & Laudes sine Lectione. Orat. Adesto. xj.

Tempore Paschali, fit Officium de Communi unius Martyris, ritu Paschali servato. Oratio, Adesto. xj.

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio ij. est iij. Feriæ occurr.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio III.

JUstínus Philósophus, hábitu quoque Philosophórum incédens, de Neápoli urbe Palestínæ, patre Prisco Bácchio, pro religióne Christi plúrimùm laborávit: in tantum, ut Antoníno Pio & fíliis ejus & Senátui librum contra Gentes scriptũ daret, ignominiamque crucis non erubésceret, & álium librum successóribus ejusdem Antoníni, Antoníno Vero, & Aurélio Cómmodo. Extat ejus & áliud volúmen contra Gentes: hic cùm in urbe Roma Crescentem Cynicum, qui multa adversùs Christiános blasphemábat, redargúeret gulósum & mortis tímidum, luxuriæque & libídinum sectatórem; ad extrémum stúdio ejus & insídiis accusátus, quòd Christiánus esset, pro Christo sánguinem fudit.

Die xx.

In Festo

SS. Martyrum

Pro solemnitate Paschali occisórum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum, servato ritu Paschali.

Lectio j. de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio ij. est tertia Feriæ occurrentis.

Ex libro primo Sancti Victóris Episcopi Uticensis de persecutióne Wandalórum in Africa.

Lectio III.

QUodam témpore Paschális solémnitas agebátur; & cùm in quodam loco qui Régia vocitátur, ob diem Paschális honóris nostri síbimet clausam Ecclésiam referárent, comperérunt Ariáni. Statim quidam Présbyter eórum, congregátâ secum armatórum manu, ad expugnandam turbam accénditur innocentum. Intróeunt evaginátis spatis, arma corrípiunt, álii quoque tecta conscendunt, & per fenestras Ecclésiæ sagittas spargunt; & tunc fortè canente pópulo Dei, Lector unus púlpito sistens, Allelúia cum melos canébat. Quo témpore sagittâ in gútture jaculátus, cadente de mánibus códice, mórtuus pòst cécidit ipse.

Nam & álii quamplúrimi ſagittis & jaculis in médio crepidinis altáris probantur occiſi. Qui gládiis tunc interempti non ſunt, póſtea pœnis attriti, régio juſſu omnes penè necáti ſunt, prætertim maturióris ætátis.

Orémus.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, ut interceſſióne ſanctórum Martyrum quos in ſolemnitáte Paſchali tibi conſecraſti, ſimilitúdinis mortis Chriſti & reſurrectiónis mereámur eſſe partícipes; Per eumdem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitáte.

DIE XXIII.

SANCTI GEORGII, Martyris,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, *Ant.* Pro certo. ℣. Juſtus. vij. *Orat.* Deus, qui. *infrà.*

AD LAUDES. Ant. Vitâ. ℣. Juſtus ut. x.

Orémus.

DEus, qui beátum Geórgium corónas glóriâ Martyrii, da nos eódem intercedente, Chriſti mórtui & reſurgentis ita myſtéria venerári, ut vitæ novitáte éadem aſſequámur; Per eumdẽ Chriſtum Dóminum noſtrum.

DIE XXV.

In Feſto SANCTI MARCI, Evangeliſtæ.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. ut in primis Veſperis Apoſtolorum, additò, Allelúia.

Capitul. Iſ. 49. *v.* 49.

SUper montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion; exalta in fortitúdine vocem tuá, qui evangelizas Jeruſalem: noli timére; dic civitátibus Juda: Ecce Deus veſter.

℟. Feciſti in nobis, Dómine Deus noſter, ſecundum omnem bonitátem tuam: * Locútus es in manu púeri tui in die quâ præcepiſti ei ſcríbere legem tuam † Coram filiis Iſraël, allelúia. *Baruc.* 2. *v.* 27. 28. ℣. Ut evangelizáret ſedéntibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & pópulum. *Apoc.* 14. *v.* 6. * Locútus. ℣. Glória. † Coram.

Hymnus. S. V.

CHRISTI perennes Núntii,
Retecta qui cœléſtibus
Scriptis Dei myſtéria
Totum per orbem ſpárgitis:

OLIM ſub umbris cóndita,
Vates ſacri quæ víderant;

Umbris procul cedéntibus,
Vidistis hæc pleno die.
Humana quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legenda pósteris,
Dictante scripsistis Deo.
Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus:
Et quisque pro ductu Dei,
Pingendo Christum réddidit.
Vos ut docéret, índuit
Vocis sonos, Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.
Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbū evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67. *v.* 12.

Ad Magníf. *Ant.* 7. *d.* Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salútem: dicentis Sion: Regnábit Deus tuus, allelúia. *Is.* 52. *v.* 7.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Christum qui dedit Evangelistas, * Veníte, adorémus, allelúia. *Eph.* 4. 11.

Psal. Venite, *pag.* 2.

Hymnus. S. V.

Sinæ sub alto vértice,
Cœlo tonante, lex datâ;
Inter tubas & fúlgura,
Præsens minabátur Deus.
Nunc, temperáto númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.
Insculpta saxo lex vetus,
Præcepta, non vires dabat:
Inscripta cordi lex nova,
Præcepta dat cum víribus.
Scripsistis hanc fidâ manu;
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicastis móribus;
Signastis hanc & sánguine.
Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis;
Hæc ille nostris ímprimat
Delenda numquam córdibus.
Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 3. a. Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem, allelúia. *Nahum.* 1. *v.* 15.

Ant. 7. d. Fácies leónis à dextris ipsórum quátuor; fácies autem bovis a sini-

Ant. 5. a. Hæc ómnia liber vitæ, & testamentum Altíssimi, & agnítio veritátis, allelúia. *Eccli.* 24. *v.* 32.

Ant. 6. F. Beáti sumus, quia quæ Deo placent, manifésta sunt nobis, allelúia. *Bar.* 4. *v.* 4.

Capitulum. Ephes. 3. 7.

EVangélii factus sum miníster, secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus.

Hymnus, CHRISTI perennes, *ut suprà ad I. Vesperas.*

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intelléctum dat párvulis, *Ps.* 118. 130.

Ad Benedíctus, *Ant.* 4. *D.* Vóluit & ipse scríbere áliquid horum quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent, allel. *Prov. Eccli.*

Orémus.

DEus, qui beátum Marcum Evangelístam tuum, Evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: tríbue, quæsumus, ejus nos semper & eruditióne profícere, & oratióne deféndi; Per Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. *f.* Quàm speciósi.

AD TERTIAM.

Ant. 8. c. Consummábitur.

Capitulum. Hebr. 2. 3. 4.

QUómodo effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? quæ cùm inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestánte Deo signis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus.

℟. *br.* Quanta audívimus & cognóvimus, *Allel. allel. *Rep.* Quanta. ℣. Et patres nostri narravérunt nobis! * Allel. Glória. Quanta. *Ps.* 77. 3.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43. 2.

AD SEXTAM.

Ant. 3. a. Cæci vident.

Capitul. 2. Cor. 4. *v.* 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu.

℟. *br.* Suscitávit Dóminus testimónium in Jacob, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Suscitávit. ℣. Et legem pósuit in Isráël. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Suscitávit. *Ps.* 77. *v.* 5.

℣. Notū fecit Dóminus salutáre suum, ℟. In conspéctu Géntium revelávit justítiam suā. *Ps.* 97. *v.* 2.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Hæc ómnia.

Capitulum. 1. Theff. 2. 4.

SIcut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium ; ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.

℟. *br.* Elóquia Dómini elóquia casta, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Elóquia. ℣. Argéntum igne examinátum, * Allelúia. Glória Patri. Elóquia. *Ps.* 11. 7.

℣. Ignítum elóquium tuum vehementer, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118. 140.

AD VESPERAS.

Antiph. de Laudibus.

Capitulum. 2. Cor. 2. 17.

NOn sumus sicut plúrimi, adulterántes verbum Dei, sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

Hymnus, CHRISTI perennes. *ut suprà in I. Vesp.*

℣. Præceptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Ps.* 18. 9.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Quæsívit verba utília : conscripsit sermónes rectíssimos, ac veritáte plenos, allelúia. *Eccli.* 12. 10.

Oratio. Deus, qui beátum. *suprà ad Laudes.*

DIE XXVIII.

In Festo

SANCTI APHRODISII, Episcopi & Martyris.

Simplex.

De Communi unius Martyris, servato ritu Pasch.

Orat. Auxílium, *infrà.*

LECTIO III.

APhrodísius à sancto Paulo Narbonensi ordinátus Epíscopus, Biterrensem rexit Ecclésiam, postquam Paulus, fundátâ Biterris Ecclésiâ, ad Narbonenses fide Christi imbuendos profectus est. Is cùm egrégiam posuisset óperam in fide apud Biterrenses prædicanda, cívibus Christo parturiendis, religióne diffundenda, stabiliendâque recenti Ecclésiâ, demum viri Apostólici functus officio, suprémum diem óbiit. Antiquíssimo ritu cólitur ut Martyr. Sepultus est in Ecclésia quam ipse in honórem príncipis Apostolórum construxerat, & quæ ab ipso pósteà nomen sortíta est. Hæc olim Epíscopi Biterrensis sedes : nunc, translátâ in Basílicam Sanctórum Nazárii & Celsi sede Episcopáli, Collégium est Canonicórũ. In ea sancti Aphrodísii corpus etiamnum quiescit.

Orémus.

AUxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus,

placátus impende: & intercedente beáto Aphrodísio Mártyre tuo atque Pontífice, déxteram super nos tuæ propitiatiónis extende; Per.

Die xxix.

In Festo

S. MARIÆ ÆGYPTIÆ.

Semiduplex.

AD I. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitul. Jer. 31. 18. 19.

Converte me, & convertar: quia tu Dóminus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœniténtiam: & postquam ostendisti mihi, erúbui; quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ.

Hymnus. S. V.

O Vos, cum cítharis júngite cantus,
Cœtus Angélici: fémina sacris
Quondam pulsa ádytis, débita cœlo
Nunc ad sidéreas tránsvolat arces.

Sacris quæ répulit lóngiùs arcens
Templi limínibus crímine fœdam;
Hæc est illa manus quæ modò amica
Ablútam lácrymis ádmovet Aris.

Hæc olim ténebris óbsita densis,
Jam cœlo nova lux áddita fulget,
Et monstrat fáciles prævia portus
Passis naufrágium triste pudóris.

Quæ non divus amor péctora mutat!
Ut cœli rádius fulsit ab alto,
Urbes, seque fugit: nulla sat altos,
Quò se condat, habet sylva recessus.

Illi pro thálamo frígida rupes,
Lautis pro dápibus grámminis herba:
Nec soles cálidos veste repellit,
Nec duras hyemes péllibus arcet.

Patri máxima laus; máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum sacrílegum pellis amórem,
Puros insínuas córdibus ignes. Amen.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Longánimis, & multùm miséricors. *Ps.* 102. 8.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Quis, Deus, símilis tuî qui aufers iniquitátem, & transis peccátum reliquiárum hæreditátis tuæ? allelúia. *Mich.* 7. 18.

Oratio, infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum vocantem peccatóres ad pœnitén-

tiam: * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 5. 32.

Ps. Veníte.

Hymnus, O vos, cum cítharis, *ut suprà.*

Ant. 3. b. Induens se cilício, pósuit cínerem super caput suum, allelúia. *Judith.* 9. 1.

Ant. 2. D. Prosternens se Dómino, clamábat ad Dóminum, dicens: Súbveni, quæso te, Dómine Deus meus, mihi, allel. *Ibid. v.* 3.

Ant. 4. E. Dicébat: Dóminus totíus creatúræ, exaudi me míseram deprecantem, & de tua misericórdia præsumentem, allelúia. *Ibid. v.* 17.

℣. Tu, Dómine, suávis & mitis; ℟. Et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te. *Ps.* 85. *v.* 5.

Lectio I. ex Scriptura occurr. ex duabus una; omittitur tertia.

℟. *j.* Non confundéris, neque erubesces: * Non enim te pudébit, quia confusiónis adolescéntiæ tuæ obliviscéris, allelúia. ℣. Dominábitur tuî qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen ejus. *Is.* 54. 4. 5. * Non enim.

Lectio II.

Ex Sophronio & vitis Patrum.

MAría Ægyptia duodecennis, témpore Justíni Imperatóris, relictis paréntibus, Alexandríam venit; fuitque per annos septémdecim in ea civitáte peccátrix. Cùm autem Jerosólymam profecta, Calváriæ templum in festo Exaltatiónis sanctæ Crucis íngredi tentasset, ter divínitùs repulsa, in átrio coram imágine Deipàræ Vírginis vovit pœniténtiam, si licéret sibi vivíficum Crucis lignum vidére & adoráre. Moxque templum ingressa, vidit & adorávit. Inde sumpto trium panum viático, perceptâque Eucharístiâ in Oratório sancti Joannis, ad ripam Jordánis, ultra flumen in vastíssimam solitúdinem secessit. Ibi, consumpto viático, detritísque véstibus, ignóta permansit annis quadraginta septem; donec ad torrentem quemdam occurrit ei Zózimas Présbyter, à quo obtínuit ut vésperè in Cœna Dómini in adversam Jordánis ripam afferret sibi Corpus & Sánguinem Dómini, quorum participatióne tot annos carúerat. Condicto die, accessit ad eumdem locum Zózimas, quò & María pervénit; recitatóque Symbolo & oratióne Domínicâ, ut moris erat, accepto étiam pacis ósculo, divína dona suscépit: rursumque pre-

cata est Zózimam, ut, anno recurrente, ad eumdem torrentem veniret. Qui, cum eò accessit, conspexit corpus ejus jacens in terra, in qua scripta hæc legit: Sépeli, Abba Zózima, míseræ Mariæ corpúsculum: redde terræ quod suum est, & pulveri adjice púlverem, orans Deum pro me quæ mórior nocte salutíferæ Passionis, post divinæ & sacræ Cœnæ communiónem. Pio voto obtémperans Zozimas, corpus beatum in ipso loco terræ mandávit. Hic póstea vitam ejus scripsit, per quam memóriæ ejus venerátio per orientem & occidentem propagáta est.

℟. ij. Redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocábitur: * Quia ut mulierem derelictam & mœrentem spiritu vocávit te, allelúia. *Is.* 54. 5. 6. ℣. Miséricors Dóminus est, & miserátor. *Jac.* 5. 11. * Quia.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *Cap.* 21. 28.

Publicani & meretrices.

IN illo témpore: Dixit Jesus Princípibus Sacerdótum & Senióribus pópuli: Homo quidam habébat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hódie, operare in vinea mea. Et réliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysóstomi.

In Matth. Homil. 67.

NIhil sic tardióres éxcitat ut æmulátio: proptérea sæpius inculcat Dóminus, Novíssimi primi, & primi novíssimi. Proptérea, ut ad æmulatiónem provocáret, in médium adduxit meretrices & publicános: hæc enim duo flagitiórum sunt extréma, quæ ex amore vix eluctábili oriuntur, ália quidem ex córporum, ália verò ex pecuniárum cupiditáte. Non autem meretrices, quámdiu rémanent meretrices, regnum Dei ingrediuntur: sed postquam obaudiérunt, postquam fidem ampléxæ sunt, postquam omninò purgátæ, postquam ad melióorem vitam translátæ, sic ingrediuntur. Vides quómodo & parábolâ & meretricum exemplo acrióorem fecit oratiónem, nec tamen odiósam: non enim continuò dixit, Cur non credidistis Joanni? sed, quò magis existimuláret, publicanórum & meretricum exemplum præmisit.

℟. iij. Dissimulas, Dómine, peccáta hóminum propter pœniténtiam: * Díligis enim ómnia quæ sunt, † Et nihil odísti

eórum quæ fecisti, allel. ℣. Parcis autem ómnibus, quóniam tua sunt, Dómine. *Sap.* 11. 24. 25. 27. * Díligis. ℣. Glória. † Et nihil.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Universæ viæ Dómini misericórdia & véritas, ℟. Requiréntibus testamentum ejus. *Ps.* 24. 10.

Ant. 1. a. Venit filius hóminis quærere & salvum fácere quod períerat, allelúia. *Luc.* 19. 10.

Ant. 3. à. Vadit ad ovem quæ períerat donec invéniat eam, allelúia. *Luc.* 15. 4.

Ant. 6. F. Cùm invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens, allel. *Ib.* 5.

Ant. 4. f. Gaudet super eam magis, quàm super nonaginta novem quæ non erravérunt, allelúia. *Matth.* 18. 13.

Ant. 8. c. Gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente, allelúia. *Luc.* 15.

Capitulum. Joel. 2. 13.

BEnignus & miséricors est Dóminus, pátiens & multæ misericórdiæ, & præstábilis super malítia.

Hymnus. S. V.

ULTRIX ipsa suos sævit in artus,
Per quos & pótuit pulchra placére:
Defórmis mácies íncubat ori;
Sed formam mélior grátia pensat.

IN pœnam scélerum sæpè recursant
Importúna malæ gáudia vitæ:
Sed versans ánimo débita noxis
Tot tormenta, graves cómprimit æstus.

JAM tu digna polo, déscere terras;
Placasti lácrymis Núminis iram:
Jam tu pasta sacro córpore Christi,
Ætérnæ cápias pábula mensæ.

PATRI máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum sacrílegum pellis amórem,
Puros insínuas córdibus ignes.
Amen.

℣. Tu, Dómine Deus, miserátor & miséricors; ℟. Pátiens, & multæ misericórdiæ. *Ps.* 85. 15.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Ubi abundávit delictum, superabundávit grátia, allelúia. *Rom.* 5. 20.

Orémus. *Oratio.*

LArgíre nobis, miséricors Deus; ut beáta María Ægyptia, quæ, te

super ómnia diligendo, suorum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ salutaris donum nobis obtineat; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Venit.

AD TERTIAM.

Ant. 3. a. Vadit.

Capitulum. Is. 44. 22.

DElévi ut nubem iniquitátes tuas, & quasi nébulam peccáta tua; revértere ad me, quóniam redémi te.

℟. *br.* Satiávit ánimam inánem, * Allelúia, allelúia. *Repetitur,* Satiavit. ℣. Et animam esuriéntem satiávit bonis, * Allel. ℣. Glória. *Rep.* Satiávit.

℣. Confiteantur Dño misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus. *Ps.* 106. 8. 9.

AD SEXTAM.

Ant. 6. F. Cùm invéneris.

Capitulum. Jerem. 31. 16.

HÆc dicit Dóminus: Quiescat vox tua à ploratu, & óculi tui a lácrymis; quia est merces óperi tuo, ait Dóminus.

℟. *br.* Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! * Allelúia, allel. *Rep.* Quàm. ℣. Quam abscondísti timéntibus te. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Quam.

℣. Perfecísti eis qui sperant in te, ℟. In conspectu filiórum hóminum. *Ps.* 30. 20.

AD NONAM.

Ant. 8. c. Gáudium.

Capitulum. Tob. 13.

COnvertímini, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, credentes quòd fáciat vobiscum misericórdiam suam; ego autem & ánima mea in eo lætábimur.

℟. *br.* Quàm bonus Israël Deus, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Quàm. ℣. His qui recto sunt corde! * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Quàm.

℣. Quid mihi est in cœlo? ℟. Et à te quid vólui super terram? *Ps.* 72. 25.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Eccli. 17. 20.

DEus pœniténtibus dedit viam justitiæ, & confirmávit deficientes sustinére, & destinávit illis sortem veritátis.

Hymnus, O vos. *ut in I. Vesperis.*

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc & usque in séculum. *Ps.* 112. 2.

Ad Magníf. *Ant.* 7. c. Remittuntur tibi peccáta: fides tua te salvam fecit, allelúia. *Luc.* 7. 48. 50.

Oratio, ut sup. ad Laudes.

Fit Commemoratio sancti Eutropii, Episc. & Mart. *Ant.* Pró certo. ℣. Justus. vij. *Oratio,* Fac nos. xj.

DIE XXX.

In Festo

SANCTI EUTROPII, Episcopi & Martyris.

Simplex.

Omnia de Communi unius Martyris, servato ritu Paschali.

Oratio, Fac nos. xj.

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio secunda est tertia Feriæ occurrentis.

LECTIO III.

Ex S. Gregorio Turon. de gloria Mart. lib. 1. cap. 56.

EUtrópius Epíscopus, in Gállias ad prædicandam fidem missus, post adimplétum ritè munus apud Santónas, illíso ab incrédulis cápite, martyr occúbuit; & ob instantem persecutiónem loco minùs digno sepultus est. Cumque témporum lapsu nulla nisi nóminis ejus & sanctitátis superesset memória, à fidélibus ut sanctus, non ut martyr, habebátur; donec eum pro Christo sánguinem fudisse fuit revelátum. Refert Gregórius Turonensis, Palládium Santonensem Epíscopum, qui Concílio Parisiensi quarto & Matisconensi secundo intérfuit, in ejus honórem circa annum Dómini sexcentésimũ basílicã extruxisse; ad quam convocátis Abbátibus, dum è túmulo sacras Eutrópii relíquias honorificéntiùs collocandas transferret, duo ex illis Abbátibus, amóto opertório, conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequenti idem Sanctus appáruit, dicens: Scitóte me per eam cicatrícem, quam vidistis in cápite, martyrium consummasse. Ex quo, quòd martyr esset, innótuit pópulis; quia non áderat história passiónis.

FESTA MAII.

DIE I.

In Festo

SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

Duplex-majus.

Omnia de Communi sanctorum Apostolorum, præter ea quæ hîc sunt propria, servato ritu Paschali.

IN I. VESPERIS.

Hymnus. S. V.

CUi se, relictis ómnibus,
Addíxerant Apóstoli,
Tristes recenti fúnere

Jesum dolébant mórtuum.
AT vos, dolórem pónite:
Jam liber inter mórtuos,
Indigna mortis víncula
Rumpendo, se probat Deum.
PERVADIT occlúsas fores;
Vestro vidére se choro,
Artus sacros dat tángere;
Nec temnit oblatas dapes.
SERVATA monstrat vúlnera,
Nostræ salútis óbsides:
O quanta nubes téstium
Iidem sepultam súscitat!
APOSTOLORUM sénsibus
Qui te revelasti, Deus,
Nostris, vacillet ne fides,
Et te revéla méntibus.
SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Oratio, Deus, qui nos ánnuâ, *ut infrà ad Laudes.*

Fit Commem. S. Theodardi Narbonensis Episcopi. Ant. Elégit. ℣. Beátus. xix. *Oratio*, Dirige. xxij.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Apostolórum magistrum & Dóminum, * Venite, adorémus, allelúia. *Act.* 1. *v.* 3.

Psalmus, Venite.

Hymnus, ut in Communi Apostolorum.

Ant. 3. c. Jesum Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri téstibus præordinátis à Deo, allelúia. *Act.* 10. *v.* 40. 41.

Ant. 1. D. Cùm manducasset cum eis, sumens relíquias dedit eis, allelúia. *Luc.* 24. 43.

Ant. 7. *d.* Apéruit illis sensum, ut intellígerent scriptúras, allelúia. *Luc.* 24. *v.* 45.

℣. & ℟. *de Communi juxta Feriam occurrentem.*

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus una; omittitur tertia.

LECTIO II.

Ex Evangelio & Eusebio, lib. 3. *hist. c.* 30. 31. 39.

PHilippus Bethsáidæ natus, unus ex duódecim Apóstolis fuit, qui primùm à Christo Dómino vocáti sunt, à quo Nathánaël cùm accepisset venisse Messíam in lege promissum, ad Dóminum deductus est. Cùm Christus hóminum insignem multitúdinem páscere vellet, sic ad Philippum affatus est: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Gentíles Salvatórem vidére cupientes, ad Philippum accessérunt. Is, ac-

cepto Spíritu sancto, cùm Evangélium prædicasset, & Hierápolim Phrygiæ tandem venisset, pro Christi nómine morte affectus est. Jacóbus frater Dómini cognomento Justus, ab ineunte ætáte vinum & síceram non bibit, carne abstínuit, nunquam tonsus, nec unguento, nec bálneo usus est. Huic uni licébat íngredi in Sancta. In templum solus intráre, atque ibi génibus flexis pro peccátis pópuli supplex Deum precári consuéverat; ádeò ut génua ipsius instar caméli occallúerint, dùm assíduè Deum vénerans, & pro salúte pópuli vota fáciens humi sternerétur. Eum post Christi Ascensiónem Apóstoli Jerosolymórum Epíscopum constituérunt. Hic eò quòd Christum Dei Fílium prædicáret, ex pinnáculo templi præcipitátus est. Cumque nondum esset mórtuus, lapídibus primùm est impetítus: deinde dum pro persecutóribus licèt semivívus oráret, fullónis fuste in cápite percussus ánimam Deo réddidit. Huic adscríbi solet, inquit Eusébius, Epístola prima eárum quæ Cathólicæ dicuntur. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℞. Deo grátias.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 14. 1.

Multæ mansiones in domo Dei.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, & in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 67. *in Joannem.*

ERigenda est nobis, fratres, ad Deum major inténtio, ut verba sancti Evangélii, quæ modò in nostris áuribus sonuérunt, étiam mente cápere utcumque possímus. Ait enim Dóminus Jesus: Non turbétur cor vestrum: créditis in Deum, & in me crédite. Ne mortem tamquàm hómines timérent, & ideò turbaréntur, consolátur eos, étiam se Deum esse contestans. Créditis, inquit, in Deum, & in me crédite. Cónsequens est enim, ut, si in Deum créditis, & in me crédere debeátis: quod non esset cónsequens, si Christus non esset Deus.

De S. Theodardo Narbonensi Episcopo.

LECTIO IV. *ex Hist. gen. Occit.*

THeodardus apud Mõtem auréolum qui pó-

ftea Mons Albánus dictus est, paréntibus nobilitáte conspicuis ortus est. Eum Sigebódus Narbonensis Archiepiscopus Tolósâ rédiens, secum Narbónem duxit; ac póstea Presbyterum ordinávit. Mórtuo Sigebódo, ómnium votis sedi Narbonensi suffectus est Theodardus, & in Ecclésia sancti Pauli consecrátus Episcopus. Pontificáli dignitáte auctus, omni virtútum génere excélluit, ac vigilantíssimi pastóris partes omnes incredíbili zelo implévit. Pauló pòst in morbum lapsus, cùm recuperandæ sanitátis causâ, natále solum petiisset, ibi ingravescente morbo, sanctíssimè óbiit ipsis Kalendis Máii, anno octingentésimo nonagésimo tértio. Sepultus est in Monastério sancti Martíni: quod quidem ab ejus sepulchro & miráculis, Theodardi nómine nuncupátum est; & in sedem Episcopálem póstea erectum à Joanne vigésimo secundo. Cápitis pars Narbónem transláta in Ecclésia Metropolitána religiósè asservátur.

Continuò dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus, ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Psal.* 138. *v.* 17.

Ant. 8. G. ERant discípuli congregáti propter metum Judæórum; venit Jesus, & stetit in médio, allelúia. *Joan.* 20. *v.* 19.

Ant. 7. d. Gavísi sunt discípuli viso Dómino, allelúia. *Ibid.* 20.

Ant. 1. a. Stetit Jesus in líttore; non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est, allelúia. *Joan.* 21. *v.* 4.

Ant. 4. E. Convescens præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, allelúia. *Act.* 1. *v.* 4.

Ant. 6. F. Dixit eis: Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos, allel. *Act.* 1. *v.* 8.

Capitulum. Act. 1. v. 8.

ERitis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ.

Hymnus. S. V.

NAtus Parenti rédditus
Non vos amícos déseret:
Sub imbre lapsum flámmeo
Infundet in vos Spíritum.

Hausto repléti Númine,
Terras in omnes líberi,
Christum tubis cœléstibus,

[redacted]

Christum Deum vulgábitis.

Non jam tenébit ámpliùs
Formído mortis ábditos:
Aperta non eúntibus
Addent moras perícula.

Vos ante reges fórtiter
Spernétis armátas neces:
Hæc nempe pro Christo mori,
Supréma vobis glória.

Orate, firma sit Fides,
Excelsa se Spes érigat;
Illapsa nostris córdibus
Pellat timórem Cháritas.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, ℟. Et justítiâ tuâ exultábunt. *Ps.* 144. 7.

Ad Benedict. *Ant.* 5. C. Signa fecit Jesus in conspectu discipulórum suórum, quæ non sunt scripta, allelúia. *Joan.* 20. *v.* 30.

Orémus

Deus, qui nos ánnuâ Apostolórum tuórũ Philippi & Jacóbi solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, instruámur exemplis; Per Dóminum.

Fit Commemoratio sancti Theodardi, Episcopi. *Ant.* Dedit. ℣. Memor. *Oratio,* Dírige. xxij.

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Erant discípuli.

Loco Canonis legitur:
Ex Epístola Polycratis Ephesini Epíscopi ad Victórem Papam.
Sec. 2. Euseb. hist. lib. 3. cap. 31.

Philippus fuit unus ex duódecim Apóstolis, mortuusque est Hierápoli, cum binis filiábus quæ in virginitáte consenuérunt.

AD TERTIAM.

Ant. 7. d. Gavísi sunt.
Capitulum. Act. 10. *v.* 41. 42.

Manducávimus & bíbimus cum illo, postquam resurrexit à mórtuis, & præcépit nobis prædicáre pópulo.

℟. *br.* Magnificávit Dóminus fácere cum eis, * Allelúia, allelúia. *Rep.* Magnificávit. ℣. Magnificávit Dóminus fácere nobiscum. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Magnificávit.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125. *v.* 2. 3. 6.

AD SEXTAM.

Ant. 1. a. Stetit.
Capitul. Act. 2. *v.* 31. 32.

Neque derelictus est in inferno, neque

caro ejus vidit corruptiónem; hunc Jesum resuscitávit Deus, cujus omnes nos testes sumus.

℟. *br*. Suscitávit testimónium in Jacob, * Allelúia, allelúia. *Rep*. Suscitavit. ℣. Et legem pósuit in Israël. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet*. Suscitávit.

℣. Quanta mandávit pátribus nostris, ℟. Nota fácere ea filiis suis. *Ps*. 77. *v*. 5.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Dixit eis.

Capitul. Act. 5. *v*. 31. 32.

PRíncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Israéli, & remissiónem peccatórum, & nos testes sumus horum verbórum.

℟. *br*. Quanta audívimus & cognóvimus ea, * Allelúia, allelúia. *Rep*. Quanta. ℣. Et patres nostri narravérunt nobis, * Allelúia. ℣. Glória. *Repet*. Quanta.

℣. Non sunt occultáta à filiis eórum, ℟. In generatióne áltera. *Ps*. 77. *v*. 3. 4.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Act. 10. *v*. 39. 40. 41.

QUem occidérunt Judæi suspendentes in ligno, hunc Deus suscitávit tértiâ die; & dedit eum manifestum fieri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis à Deo; nobis qui manducávimus & bíbimus cum illo, postquàm resurrexit à mórtuis.

Hymnus, Cui se, relíctis, *ut in primis Vesperis*.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps*. 63. 10.

Ad Magnífic. *Ant*. 1. D. Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem ubi constitúerat illis Jesus; & videntes eum, adoravérunt, allelúia. *Matth*. 28. *v*. 16. 17.

Oratio, *ut suprà ad Laudes*.

Fit Comm. S. *Athanasii*, *Episc*. *&* *Doct*. *Ant*. Ipse. ℣. Beátus. xxv. *Orat*. Præsta, *infrà*.

DIE II.

In Festo

SANCTI ATHANASII

Episc. & Eccles. Doctor.

Duplex-minus.

De Communi unius Doctoris, pag. xxv. *servato ritu Paschali*.

Lectio prima de Scriptura occurrente, *ex duabus una*: *omittitur tertia*.

LECTIO II.

Ex Rufino, *Sozom*. *&* *aliis antiquis Scriptoribus*.

AThanásius, ab Alexandro Alexandrí-

næ Ecclésiæ Epíscopo Diáconus ordinátus, ab eo ductus est ad Concílium Nicænum, ubi Arii impietátem ácriter impugnávit. In Alexandri paulò pòst defuncti locum suffectus, tranquillo Episcopátûs inítio diœcésim omnem perlustrávit. Sed cùm nullis aut précibus aut minis posset addúci ut Arium fictè pœnitentem recíperet, Ariáni Meletiánis juncti struxérunt calumniárum technas omnes, ut ipsum Episcopátu dejícerent, quas coram Constantíno díluit, & eo jubente Alexandríam rédiit. In Tyri conciliábulo rursus Athanásium criminantes Ariáni, eum ad Imperatórem profectum ut eórum vim effúgeret, quasi causam deserentem Episcopátu abdicárunt. Constantíno cógnitâ eórum injustítiâ indignanti, mox ad áliam conversi calúmniam, súggerunt comminátum esse Athanásium, prohibitúrum se ne consuéta annóna ex Ægypto Constantinópolim deportarétur; quâ criminatióne motus Constantínus, Athanásium Tréviros amandávit, ubi à Maximíno Epíscopo honorífice exceptus est. Alexandríam revocátus, id agente apud Constántiũ fratrem Constantíno Junióre, utì mens Constantíni patris fúerat, novis íterum calúmniis impétitur. A Július Papa, cui Eusebiáni Concíliũ postulantes scrípserant, dum Romæ in Synodo judicátur ínnocens; adversárii judício licèt ab Athanásio priùs recusáto, Antiochíæ depónunt, & depósito, Gregórium Cappádocem substítuunt. A Synodo Sardicensi calúmniis hæreticórum vindicátus, Sedi suæ restitúitur. Séptimo pòst anno cùm à Constantíno Ariánis addictíssimo ad mortem quærerétur, sex totis annis in Ægypti monastériis, locísque desertis delítuit. Post Constántii mortem, permittente Juliáno apóstatâ, reversus, concílium hábuit cum Christi Confessóribus de recipiendis iis qui ab Ariánis fúerant seducti; in quo res gravíssimas tantâ prudéntiâ definívit, ut Ecclésiam visus fúerit imminenti perículo eripuisse. A Juliáno ad mortem quæsitus, íterum discédere cógitur, & insequentes se astúto consílio elúsit, delituitque Alexandríæ usque ad mortem Juliáni. Sub Joviáno Imperatóre cathólico pacíficè

suam rexit Ecclésiam: sed rursus movente persecutiónem Valente Ariáno, in paterno monumento quátuor menses latitáre coactus est; & ex eo tandem, instante pópulo, egressus, post tot labóres ac ærumnas, anno Episcopátus quadragésimo sexto, Christi verò trecentésimo septuagésimo tértio, in léctulo suo mórtuus est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *Cap.* 10. 23.

Persecutionis fuga.

Dixit Jesus duódecim discípulis suis: Cùm persequentur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Epíscopi.

Apolog. de fuga sua. n. 15. & 16.

Dominus, útpote Deus ac Verbum Patris.... non ignórans quodnam próprio córpori ad patiendum tempus præfinivisset.... more nostro, sese, dum quærerétur, occultábat.... Sancti autem, hâc à Salvatóre acceptâ normâ.... cùm adversùs persecutóres decertárent, aufugiébant, uti fas erat: dumque ab illis perquirerentur, sese abdébant. Cumque, útpote hómines, definiti sibi a providéntia témporis términum ignorárent, nolébant seipsos insidiatóribus deditítios offerre. Cumque item nossent illud quod scriptum est, nempe in mánibus Dei esse sortes hóminum, & Dóminum mortificáre & vivificáre, ideò ad finem usque expectárunt, ut ait Apóstolus, circumeuntes in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, in solitudínibus errantes, in speluncis & in cavernis terræ latentes, donec definítum mortis tempus adveníret, aut qui tempus definíerat Deus eos alloquerétur, ac insidiatóres sedáret, aut certè persecutóribus persecutiónem patientes tráderet, ut sibi cóngruum visum foret.

Orémus.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Athanásius asséruit, & convenienter intellígere valeámus, & veráciter profitéri; Per eumdem Dóminum.

VESPERÆ de sequenti.

Die III.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Levábit signum in natiónes, &

congregábit prófugos Israël, & dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ, allelúia. *Is.* 11. 12.

Ant. 2. D. Factus est principátus super húmerum ejus, & vocábitur nomen ejus Deus, Fortis, allelúia. *Is.* 9. 6.

Ant. 3. g. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre, exíguo ligno hómines transeuntes mare liberáti sunt, allelúia. *Sap.* 14. *v.* 4. 5.

Ant. 4. E. Dóminus ostendit Móysi lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt, allelúia. *Exod.* 15. 25.

Ant. 5. a. Benedictũ est lignum per quod fit justítia, allelúia. *Sap.* 14. 7.

Capitulum. Ezech. 17. 24.

EXaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: ego Dóminus locútus sum, & feci.

℟. Radix Jesse, qui stat in signum populórum; * Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus gloriósum, † Allelúia, allelúia. *Isa.* 11. 10. ℣. Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum. 1. *Petr.* 2. 24. * Ipsum gentes. ℣. Glória. † Allelúia, allelúia.

Hymnus. S. V.

TEllus, tot annos quid tegis
Nostræ salútis pígnora?
Crux monte toto quæritur;
Ultrò tuos pandas sinus.

QUID, dura fossóris manus,
Scrutáris alta víscera?
Celáre lignum sit pudor,
Quo nostra surgit glória.

EN illa gemma pérdita,
Inventa tot labóribus:
En qui latébat, érutus
Thesaurus agro pródiit.

REGINA quæsítam Crucem,
Monstrante Christo, répperit:
Oblíta fastus régios,
Sceptro repertam prætulit.

CRUX sancta, Christi córporis
Virtus salúbrem te facit:
Contingit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.

FULGÓRE cujus térrita
Pallent tremuntque tártara;
Hæc arma si quis índuat,
Ridébit hostis ímpetus.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemisti in bráchio

tuo pópulum tuum. *Ps.* 76. 15. 16.

Ad Magníific. *Ant.* J. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, & voluntas Dómini in manu ejus dirigétur, allelúia. *Isa.* 53. 10.

Oratio, infrà ad Laudes.

Pro Comm. S. Athanasii. Ant. Qui docti. ℣. Elóquia. xxix. *Orat.* Præsta, *ut suprà.*

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesum qui crucifixus est, * Veníte, adorémus, allelúia. *Matt.* 28. 5.

Ps. Veníte.

Hymnus. S. V.

SIGNUM novi crux fœderis,
Crux orbis arca náufragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.

TELIS rubentem flámmeis
Ultóris exarmas manum:
Placátur, ut te réspicit,
Iras & oblivíscitur.

LETHALE si vulnus ferat
Infernus anguis mórsibus;
Læsi simul te víderint,
Repente tu medéberis.

ARA sub illa, par Deo,
Se consecrávit hóstia:
Hàc sede læsum Filius
Placávit orátor Patrem.

CRUX sancta, crux amábilis,
Crux tincta Christi sánguine,
Hauríre da nos lárgiùs
Vitam, Dei de fúnere.

DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. 2. D. Crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei, allel. 2. *Cor.* 13. *v.* 4.

Ant. 5. C. Hunc Salvatórem Deus exaltávit, ad dandam remissiónem peccatórum, allel. *Act.* 5. *v.* 30.

Ant. 6. F. Fecit útraque unum, solvens inimicítias in carne sua, per crucem, allelúia. *Eph.* 2. *v.* 14.

℣. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua; ℟. Cantábimus & psallémus virtútes tuas. *Ps.* 20. 14.

Lectio prima de Scriptura occur. ex duabus una; omittitur tertia.

℟. *j.* Chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, tulit Christus de médio, affigens illud Cruci; * Et expólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in

semetipso, allel. *Col.* 2. *v.* 14. 15. ℣. Confitémini Dómino, qui redémit nos ab inimícis nostris. *Ps.* 135. *v.* 1. 24. * Et.

Ex Epistola sancti Paulíni Epíscopi ad Sevérum.

Epist. 31. *novæ edit.*

LECTIO II.

ADriánus Imperátor existimans se fidem Christiánam loci injúriâ peremptúrum, in loco Passiónis simulácrum Jovis consecrávit; & Béthleem Adónidis fano profanáta est: ut tum quasi radix & fundamentum Ecclésiæ tollerétur, si in iis locis idóla colerentur, in quibus Christus natus est ut paterétur; passus est, ut resúrgeret; surrexit, ut regnáret; judicátus est ut judicáret. Mansit hoc séculi prióris nefas in témpora nostris próxima Constantíni: qui princeps esse princípibus Christiánis non magis suâ quàm matris Helénæ fide méruit. Regína illa venerábilis ut venit Jerosólymam, crucem Dómini studiosissimè inquírere adorsa est. De loco tantùm passiónis cértior fieri stúduit. Jussit illicò, urgente sine dúbio conceptæ revelatiónis instinctu, in ipsum locum óperam fossiónis accingi; paratáque mox cívium páriter & militári manu, brevi labórem istíus molitiónis hausit, & contra spem ómnium, sed secundùm ipsius tantùm Regínæ fidem, altâ egestióne, reserátis terræ sínibus, ábditæ Crucis arcána patuérunt. Sed cùm tres páriter cruces, ut quondam fixæ Dómino & latrónibus stéterant, repertæ fuissent; gratulátio repertárum cœpit ánxiâ dubitatióne confundi justo piórum metu, ne fórsitan, aut pro Cruce Dómini patíbulum latrónis eligerent, aut salutáre Lignum pro stípite latrónis abjiciendo violárent. Respexit pias fidéliter æstuántium curas Dóminus; & ipsi potissimùm, quæ tam piæ solicitúdinis princeps erat, hujus consílii lumen infúdit, ut áliquem recèns mórtuum inquiri & inferri juberet. Nec mora: verbum factum; cadáver illátum est; depónitur: jacenti una de crúcibus admovétur, & áltera: sed reórum ligna mors sprevit. Postrémò Domínicam Crucem prodit resurréctio, & ad salutáris Ligni tactum morte prófugâ funus excussum & corpus erectum est; tremefactisque viventibus stetit mórtuus; & funébribus, ut Lázarus quondam, vínculis expeditus, íllicò inter

spectatóres suos redivivus incessit.

℟. Qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, * Peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mortui, justitiæ vivamus, allel. 1. *Petr.* 2. *v.* 22. 24. ℣. Disciplina pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus. *Isa.* 53. 5. * Peccáta.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO III. *Cap.* 13. 44.

Thesaurus in agro absconditus.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Símile est regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscondit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univérsa quæ habet, & emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Andréæ Cretensis Epíscopi.

Orat. in Exalt. S. Crucis.

QUi Crucem póssidet, póssidet thesaurum. De auri me fórsitan putátis loqui thesauro, aut margaritárum, ac lápidum pretiosórum Indicórum, quibus córporis sui studiósi, & nihil excelsi cogitantes sese oblectant. Ego verò id quod ómniũ bonórum pulchérrimum est, re ac nómine thesaurum jure appelláverim: a quo, & per quem, & in quem salútis nostræ summa repósita, & prístino státui restitúta est. Si Crux non esset, Vita ligno clavis suffixa non esset. Si clavis suffixa non esset, e látere Christi fontes immortalitátis sánguinem & aquam, quæ mundum éxpiant, non fudíssent. Si Crux non esset, mors prostráta non esset, inférnus non spoliátus, non ejéctus nóxius serpens. Magna ígitur & pretiósa res Crux est. Magna quidem, quia multa per ipsam bona effécta sunt; pretiósa verò, quia Dei trophæum est, & in ipsa diábolus sauciátus, & cum eo mors devícta est.

℟. Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi; * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, allel. *Galat.* 6. 14. ℣. Mihi adhærére Deo bonum est; pónere in Dómino Deo spem meam. *Ps.* 72. 28. * Per quem. ℣. Glória. * Per quem.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Redémit nos ab inimicis nostris, ℟. In ætérnum misericórdia ejus. *Psal.* 135. 24.

Ant. 1. a. Cùm in for-

i esset, semetipsum
ivit, allel. *Phil.* 2.

. 2. D. Humiliávit
psum, factus obé-
usque ad mortem,
a. *Ib.* *v.* 8. 9.
. 3. g. Ipse est pax
, per Crucem inter-
s inimicítias, allel.
. 14. 16.
. 4. f. Vetus homo
simul crucifixus est,
struátur corpus pec-
& ultrà non serviá-
eccáto, allel. *Rom.*
5.
. 6. F. Si mórtui su-
cum Christo, simul
vivémus cum Chri-
llel. *Ibid.* *v.* 7. 8.
itulum. 1. Cor. 1.
23. 24.
ædicámus Christum
rucifixum, Judæis
m scándalum, Gén-
autem stultítiam;
autẽ vocátis Judæis,
Græcis, Christum
virtútem, & Dei sa-
iam.
Hymnus. S. V.
Rux, sola languó-
rum Dei
entis in te cónscia!
dolóres íntimos,
verba, dic suspíria.
Lavi pedes, clavi ma-
nus
re duro stípiti;
ctum cruentis vépri-
bus
recumbébat caput.

Cum morte luctantis
Dei
Legis suprémos spíritus:
Christus tuo, volens mori,
Vitam reliquit in sinu.
Tu lectus in quo nos
parit,
Suggestus, è quo nos do-
cet;
Olim tremendum sónti-
bus
Eris tribúnal júdicis.
Da, Christe, nos te-
cum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri; laus Fí-
lio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vo-
cat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.
℣. Dícite in Géntibus
quia Dóminus regnávit à
ligno: ℟. Judicábit pó-
pulos in æquitáte. *Ps.* 95.
10.
Ad Bened. *Ant.* 1. *D.*
Parébit signum Fílii hó-
minis in cœlo; & vidébunt
Fílium hóminis venien-
tem in núbibus cœli cum
virtúte multa, & majestá-
te, allelúia. *Matth.* 24.
30.
Orémus. *Oratio.*
Deus, qui in præclára
salutíferæ Crucis In-
ventióne, Passiónis tuæ mi-
rácula suscitasti: concé-
de, ut vitális ligni prétio

ætérnæ vitæ ſuffrágia conſequámur; Qui.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Cum in forma.

In ℟. *br.* ℣. Qui ſurrexiſti * a mórtuis.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Humiliávit.

Capitul. Act. 5. 30. 31.

QUem vos interemiſtis ſuſpendéntes in ligno, hunc príncipem & ſalvatórem Deus exaltávit déxterá ſuâ, ad dandam pœniténtiam Iſraëli, & remiſſiónem peccatórum.

℟. *br.* Dóminus dominórum memor fuit noſtrî, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Et redémit nos ab inimícis noſtris, * Allelúia. Glória. Dóminus. *Pſ.* 135. 23. 24.

℣. Dicant qui redempti ſunt a Dómino; ℟. Quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. *Pſ.* 106. 1. 2.

AD SEXTAM.

Ant. 3. g. Ipſe eſt.

Capitulum. Epheſ. 1. 7. 8.

IN Chriſto habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecúndum divítias grátiæ ejus quæ ſuperabundávit in nobis.

℟. *br.* Apud Dóminum miſericórdia, * Allelúia, allel. Apud. ℣. Et copióſa apud eum redémptio, * Allelúia. Glória. Apud.

℣. Ipſe rédimet Iſraël ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129. 7. 8.

AD NONAM.

Ant. 6. F. Si mórtui.

Capit. 1. Petr. 2. *v.* 21. 22.

CHriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequámini veſtígia ejus; qui peccátum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.

℟. *br.* Minuiſti eum pauló minùs ab Angelis, * Allelúia, allelúia. Minuiſti. ℣. Glóriâ & honóre coronaſti eum, * Allelúia. Glória Patri. Minuiſti. *Pſ.* 8. 6.

℣. De torrente in via bibet; ℟. Proptérea exaltábit caput. *Pſ.* 109. 7.

AD II. VESPERAS.

Antiph. de Laudibus.

Capitul. 1. Petr. 1. 18. 19.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatióne patérnæ traditiónis; ſed pretióſo ſánguine quaſi agni immaculáti Chriſti, & incontamináti.

Hymnus, Signum. *ut ſuprà*, 572.

℣. Omnis terra adóret te, & pſallat tibi: ℟. Pſalmum dicat nómini tuo. *Pſ.* 65. 4.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. Dignus eſt Agnus qui occíſus eſt, accípere virtútem, & divinitatem, &

ſapiéntiam,

sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5. 12.

Oratio, ut suprà ad Laudes.

Pro Comm. Sanctæ Monicæ Viduæ. Ant. Pars. liv. ℣. Non timébit. liij. *Orat.* Exaudi. *infrà.*

DIE IV.

In Festo

SANCTÆ MONICÆ, Viduæ.

Simplex.

Omnia de Communi unius Mulieris, servato ritu Paschali.

Prima Lectio de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio ij. erit tertia Feriæ occurrentis.

LECTIO III.

Ex lib. Confess. S. August.

Monica sancti Augustíni dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo péperit; Patrícium cónjugem, cui velut dómino semper servíerat, extrémo ejus vitæ témpore ad Christi fidem adduxit. Lapso in Manichæórum hæresim filio, cùm pro ejus conversióne multis lácrymis Deum precarétur, audívit à quodam Epíscopo: Fieri non potest ut fílius istárum lacrymárum péreat. Terrâ maríque illum secúta, Mediolání innótuit Ambrósio, qui Augustíno gratulátus est quòd eam matrem habéret. Ibi cùm ad memórias Sanctórum, sicut in Africa solébat, pultes cum pane & mero attulisset, atque ab ostiário prohiberétur; ubi hoc Epíscopum vetuisse cognóvit, tam piè obsecúta est, ut ipse mirarétur Augustínus, quòd tam fácilè accusátrix pótiùs consuetúdinis suæ, quàm disceptátrix illíus prohibitiónis effecta fuisset. Rédiens in Africam cum Augustíno, qui ejurátâ hæresi, ab Ambrósio baptizátus fúerat, cùm ad Ostia Tiberína constitisset, sic filium est allocúta: Fili, nullâ jam re delector in hac vita: quid hìc fáciam adhuc, & cur hìc sim néscio, jam consumptâ spe hujus séculi: unum erat propter quod in hac vita aliquántulùm immorári cupiébam, ut te Christiánum vidérem priusquàm mórerer; cumulátiùs hoc mihi Deus meus præstitit, ut te étiam, contemptâ felicitáte terrénâ, servū ejus vídeam. Quinto pòst die in febrem íncidit: & astantem íntuens Augustinum cum fratre ejus Navígio: Ponétis hìc, inquit, matrem vestram; illud autem vos rogo, ut ad altáre Dómini memi-

meritis mei. Die nono ægritúdinis suæ, ætátis anno quinquagésimo sexto ánimam Deo réddidit. Tum Evódius, succinente totâ domo, cantáre cœpit psalmum: Misericórdiam & judícium cantábo tibi, Dómine. Juxta sepulchrū pósito cadávere, priusquàm deponerétur, oblátum est pro ea, ut refert Augustínus, sacrifícium prétii nostri Deo ad altáre, cui ipsa nullíus diéi prætermissióne servíerat, & unde nóverat dispensári víctimam sanctam quâ delétum est chirógraphum contrárium nobis.

AD LAUDES.

Capit. 1. Tim. 5. v. 3. 5.

VIduas honóra quæ verè víduæ sunt; quæ autem verè vídua est & desoláta, speret in Deum, & instet obsecratiónibus nocte ac die.

Oratio.

EXaudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Mónicæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu; Per Dóminum nostrum.

DIE VI.

In Festo
SANCTI JOANNIS
ante Portam Latinam.

Duplex-minus.

AD I. VESPERAS.

De Communi unius Martyris, excep. quæ sequuntur.

Capitul. Isa. 43. v. 2. 3.

CUm ambuláveris in igne, non combúréris, & flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus Sanctus Israël Salvátor tuus.

℟. *De Communi unius Martyris, addito* allel.

Hymnus. S. V.

URBEM Romúleam
quis furor íncitat?
Christi discípulus, Cæsare
júdice,
Damnátus rápitur; nil venerábilis
Frontis caníties movet.

IN fervens ólei conjícitur mare;
Nil æstus nócuit, flamma sed hóspiti
Parcit blanda suo; ceu pugil úngitur,
Hinc & fórtior éxilit.

EDICTO stériles pulsus in ínsulas,
Exul tunc sócio perfrúitur Deo:
Hinc ventúra videt, quæ cálamo notans
Sublustri nébulâ tegit.

SIC nos Christus amet, sic dóceat pati;
Discamusque mori, fúneris ut sacri
Simus partícipes; non áliis patet
Cœlum conditiónibus.

PATRI máxima laus,
máxima Filio,
Amborumque sacro máxima Flámini;
Hæc est certa fides, fóntibus è tuis,
Quâ divínitùs háusimus.
Amen.

℣. Justus cùm cecíderit, non collidétur: ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36. 24.

Ad Magníf. *Ant.* Pro certo. *ut in Communi unius Martyris.* vij.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

AD NOCTURNUM.

Invit. Deum qui convertit luctum suórum in gáudium, * Veníte, adorémus, allelúia. *Jerem.* 31. 13.

Ps. Veníte.

Hymnus, ut in I. Vesperis.

Super Psalmos, tres Antiph. & ℣. ut die primâ Maii in festo Apost. Philippi & Jacobi, pag. 564.

Lectio I. de Scriptura occurrente, ex duabus fit una.

℟. Patienter sústinens, * Destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem, allel. 2. *Marc.* 6. 20. ℣. Confessus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Tim.* 6. *v.* 12. * Destinávit non admíttere.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, adversùs Joviniánum.

LECTIO III. *Cap.* 14.

JOannes unus ex Discípulis, qui mínimus tráditur fuisse inter Apóstolos, & quem fides Christi vírginem repérerat, virgo permansit; & ideò plus amátur à Dómino, & recumbit super pectus Jesu: & quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérroget. Et post resurrectiónem, nuntiante Maríâ Magdaléne quòd Dóminus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulchrum; sed ille prævénit. Cumque essent in navi & piscarentur in lacu Genézareth, Jesus stabat in líttore, nec sciébant Apóstoli quem vidérent: solus virgo vírginem agnoscit, & dicit Petro: Dóminus est. Est Joannes, & Apóstolus, & Evangelista, & Prophéta: Apóstolus, quia scripsit ad Ecclésias ut magister; Evangelista, quia librum Evangélii cóndidit, quod, excepto Matthæo, álii ex duódecim Apóstoli non fecérunt; Prophéta, vidit enim in Pathmos ínsula, in qua fúerat à Domitiáno príncipe ob Dómini martyrium relegátus, Apocalypsim, infiníta futuró-

rum mystéria continentem. Refert autem Tertulliánus quòd Romæ missus in ferventis ólei dólium, púrior & vegétior exíverit, quàm intráverit.

℟. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, * Tradens ánimam suam, allelúja. *Philip.* 2. 30. ℣. Gloriosíssimam mortem compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Mach.* 6. 19. * Tradens.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

LECTIO III. *Cap.* 10. 35.

Honorem petentibus promittitur tribulatio.

IN illo témpore: Accédunt ad Jesum Jacóbus & Joannes fílii Zebedæi, dicentes: Magister, vólumus, ut quodcumque petiérimus, fácias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut fáciam vobis; & dixérunt: Da nobis, ut unus ad déxteram tuam, & álius ad sinistram tuam sedeámus in glória tua. Et réliqua.

Homilía sancti Joannis Chrysóstomi.

Homil. 66. *in Matth.*

ZEbedæi filii ad Jesum accedentes, de primo consessu alloquuntur. Nam quóniam prope Jerúsalem erant, credebantque regnum Dei jamjam eventúrum, quod hujus vitæ ac seculáre opinabantur, hæc postulábant, ut ob honórem facíliùs étiam ómnia perícula possent evitáre; proptéreà Christus ab his eos cogitatiónibus abdúcens, perícula, sánguinem, necemque ipsam expetendam esse jubet. Potestis, inquit, bíbere cálicem quem ipse bibo? Nec turbétur quísquam, si ádeò imperféctos dícimus Apóstolos fuisse. Nondum enim mystérium crucis erat consummátum; nondum grátia Spíritûs in corda ipsórum infúsa. Quare si stúdia virtútis ipsórum díscere cupis, quales, post datam grátiam Spíritûs fúerint, considera; & vidébis omnem ab illis turbatiónem ánimi fuisse superátam. Hac enim de causa eórum modò imperféctio revelátur, ut apertè percípere possis, quales súbitò per grátiam effecti fúerint.

℟. iij. Virtúte magnâ * Reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri, & grátia magna erat in ómnibus illis, † Allel. allel. *Act.* 4. 33. ℣. Repléti fortitúdine Spíritûs Dómini, judício & virtúte. *Mic.* 3. 8. * Reddébant. ℣. Glória. † Allel.

Te Deum.

AD LAUDES. ℣. *Sacerd. Ant. Hymnus,* ℣. *ut in die prima Maii.*

Ad Benedict. *Ant.* 7. c. Accessit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, & petens áliquid ab eo, allel. *Matth.* 20. 20.

Oratio.

DEus, qui beátum Joannem partícipem in tribulatióne & patiéntia Dómini Jesu, óleo sanctæ exultatiónis unxisti; fac nos, tantæ imitatióne virtútis, communicantes ejusdem Christi passiónibus sic gaudére, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeámus exultantes: Qui tecum vivit.

AD HORAS, & VESP. ut in die prima Maii.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Joannes testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi quæcumque vidit, allelúia. *Apoc.* 1. 2.

Oratio, ut sup. ad Laud.

Fit Commem. S. Fulcrani, Episc. Ant. Elégit. ℣. Beátus. xix. *Orat.* Omnípotens. *infrà.*

DIE VII.

In Festo

SANCTI FULCRANI,

Lodovensis Episcopi.

Semiduplex.

De Communi unius Pontificis, servato ritu Paschali, pag. xviij.

LECTIO II.

Ex Hist. gen. Occit.

FUlcránus ex território Lodovensi, Narbonensis Províncíæ, paréntibus génere ac poténtiâ claris ortus, non parva à téneris dedit indícia sanctitátis. Cùm magnos in Scripturárum sciéntia, omniumque virtútum génere progressus fecisset, ad sacrum Presbyterátûs órdinem primùm evectus, póstmodum mórtuo Theodoríco Lodovensi Epíscopo, in ejus locum, ómnium votis, suffectus est. Quo audíto, fugâ elapsus, latére vóluit: sed repertus tandem, Narbónem addúci se vix passus, ab Aimeríco Narbonensi, confirmátâ electióne, Epíscopus est consecrátus. Lodóvam reversus, Diœcésim assíduè perlustráre cœpit, promovendæ pietáti, vitiísque tollendis únicè intentus: ita verò in páuperes miséricors, ut grassante fame, vénditâ supelléctili, egéntium ómnium necessitátibus abundè subvénerit. Collapsam in nonnullis monastériis disciplínam restítuit: quædam de novo erexit. Demum febre correptus, óbiit anno millésimo sexto, Episcopátûs sui quinquagésimo séptimo, magnis dum vitam dégeret,

nec minóribus post mortem clarus miráculis. Corpus ejus post annos circiter centum viginti, integrum repertum est: & quamvis hæreticórum furóre, labente século décimo sexto, impiè discerptum sit ac projectum; illíus tamen partes áliquæ impiórum hóminum mánibus ereptæ, incorruptæ adhuc persevérant, & Lodóvæ asservantur ómnium óculis conspícuæ.

Lectio III. *ut in Códice Lectionum*, p. lxviij.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui eléctum tuum Pontíficem Fulcránum nostris tempóribus glorificáre non désinis: concéde plebi tuæ ad ejus solémnia confluenti; ut quæ piè ejus intercessióne popóscerit, à te percípere mereátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Die ix.

In Festo

SANCTI GREGORII, Nazianzeni Episcopi & Ecclesiæ Doctoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Doctoris, servato ritu Paschali, p. xxiv.

Oratio, Omnípotens, *ut infrà ad Laudes.*

Lectio prima de Script. occur. ex duabus fit una.

Lectio II.

Ex ipsius S. Greg. Carm. & Orat. ac ex antiq. Script. Eccles.

Gregórius, ob singulárem divinárũ litterárum sciéntiam Theólogus appellátus, Nazianzi in Cappadócia secundæ natus est Gregório patre, qui pósteà Nazianzénæ Ecclésiæ curam suscépit. Adoléscens, Cæsaréam primùm, deinde Alexandríam, hinc Athénas, discendi stúdio, perrexit; ubi amicítiam íniit cum Basílio, & ab Atheniénsibus eloquéntiæ Proféssor est designátus. In pátriam reversus, baptizátus est. Tum Présbyter à patre, invítus licèt, creátus; mox, ne ab eódem Epíscopus consecrarétur, fugit in Ponti solitúdinem, ubi cum Basílio monásticæ vitæ institúta cóndidit. Imperante Juliáno Nazianzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui deceptus ab Ariánis confessióni Ariminensi subscrípserat, adduxit ut subscriptiónem revocáret, eumque mónachis & magnæ gregis parti quæ ab ipso descíverat, reconciliávit. Sasimórum Ecclésiæ à Basílio præfectus, ne causa esset dissidii Basilium in-

ter & Anthimum Tyanensem Epíscopum de Sasimórum óppido, Episcopátu cessit; & Nazianzum in auxílium patris, eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo recéderet. Constantinópolim ad restaurandam hujus civitátis Ecclésiam missus, Ariános & Apollinaristas expugnávit. Tantis perfunctum labóribus Gregórium Petrus Alexandrínus Constantinopolitanórum Epíscopum per epístolas instítuit. Convocátâ deinde Constantinopolitánâ Synodo, Gregórius in Concílio, stúdio pacis, se ábdicans, dixit: Si vobis ullómodo dissídii causa sum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero, projícite me in mare, & hæ tumúltuum procellæ conquiéscent. Post hæc à Synodo discédens, cùm Nectárius ei substitútus esset, Nazianzum se recépit: unde Cæsaréam profectus, in laudem Basílii nuper defuncti oratiónem fúnebrem hábuit. Dehinc Nazianzum Prǽsule orbátam aliquámdiù administrávit; eique Ecclésiæ ab hæresi expurgátæ præficiendum curávit Eulálium. Rus deinde secessit, ubi mónachi vitam agens, gravíssimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis ac vigíliis superávit. Demum, Theodósio imperante, decessit; multis super ægros & energúmenos patrátis in vita miráculis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Lectio III. *Cap. 5. v. 13.*

Sal terræ; lux mundi.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nazianzéni Epíscopi.

Orat. in Conc. Constant. habitâ quando Cathed. Episc. reliquit.

HAbétis, ô viri, nostri in hanc urbem adventûs apológiam: quæ si laudem mereátur, Deo, & vobis quorum accítu huc veni, grátiam hábeo: sin autem spem vestram minùs implévi, sic quoque grátiam hábeo. Non enim omninò vituperanda est, ut mihi persuádeo, ac vobis id affirmántibus credo. Numquid pópulum hunc per avarítiā circumvénimus? Numquid privátis utilitátibus consulúimus, quemádmodum multos fácere

video ? Numquid Ecclésiam moléstiâ affécimus ? Labórum præmium mihi date. Diutúrnis labóribus me leváte, atque in réquiem vindicáte. Móveat vos hæc caníties, flectat hospítii & peregrinatiónis rátio. Alium subrogáte qui puris sit mánibus, qui ita ánimo comparátus, ut ómnibus in rebus vobis óbsequi, curásque Ecclesiásticas simul perferre possit. Vidébit sibi Dóminus Pastórem ad præfectúram, quemádmodum ovem vidit ad holocaustum. Ego autem his verbis extrémum vos salutábo : Vale, Cáthedra, invidiósum hoc & periculósum fastigium. Vale, Trínitas, meditátio mea & decus meum. His, velim, servéris, & hos serves, pópulum hunc meum : meus enim est, etiamsi áliter gubernémur .... Filíoli, depósitum, quæso, custodíte.

AD LAUDES.

Capitulum. Jonæ. 1. 12.

Dixit ad eos : Tóllite me, & míttite in mare, & cessábit mare à vobis : scio enim ego, quóniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

Oratio.

Omnípotens ætcrne Deus, qui Ecclésiæ tuæ filios sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre : da fidélibus tuis, intercessióne beáti Gregórii quem eis æternæ salútis minístrum tribuísti, ut, te miserante, & sciéntiam recta faciéndi, & possibilitátem cápiant exequéndi ; Per Dóminum.

AD VESPERAS, fit *Comm. S. Mamerti Episc. Ant.* Elégit. ℣. Beatus vir. xix. *Orat.* Dírige, xxiij.

DIE X.

In Festo
SANCTI MAMERTI,
Episcopi.

Simplex.

Omnia de Communi unius Pontificis, servato ritu Paschali, p. xviij.

LECTIO III.

Ex Sidon. Apoll. Alcimo, Avito, Greg. Turon. Adone, &c.

Mamertus circa témpora Clodovéi Magni post Simplícium Viennensis Epíscopus, ipsâ Domínicæ Resurrectiónis vigíliâ, deflagrante régális palátii arce, cùm cives facultátibus domibúsque suis metuentes ex Ecclésia discessissent, ipse solus in ea remansit, & lácrymis ac oratiónibus incéndium extínguere méruit. Sed jam ánteà ferè per anni spátium frequentes terræ motus plu-

res ejusdem civitátis domos & Basílicas concússerant: insóliti quoque sónitus nocturni, & lupi, ursi, ac cervi per urbem oberrantes exitiále quiddam ac ferále minitabantur. Quæ flagella ut avérteret, eâdem nocte, cívibus post extinctum incéndium ad Ecclésiam reversis, ánimo concépit instituere solemnes Litánias usitátis sanctióres. Has Litánias solemnióres Mamertus pósteà indixit tríduo ante Ascensiónem Dómini celebrandas in jejúniis, compunctióne cordis, précibus & eleemósynis; ad quas univérsis fidélibus concurréntibus, coorta cessávit calámitas. Eas supplicatiónes mox in tota Gállia præscriptas & observátas, Roma ipsa Leónis tértii auctoritáte amplexa est. Successórem hábuit Mamertus Hesychium Senatórem, patrem sancti Alcimi Aviti, ejusdem sedis pósteà Epíscopi. Corpus Mamerti in Basílica Apostolórum extra muros Viennæ sepultum, post multos annos dícitur Aurélias allátum ad Basílicam sanctæ Crucis, unde extractum à Calviniánis incéndio consumptum est.

Oratio. Dírige, *p.* xxij.

Die xi.

In Festo

SANCTI PONTII,

Martyris.

Semiduplex.

De Communi unius Martyris, servato ritu Paschali, p. vj. *Oratio* Deus invisíbilis, *ut infrà.*

Lectio II.

Ex Actis apud Boll.

Pontius Cemélii, quæ olim urbs nóbilis fuit Províncíæ maritimárum Alpium, non longè à Nícia, nunc autem díruta est, martyrii palmam est adeptus, fervente Valeriáni persecutióne circa annum ducentésimum quinquagésimum octávum. Sancti Mártyris sepulcrum váriis clarum fuisse mirácuiis, ac fidélium úndique illuc affluéntium frequéntiâ celebrátum, testis est sanctus Valeriánus Cemeliensis Epíscopus, iis tribus Homéliis quas ad pópulum die festo sancti Póntii circa médium quinti séculi habuisse fertur. Póstmodum século décimo sacra mártyris pígnora magnâ ex parte transláta sunt ad monastérium Tomeriárum, quod ejus nómine fuit tum témporis constitútum, & deinde à Joanne Papa vigésimo secundo in sedem Episcopálem erectum. Verùm hinc san-

ctæ relíquiæ à Calviniánis século décimo sexto ímpiè deprædátæ sunt ac projectæ.

Lectio sancti Evangelii, ut in Codice Lectionum, p. lxij.

Oratio.

Deus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiernâ die, sancti Mártyris tui Póntii glorióſum triumphum recólimus, ejus méritis & précibus, contra spirituália nequítiæ muniámur; Per.

AD VESPERAS, fit Comm. S. Epiphanii Episc. & Doct. Ant. Ipse. ℣. Beátus, xxv. *Orat.* Deus, qui pópulo, xxviij.

DIE XII.

In Festo

S. EPIPHANII EPISC. & Ecclesiæ Doctoris.

Simplex.

De Communi unius Doctoris, servato ritu Pasch.

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus fit una.

Lectio secunda erit tertia Feriæ occurrentis.

LECTIO III.

Ex Sozom. lib. 61. cap. 32. & Hieron. Epist. 62. cap. 4.

Epiphánius in território Eleutheropolitáno in Palæstína ortus, ab ineunte adolescéntia à præstantíssimis Mónachis institútus est. Apud Ægyptios, Palestínos, & Cyprios, & Mónachus, & Monachórum pater flóruit. A Cypriis electus est, ut Salamínæ (quæ tunc Constántia vocabátur,) totius ínsulæ Metrópolis, onus Episcopále susciperet. Qua ex re per universum orbem máximam nóminis celebritátem adeptus est. Ex antiquórum lectióne eruditiónem, ex pietáte zelum hábuit, quem facíliùs exercébat, si quos veritáti repugnáre, vel nóverat vel suspicabátur; ita ut nec magno Chrysóstomo párceret, Theóphili calúmniis deceptus; sed si qua in his, ut homo peccávit, ardens hæc opéruit cháritas. Ita fuit liberális in egénos, ut facultátibus absumptis, ubi opus esse videbátur, Ecclésiæ bona impéndere non recusáret. Insigni vitæ conversatióne, atque étiam miráculis cláruit adhuc superstes. Fuit illi cum Athanásio, Basílio, Dámaso, Hilarióne familiáritas; cum Hierónymo summa conjúnctio, cujus Pauliniánum fratrem Presbyterum ordinávit, & hábuit. Móritur Arcádio príncipe, anno quadringentésimo tértio.

Oratio. Deus. xxviij.

Die xiv.

In Festo

SANCTI PACHOMII,

Abbatis.

Simplex.

De Communi unius Abbatis, servato ritu Pasch.

Oratio, Omnípotens, p. xxxix.

Lectio prima de Scriptura occurr. ex duabus fit una.

Lectio secunda erit tertia Feria occurrentis.

Lectio III.

Ex Vitis Patrum.

Pachómius in Thebáïde natus parentes idolólatras hábuit. Christianórum erga mílites benéficâ charitáte motus, Christi fidem & baptísmum suscépit, & Palæmonis disciplínæ se trádidit, ut cum eo vitam anachoréticâ ágeret. Morabantur simul, texébant cilícia, & laborábant mánibus suis; vigíliis & contínuis ferè jejúniis corpus affligébant. Pachómius legendis Scriptúris assíduus, eas memóriter dídicit. In vico Tabennensi habitatóribus vácuo Monastérium cóndidit, Regulamque ab Angelo accépit, ad quam discípulos instituéret. Per quíndecim annos stans, & in dorsum quidem paríeti reclínans somnum cepit. Octo Monastéria Mónachis úndique ad illum accurréntibus ædificávit, præcípiens eis, ut habérent moderátum cibum, vilíssimam vestem, somnum étiam competentem. Validióribus validióra ópera, infirmióribus levióra imponébat. In solemnitátibus ex vicínis locis Presbyteros advocábat, qui sacra perágerent, & discípulis, sibíque corpus & sánguinem Christi Dómini ministrárent. Nullum enim inter Mónachos qui clericátûs offício fungerétur admittébat. Construxit étiam Monastérium, in quo Vírgines Deo dicátæ Mónachos æmulabantur, prævíâ & imperante ipsíus soróre. Pachómius tandem labóribus & áspero vivendi génere conféctus, ánimam Deo réddidit circa annum Christi trecentésimum quadragésimum octávum.

Die xv.

In Festo

S. GUIMERRÆ,

Carcassonensis Episc.

Duplex-majus.

(*In Cathedrali, Solemne-minus.*)

Omnia de Communi unius Pontificis. xviij. *servato ritu Paschali. Oratio*, Deus qui, *infra.*

Lectio prima de Scriptura occurrente, de duabus una.

LECTIO II.

Ex Hist. gen. Occit. & actis Eccl. Carc.

GUimerra, Carcassónæ ex paréntibus religiónis Christiánæ addictíssimis natus, puer ab iisdem ad ómnium virtútum disciplinam summo stúdio informátus est. Adultâ póstmodum ætáte, orbátus paréntibus, cùm pietáti colendæ ácriùs ac toto ánimo incúmbere statuisset, sprétis mundi illécebris, ac re familiári paupéribus erogátâ, Ecclésiæ Carcassonensi, cui tum præerat probátæ virtútis Póntifex Gisleránus, sub régula sancti Augustíni, se ipsum trádidit. In eo jam tum mirum in modum eluxére exímia morum innocéntia, flagrans oratiónis stúdium, pudorque, & modéstia singuláris. Tot virtútum laude præfulgens Guimerra, cùm è vivis excessisset Gisleránus Epíscopus, in ejus locum unánimi ómnium suffrágio suffectus est. Quo in múnere vigilantíssimi sapientissimíque pastóris partes omnes sanctíssimè implévit. Plúribus eum adfuisse concíliis, quæ ineunte sécu o décimo, tum in Monastério sancti Tibérii Diœcésis Agathensis, tum Magalónæ, tum áliis Narbonensis Gálliæ locis hábita sunt, testatur, ac fidem fáciunt eorumdem conciliórum acta. Hos inter Pontificális dignitátis labóres, câ morum integritáte, ac potíssimùm castitátis virtúte enítuit, ut vel mínimam libídinis umbram perhorrésceret; nec umquam corpus suum, ténuis licèt valetúdinis, ásperè habére intermíserit. In páuperes ita miséricors, ut ad eórum misériam sublevandam sæpíssimè largítus sit, quæ sibi erant ad victum necessária. Tandem ad labórum præmia vocátus, migrávit ad Dóminum, anno círciter nongentésimo trigésimo primo. Ejus corpus in Ecclésia sancti Nazárii Carcassónæ recónditum est; ibique piâ fidélium veneratióne quotídie cólitur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *c.* 25. 14.

Talenta servis distributa.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregrè proficíscens vocávit servos suos, & trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homilia 17. in Evangelia.

PEnsémus, fratres, qui unquam per linguam

nostram conversi, qui de perverso suo ópere nostrâ increpatióne correpti, pœniténtiam egérunt. Quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negótium missi sumus. Etenim dicit: Negotiámini, dum vénio. Ecce jam venit; ecce de nostro negótio lucrum jam requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus? Quot ejus conspéctui animárum manípulos de prædicatiónis nostræ ségete allatúri sumus? Ponámus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo judex véniet, & ratiónem cum servis suis, quibus talenta crédidit, ponet. In illo tanto exámine electórum ómnium & reprobórum multitúdo deducétur, & unusquisque quid sit operátus ostendet. Ibi Petrus cum Judæa conversa: ibi Paulus conversum, ut ita díxerim, mundum ducens: ibi Andræas post se Achájam; ibi Joannes Asiâ, Thomas Indiam ducet. Nos míseri quid dictúri sumus qui ad Dñm nostrum post negótium vácui redímus; qui pastórum nomen habémus, & oves quas ex nutrimento nostro debeámus osténdere, non habémus? Hîc Pastóres vocáti sumus, & ibi gregem non dúcimus.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam Carcassonensem beáti Guimerræ Pontíficis tui, hodiernâ festivitáte lætíficas: concéde propítius; ut qui ejus mérita venerámur, ejusdem apud te précibus júgiter adjuvémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

AD VESPERAS, fit Commemoratio de seq. ut in Comm. plurium Mart. Orat. Da, Dómine, *infrà.*

DIE XVI.

In Festo SS. MARTYRUM pro unitate Catholica occisorum.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum, servato ritu Paschali.

Lectio prima de Scriptura occurr. ex duabus una.

Lectio secunda erit tertia Feria occurrentis.

Ex Epístola Petri Alexandríni Epíscopi de his quæ Alexandríæ gesta sunt, auctóre Lúcio.

Apud Theodoretum lib. 4. hist. c. 22.

LECTIO III.

Províinciæ rector Palládius qui sectæ erat gen-

tilis, collectâ multitúdine, impetum in Ecclésiam fecit. Sanctárum Christi Vírginum vestem discidérunt. Multæ dùm fustibus cápita verberarentur, mansérunt exánimes. Ac nec córpora quidem sepultúræ mandári permittebantur. Succéssor noster míttitur, qui Episcopátum prétio coémerat, Lúcius quidam ab ómnibus ubíque orthodoxis sæpe damnátus; in conspectu ejus has laudes acclamábant: Benè venisti, Episcope, qui Filium negas. Magnus impietátis ejus indivíduus comes, collectâ multitúdine Presbyteros ac Diáconos novémdecim comprehendit. His illi verbis coacti respondérunt: Rectæ ac piæ doctrínæ ad extrémum usque spíritum adhæsúri sumus. Accurrit tota cívitas visúra athlétas Christi, qui flagra júdicis ipsos torquentis toleránţiâ suâ superábant. Multi ex fléntibus rapti, laceráti, torti, ad metalla damnáti sunt viri, qui pro Ecclésiæ defensióne divíno zelo incensi pugnáverant. Cum quibus Diáconus qui à charíssimo nostro Dámaso Epíscopo urbis Romæ consolatórias simul & communicatórias lítteras attúlerat, mánibus post tergum revinctis públicè à carnificibus ductus est. Navigium in mari conscendit sicut cæteri, divinæ Crucis signo frontē suam consignans.

Oratio.

DA, Dómine, intercessióne sanctórum Mártyrum, qui pro dógmate a Cathólica Ecclésia definito Unitátis adunáti pastóribus sánguinem effudére, nos iisdem fídei & unitátis vínculis tibi semper adhærére; Per.

DIE XX.

SANCTI BAUDELII, Martyris,

Commemoratio.

Pridie AD VESP. Ant. Pro certo. ℣. Justus. *ut in Comm.* vij. *Or.* Adesto. xj.

AD LAUDES, Ant. Vitâ. ℣. Justus. x. *Oratio,* Adesto. xj.

DIE XXI.

In Festo

SANCTI LUPINI, Presbyteri.

Duplex-minus.

(*In Cathedrali, Solemne-minus.*)

De Communi unius Presbyteri. xxx. *servato ritu Paschali.*

Oratio, Propitiáre, *ut infrà.*

Lect. I. de Scriptura occurr.

LECTIO II.

LUpínus, Canonicórum Carcassonénsium Collégio adscriptus, circa

médium séculi noni, quo témpore Liviula sedem Episcopálem obtinébat, eximiâ morum sanctitáte omníque virtútum génere, bonum fundébat Christi odórem. Hoc piæ hóminum memóriæ adhuc insculptum: hoc ómnium ore tráditum. Cæterùm illíus vita, vitæque circumstántiæ, non sine magno dolóris sensu, jámdiu témporum injúriâ, abolítæ dignoscuntur. At pii Presbyteri vita, quamquam bellórum tumultu ac perturbatiónibus direpta, ad nos usque scriptis nondum pervénerit; id tamen singulári providéntiâ cautum est, ut sacræ illíus relíquiæ véluti exímium sanctitátis viri monumentum, certúmque ejúsdem in nos patrocínii pignus, ac doméstícum quoddam morum exemplar, in (hac) Cathedráli Ecclésia sédulò asserváta sint, ac peculiári cultu honorátæ. Apertâ autem harum reliquiárum thecâ, ineunte século décimo séptimo, vetustióribus chartis compertum est, sanctum quem cólimus Lupínum obiisse anno círciter octingentésimo quinquagésimo secundo; cùm Ludovícus Elligánius huic civitáti Comes imperáret.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio III. *Cap.* 12. *v.* 35.

Lumbi præcincti, & lucernæ ardentes.

Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris; & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis. Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

Sermo de Dispensatoribus Domini. §. 9.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes. Si istum Dómini sermónem secundùm lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus inveníre. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? Alia ergo in præcinctis lumbis, & lucernis ardéntibus, quærenda intelligéntia spiritális, quæ scílicet divíno sit præcepto condigna; quæ nostræ salúti cóngrua reperiátur & cómmoda. Neque enim frustrà quodam loco ipse Dóminus ait: Verba quæ ego locútus sum vobis, spíritus & vita sunt. In lumbis ita

que concupiscéntia carnis osténditur : in lucernis verò fides & cháritas christiána monstiátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcingi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrænári. Imperans autem ut lucernas ardentes habeámus, hoc útique jubet, ut & veræ fidei lúmine splendeámus, & sanctæ charitátis opéribus ferveámus. Jubens ut sint lumbi nostri præcincti, mandat ut mala desidéria atque ópera fugiámus : jubens ut sint lucernæ ardentes, monet ut bona diligámus atque faciámus.

Oratio.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Lupini, qui in (hac) Carcassonensi requiéscit Ecclésia, ibíque Canónici munus sanctíssimè óbiit, mérita gloriósa ; ut ejus piâ intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis ; Per.

DIE XXIV.

In Festo

S. FRANCISCI REGIS,

Presbyteri.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Presbyteri. xxx. *servato ritu Paschali. Oratio*, Dómine Deus, *pag.* xxxiv.

Fit Commemoratio SS. Donatiani & Rogatiani Mart. Ant. Exultábitis. ℣. Custódit. *ut in Communi.* xiij. *Oratio*, Exaudi nos. xviij.

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus una.

LECTIO II.

JOannes Franciscus Regis nóbili génere, prope Carcassónam natus, in oppídulo Narbonensis Gálliæ, cui nomen Fons-copertus, exímiæ sanctitátis à téneris annis indícia præbuit. Societátem Jesu ingressus Tolósæ anno ætátis décimo nono, ómnibus excélluit vitæ religiósæ virtútibus. Absolútis stúdiis totum se procurandæ animárum salúti pénitùs devóvit. Velannórum & Forénsium montes, & ingentes Helviórum tractus, eorumque colónos barbárie intractábiles suscépit excolendos, eo successu, ut innumerábiles hómines aut Calvinianâ lue infectos, aut pérditis móribus corruptos, ad fidem cathólicam, & ad christiánam pietátē tradúxerit. Campéstribus missiónibus hyberno témpore perfunctus, æstívo revertebátur Anícium ; ibíque per nosocómia in ægrotórum ministériis, sustentandísque paupéribus

strénuam exhibébat óperam. Grassante peste infirmos eo morbo laborantes sédulò invísens, ardenti charitáte reficiébat. Erga álios blandus, in se ipse sæviébat acérrimè. Somnum humi carpens, semper abstémius, vili cibo victitans; divíno amóre sic erat incensus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Tandem miráculis clarus, in Viennensis Diœcésis pago, cui nomen est Lalovescus, spíritũ Creatóri réddidit anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, vitæ suæ quadragésimo quarto.

Lectio iij. ut in codice Lectionum. lxxj.

De SS. Donatiano & Rogatiano Martyribus.

LECTIO IV.

Ex Act. apud Ruinart.

DOnatiánus & Rogatiánus fratres, Nannétis in Aremórica propter Christi religiónem in persecutióne Diocletiáni & Maximiáni comprehensi sunt: ille ætáte matúrior, ac jam baptizátus; hic júnior, & catechúmenus tantùm. Quare Donatiánus postquam interrogátus, Christiánum se coram Præside confessus est; statim convictus desertæ religiónis públicæ, in cárcerem conjícitur. Rogatiánus verò blandítiis & illécebris tentátur, ne à deórum cultu témerè recéderet, aut baptisma Christianórum expéteret. Sed cùm Præsidi in utróque consentíre constanter recusáret, in eamdem custódiam cum fratre detrúsus est, qui cùm illum mœstum sensisset quòd sacro baptísmate nondum tinctus in mortis discrímine versarétur, & sacerdótis fuga omnẽ spem illíus suscipiendi præcidisset, orávit Dóminum, ut pura fides illi baptísmatis vicem præstáret, & Sacramenti grátiam sánguinis obtinéret effúsio. Quo facto, cùm ambo postrídie ante Præsidem deducti essent, eódem jubente, in catasta equúlei suspensi, crudéliter laniáti sunt. Sed nihilóminùs Christum intrépidè confiténtes, lánceâ militári perfossi, tandem cæsis capítibus, martyrium consummavérunt. Horũ précibus Nannéticam civitátem ab obsidióne Barbarórum liberátam, Clodovæi regis tempóribus, scribit sanctus Gregórius Turonensis Epíscopus.

AD LAUDES, fit Commemoratio SS. Donatiani & Rogatiani Mart. *Ant.* Lætítia. ℣. In te. xvj. *Oratio*, Exaudi. xvij.

Die xxviii.

In Festo

SANCTI GERMANI, Episcopi.

Simplex.

De Communi unius Pontificis, xviij.

Orat. Ecclésiæ, xxiij.

Lectio I. de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio secunda erit tertia Feria occurrentis.

Lectio III.

Venant. Fortunat. Pict. Episc. secul. 1. Bened.

Germánus apud Æduos natus, Présbyter primùm, & Monastérii sancti Symphoriáni Æduensis Abbas, morum sanctitáte ad Episcopátum Parisiensis Ecclésiæ assumptus est. Nihil ibi remísit de vitæ austeritáte, quam in Monastério égerat. Horâ noctis tértiâ Ecclésiam ingressus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de Clero per tres vigílias sibi vicissim ad psallendum succedéntibus. Mira erat ejus in páuperes, máximè verò in servos captivosque rediméndos, beneficéntia, & Childeberto regi tam probáta, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingentem ei pecúniam subministráret. Caribertum unum è Francis régibus qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdixit. Sigebertum per lítteras à cæde Chilperici fratris deterrére conátus est, & suis mónitis reluctantem brevi moritúrum prædixit. In Synodo Bituricensi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Sedit in Concílio Parisiensi tértio & quarto, & Turonensi secundo. Obiit quinto Kalendas Június, corpusque ejus sepultum fuit ad sanctum Vincéntium, & sub Pippíno rege in majórem basílicam hujus Monastérii, quod hódiè ejus nómine San-germánum appellátur, translátum est.

Die xxix.

In Festo

SANCTI GUILLELMI, Monachi.

Simplex.

De Communi unius Monachi, pag. xxxv. *Oratio*, Da nobis. *ut infrà.*

Lectio III.

Ex Vita S. Guillelmi.

Guillelmus, patre Theodoríco Cómite, & matre Abdóna natus, sub Cárolo magno Aulæ militiæque mancipátus, primæ cohortis sortitus est principátum. Deinde cùm in tractandis rebus béllicis egrégiam sibi laudem comparasset, ab eódem Imperatóre, Aquitániæ Dux, Comesque Tolosánus renunciátus est. Tum, victis sæpiùs bár-

baris, dilatatóque império Christiáno, & pace constitútâ; sub disciplína sancti Benedicti Anianensis, totum se dedit opéribus justítiæ, pietátis ac misericórdiæ. Nec multò pòst Monastérium ædificári curávit in valle Gellonensi Diœcésis Lodovensis, scópulis & móntibus aspérrimâ, quod nunc sancti Guillelmi in erémo nuncupátur. In Aulam póstea ab imperatóre vocátus, hinc brevì discedendi licéntiam impetrávit; pergensque ad sanctum Benedictum, moram nullam fieri passus, hábitu monacháli indúitur in Gellonensi monastério, quod quidem jam ántea amplis à se redítibus donátum fúerat. Ibi ómnium deinceps virtútum splendóre, ac potíssimum humilitátis laude antecélluit; contínuæ vacans oratióni, jejúniis impénsiùs favens, ac sæpe noctes sólitus insomnes dúcere. Demum méritis plenus, prænuntiáto mortis die, obdormívit in Dómino, quinto Calendas Június, anno octingentésimo duodécimo. Ejus corpus in oratório sancti Michaélis quod ipse constrúxerat, primò sepultum, deinde in majórem monastérii Gellonensis Basílicam translátum, sub altári cónditum est, ubi etiamnum quiescit.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beátũ confessórem tuum Guillelmum imitári; ut seculáribus expedíti negótiis, donis cœléstibus te largiente ditémur; Per.

FESTA JUNII.

DIE I.
In Festo
SANCTÆ CLOTILDIS
Francorum Reginæ,
& Viduæ.
Simplex.

De Communi, pag. liij.
Orat. Réspice. *infrà.*
Lect. I. & II. de Scriptura occurrente.

LECTIO III.
Ex Gregor. Turon. & aliis scriptoribus apud Duchesne.

CLotildis Chilperíci fília, Clodovéo adhuc éthnico in conjúgium à pátruo Gundobaldo data, primogénitum Ingómerem, tolerante magis

quàm approbante Clodovéo, baptizári jussit. Cùm autem infantis in Albis defuncti mortem ægrè ferret Clodovéus, ac eam baptismo tribúeret, gráviter Clotildem objurgávit, assevérans deos pátrios ob contemptum sui núminis irátos filium eripuisse. At illa: Deo, inquit, omnipotenti creatóri ómnium grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indignam, ut de útero meo génitum regno suo ascíret. Alterum quoque filium Clodómerem baptizári curávit, quo páriter ægrotante, irátus est rex, affirmans, fore ut idem ei quod fratri contíngeret: sed matris précibus convaluit. Clotildis, quæ matrimónio consénserat, eâ lege, ut abjectâ idololátriâ, verum Deum cóleret Clodovéus, non cessábat hortári príncipē, ut staret promissis, ejusque conversiónem ad fidem cum lácrymis & gemítibus enixè postulábat à Deo. At rex Francórum superstitiónibus nimiùm addictus rem protraxit, donec in expeditióne Allemánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitorumque cónjugis memor, imploráto Christi auxílio, sese voto astrinxit ad suscipiendam veri Dei Religiónem, si victóriam de hóstibus reportáret. Regína de rebus gestis cértior facta, Regi læta occurrit apud Rhemos, & advocávit sanctum Remígium civitátis hujus Antístitem, à quo princeps fidem edoctus baptizátus est, & Chrísmate sacro inunctus. Post Clodovéi mortem, Turónes pétiit Clotildis, ibíque ad sancti Martíni sepulchrum pernox in vigíliis & oratiónibus, cæterisque piis opéribus intenta réliquum vitæ tempus exégit. Clodómeris in bello Burgúndico occísi fílios nepótes suos, Theobaldum, Guntárium, & Clodoaldum educávit: ac tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum, & Parísios inter psalléntium choros transláta, sepulta est à fíliis Childeberto & Clotário régibus ad latus Clodovéi in sacrário basílicæ sancti Petri, nunc sanctæ Genovéfæ: ibíque ipsius Relíquiæ in capsa argéntea repósitæ populórum públicæ veneratióni exponuntur.

AD LAUDES.

Capitulum. 1. Cor. 7. *v.* 13. 14.

Si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic consentit habitáre cum illa, non di-

mittat virum : sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem.

Oratio.

RÉspice, quæsumus, Dómine, Francórum benignus impérium ; & quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fidei contulisti, iisdem per ejus intercessiónem tribue sincérum Christiánæ pietátis affectum ; Per.

DIE II.

In Festo

SANCTI POTHINI

Lugdunensium Episcopi & Socior. Martyrum.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum, pag. xiij.

Lectio prima de Scriptura occurrente, ex duabus una.

Lectio secunda erit tertia Feria occurrentis.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennensis & Lugdunensis ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ.

Apud Euseb. hist. lib. 5. Cap. I.

LECTIO III.

BEatíssimus Pothínus Lugdunensis Epíscopus nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quò perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, & universâ plebe váriis eum clamóribus impetente, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus à præside quisnam esset Christianórum Deus, respondit : Si dignus fúeris, cognosces. Post hæc inhumanè raptátus & innúmeris plagis affectus est ; cùm ii quidem, qui própiùs astábant, cálcibus & pugnis illum contumeliósè appéterent ; qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent ; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultáret. Exinde vix adhuc spirans in cárcerem projectus est, tandemque post bíduum ánimam exhalávit : Matúrus verò neóphytus, & Diáconus Ecclésiæ Viennensis, nómine Sanctus, cum Blandina ancilla, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, & bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémò férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra, cùm torrerentur, illórum nares molestíssimus nidor im-

plébat. Hi ergo máximo certámine perfuncti, cùm vitálem spíritum diù protraxissent, tandem juguláti sunt. Blandína autem post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objecta est, à quo diù in altum jactáta, demùm & ipsa víctimæ instar jguláta est.

Oratio. Exaudi nos. xvij.

DIE III.

In Festo

SANCTI HILARII,

Carcassonensis Epíscopi.

Duplex-majus.

(*In Cathedrali, Solemne-minus.*)

De Comm. unius Pontificis, servato ritu Paschali. xviij. *Oratio, ut infrà.*

Lectio I. de Scriptura occurrente, ex duabus una.

LECTIO II.

Ex Tabular. Abb. S. Hilar. & Hist. gen. Occit.

Hilárius in território Carcassonensi ortus, primos ætátis suæ annos ita exsolvit, ut demum Ecclésiæ Carcassonensis Epíscopus éligi mereré-tur. Is fuisse putátur, cujus nomen extat in subscriptiónibus quadraginta quátuor Episcopórū Gálliæ, qui Synodálem Epístolam ad Sanctum Leónem rescripsére; quâ, missam ad eos ab eódem Pontífice Epístolam à se ad Flavianum de erróre Eutychetis scriptam, cum laude suscipiunt. Quódam sanctitate célebres viros in partem sollicitúdinis Episcopális accivit; cum quibus sólitus erat, annis singulis, per dies áliquot oratióni vacatúrus, in eum locum secédere, ubi jam tum monastérii, quod póstea ejus nómine nuncupátum est, fundamenta jecisse vidétur. Sæviébat tum témporis in Gállia Narbonensi Arianórum hæresis, quam in has regiónes secum bárbari addúxerant. Errórem ut extirpáret Hilárius, gregem suum verbi divini pábulo assíduè nutriébat: & quamvis pósitis insídiis fere quotidiánis, ad mortem continuò ab hæréticis appeterétur, numquam tamen à sancto propósito & múnere amovéri pótuit. Cùm autem hæresis in dies sæviùs grassarétur, & profúsus in lácrymas pius Póntifex, írritos esse labóres suos, coram Deo supplex gémeret; Deo revelante intellexisse fertur, Diœcésim post ipsius mortem ab omni prorsùs hæresis labe esse liberandam. Quapropter mortem vehementíssimè exoptans, non multò pòst extrémum instáre sibi diem intellige-

:uit; seque in eum
recépit ubi póstea
térium erectum est:
mórtuus ab alum-
Sacello sancti Sa-
i prope altáre, quod
:onsecráverat, est
átus. Anno autem
ntésimo sexagésimo
, Rogérius hujus nó-
primus, Carcassó-
ımes, cui in summo
erumque discrímine
; Hilárius aliquando
fúerat præstò esse,
óni Carcassonensi E-
ıo autor fuit de ex-
ıdis tandem è púl-
sancti Præsulis óssi-
Quâ de re inito cum
ɔpis comprovinciáli-
:oncílio, id statim
ɔre, lætóque ánimo
tum est. Tum Rogé-
quò sancti Pontí-
Relíquiæ decéntiùs
:arentur, & religió-
colerentur, excepti
lam beneficii me-
opes amplíssimas
ılit. Itaque octávo
ıdárum Februárii an-
quentis, à Francóne
ım translátio facta
t primùm illæ astán-
óculis fúerunt expó-
suavíssimum odórem
'érunt; & ægris sa-
em, cæcísque visum
:uêre. Exinde verò
is miráculis Deus ser-
i sepulcrum illustrá-

Léctio sancti Evangélii
secundùm Joannem.

LECTIO III. *Cap.* 10.

Pastor bonus.

IN illo témpore: Dixit Jesus quibusdã ex Pharisæis: Ego sum pastor bonus; bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

In Ev. Joann. Homil. 60.

MAgna res est, dilectíssimi, magna res est Ecclésiæ prælátio, & quæ multâ índiget sapiéntiâ & fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, & nunquam illas deserámus; & ut lupo generósè resistámus. Hæc enim inter pastórem & mercenárium est differéntia: scílicet quòd hic própriæ, contemptis óvibus; ille, suâ contemptâ, óvium semper salúti invígilet. Pastóris exemplo demonstráto, deceptóres duos méminit Christus; furem mactantem & rapientem oves, & mercenárium permittentem neque defendentem commissas. Per illum, Theudam & ejus assertóres; per hunc, Judæórum ministros signat, qui nullam curam commissis óvibus adhibébant. Quod olim Ezéchiel his verbis insé-

ctátus est: Væ pastóribus Israël! nonne pascébant semetipsos? nonne oves pascuntur à pastóribus? Sed illi contrárium faciébant; quod máximæ malítiæ genus est, & plurimórum causa malorum. Ideo, inquit, neque errantem reducébant, neque pereuntem quærébant, neque confractum alligábant, neque infirmum consolidábant: quóniam se, non oves, pascébant.

Oratio.

DEus, qui nobis sanctam hujus diéi solemnitátem in honóre beáti Hilárii pontíficis tui consecrasti; adesto famíliæ tuæ précibus, & dona, ut cujus festa celebrámus, ejus apud te méritis & intercessiónibus adjuvémur; Per Dóminum nostrum.

DIE V.

SANCT. AMANDI, ALEXANDRI, LUCII, ET AUDALDI, Martyrum Caunensium in Diœcesi Narbonensi.

Commemoratio.

Pridie AD VESP. Ant. Exultábitis. ℣. Custódit, *pag.* xiij. *Oratio.* Exaudi, *p.* xvij.

AD LAUDES, Ant. Lætitia sempiterna ℣. In te, Dómine. xvj. *Oratio.* Exaudi nos, *pag.* xvij.

DIE VI.

SANCTI ALEXANDRI, Papæ & Martyris,

Commemoratio.

Pridie AD VESPERAS, Ant. Pro certo. ℣. Justus vij. *Orat.* Omnípotens. ij

Ejusdem AD LAUD. Comm. Ant. Vitâ. ℣. Justus vij. *Orat.* Omnípotens. ij

DIE VIII.

In Festo SANCTI MEDARDI, Episcopi.

Simplex.

De Communi unius Pontificis, pag. xviij. *Oratio,* Dírige. xxij.

Pridie AD VESP. fit Commemor. S. Gildardi Episc. Ant. Dedit. ℣. Memor. xxij. *Orat.* Da Ecclésiæ. xxiij.

LECTIO III.

MEdardus, apud Salentíacum in pago Viromanduensi natus, à paréntibus piè institútus, oblátus est Viromanduensi Epíscopo, ut in Clericórum númerum adscriberétur. Crescéntibus cum ætáte méritis & doctrínâ, ad altióres gradus ascendit. Présbyter consecrátus, Viromanduórum Episcopátum, multórum assíduis précibus victus, regendum suscépit; ac sedem, eò quòd Augusta Viromanduórum à Vándalis & Hunnis eversa esset, Noviómi in óppido muníto

muníto collocávit. Intérim sanctus Eleuthérius, Tornacensis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cùm Clerus & pópulus Tornacensis Medardum sibi dari Epíscopum postulassent, sancto Remígio cæterisque províncíæ Epíscopis annuéntibus, rege & procéribus suâ auctoritáte rem promovéntibus, utriusque Ecclésiæ curam suscépit, Episcopális sedis honóre utríque serváto, quamvis Tornacenses ab eo témpore usque ad Simónem, per annos círciter sexcentos, non álios quàm Noviomenses Epíscopos habúerint. Flandros, gentem tunc ferócem, convertit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quinquagésimo sexto: eumque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit; & Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædificáre, quam Sigebertus fílius ejus absolvit & ornávit. In eamdem diem íncidit memória sancti Gildardi, Metropóleos Rotomagensis Epíscopi, qui Concílio Aurelianensi primo, anno quingentésimo undécimo subscripsit, & annis quíndecim in Episcopátu transactis, óbiit, & sepultus est in sanctæ Maríæ basílica, quæ deinde ob frequéntia ejus mirácula, ad sanctum Gildardum dicta est.

Ad LAUDES, fit Commemoratio sancti Gildardi, Antiph. Státuit. ℣. Sacerdótes. *Orat.* Da Ecclésiæ tuæ. xxiij.

DIE XI.

In Festo

SANCTI BARNABÆ,

Gentium Apostoli.

Duplex-majus.

IN I. VESPERIS.

Antiphona, ut in Communi Apostolorum.

Capitulum. Isa. 42. 6.

EGo Dóminus vocávi te in justítia, & apprehendi manum tuam, & servávi te, & dedi te in fœdus pópuli, in lucem Géntium.

℟. Relinquent Gentes idóla sua: * Vénient in Jerúsalem, & inhabitábunt in ea; & † Gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israël, allel. *Tob.* 14. *v.* 8. 9. ℣. Paulus & Bárnabas dixérunt: Quóniam repéllitis verbum Dei, ecce convértimur ad gentes. *Act.* 13. 46. * Vénient. ℣. Glória Patri. † Gaudébunt.

Hymnus. S. V.

CŒLO datur quiéscere,
Terris relíctis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis

Finem dies labóribus.
Quem propter, agro véndito,
Opes cadúcas déseris,
Magno rependens fœnore,
En fundus ipse sit tuus.
Tu sacra per jejúnia,
Interque solemnes preces,
Jubente Sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triŭphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Sagittæ tuæ acútæ, ℟. Pópuli sub te cadent. *Ps.* 44. *v.* 6.

Ad Magnif. *Ant.* 5. C. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salútem, dicentis Sion: Regnábit Deus tuus, allelúia. *Isai.* 52. *v.* 7.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Joan.* 13. *v.* 13.

Hymnus, Coelo datur, *ut suprà.*

Tres Antiphonæ, ut in die prima Maii.

℣. Dabis eum, Dómine, in benedictiónem, ℟. In séculum séculi. *Ps.* 20. *v.* 7.

Lectio prima de Scriptura occurrente, de duabus una. Omittitur tertia.

℟. *j.* Bárnabas Levítes, Cyprius génere, * Cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum, allelúia. *Act.* 4. *v.* 36. 37. ℣. Eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia Sanctórum. *Eccli.* 31. 11. * Cùm habéret.

LECTIO II.

Ex Actibus Apostolorum & Usuardo.

Barnabas, qui & Joseph, Levítes génere, Cyprius orígine, prétium agri, quem possidébat, áttulit ad pedes Apostolórum, ad quos & pósteà Paulum adduxit recèns conversum. Jerosólymis Antiochiam missus ab Ecclésia, quæ accéperat quosdam ibi discípulos Dóminum Jesum Græcis annuntiasse, cùm vidisset grátiam Dei, gavísus est, & hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino. Profectus est inde Tarsum, ut quæreret Paulum, quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam: & annum totum conversáti sunt ibi in Ecclésia, & docuérũt turbam multam. Postquàm

autē ibi cum Prophétis & Doctóribus ministrassent Dño Bárnabas & Saulus, & jejunassent, dixit Spíritus Sanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi à Spíritu Sancto, abiérunt Seleucíam, & inde navigavérunt Cyprum, ac multas prætéreà urbes regionesque peragravérunt, prædicantes Evangélium. Cùm autem Lystris propter claudum à Paulo sanátum pro diis haberentur, vocarentque turbæ Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium; illi conscissis túnicis suis prohibuérunt ne turbæ ipsis immolárent, constitutisque per síngulas Ecclésias Presbyteris, navigavérunt Antiochíam. Ortâ ibi seditióne, propter Judæos, qui volébant gentes ad Deum convérsas circumcídi, statútum est ut Saulus & Bárnabas rem Jerúsalem ferrent ad Apóstolos, qui in Concílio nil ex legis jugo discípulis imponendum decrevérunt, quam hæc necessária: Ut ab immolátis, sánguine, & suffocáto, ac fornicatióne abstinérent; commendaruntque Bárnabam ac Paulum, ut qui pro Christi nómine suas tradíderant ánimas. Hinc reversi sunt Antiochíam, unde pósteà Paulus Asiam pétiit, Bárnabas autem unà cum Joanne qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum; multisque demùm perfunctus pro Christo labóribus, glorióso fine quiévit. Corpus ejus prope Salamínam Cypri Metrópolim, Zenóne imperante, repertum est; ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, ipsíus Bárnabæ manu scriptum.

℟. ij. Apóstoli misérunt Bárnabam usque ad Antiochíam; * Qui cùm pervenisset & vidisset grátiam Dei, gavísus est, allelúia. *Act.* 11. *v.* 22. 23. ℣. Sapiéntia justum deduxit per vias rectas. *Sap.* 10. *v.* 10. * Qui cùm pervenisset.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio III. *Cap.* 10. *v.* 1.

Missio Discipulorum.

IN illo témpore; Designávit Dóminus & álios septuaginta duos, & misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. *in Evang.*

DOminus & Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquando nos sermónibus, aliquando verò opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus præcepta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in prædicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt præcepta charitátis, Dei vidélicet amor, & próximi: & minùs quàm inter duos, habéri cháritas non potest. Nemo enim própriè ad semetipsum habére charitátem dícitur; sed diléctio ad álterum tendit, ut esse cháritas possit. Ecce enim binos ad prædicandum Dóminus discípulos mittit: quátenùs hoc tácitus nobis ínnuat: quia qui charitátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenùs debet. Benè autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus: prædicatóres enim suos Dóminus séquitur, quia prædicátio prævenit, & tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcurrunt: & que per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. *iij.* Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére, * Quia erat vir bonus & plenus Spíritu sancto & fide, allelúia. *Act.* 11. *v.* 23. 24. ℣. Pergébat ad omnes, & mónita salútis dabat eis. *Tob.* 1. 15. * Quia. ℣. Glória. * Quia.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20. *v.* 6.

Ant. 1. a. BEáti sunt qui te vidérunt, & in amicítia tua decoráti sunt, allelúia. *Eccli.* 48. *v.* 11.

Ant. 2. D. Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentū, all. *Eccli.* 47. 20.

Ant. 3. c. Quis potest similiter sic gloriári tibi, qui Prophétas facis successóres post te? allelúia. *Ibid.* 48. *v.* 4. 8.

Ant. 4. D. Erudítus es, & implétus es, quasi flumen, sapiéntiâ, allelúia. *Ibid.* 47. *v.* 15. 16.

Ant. 5. a. Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuū, & dilectus es in pace tua, all. *Ibid.* *v.* 17.

Capitulum. Act. 9. *v.* 20.

PRædicábat Jesum quóniam hic est Filius

Dei; stupébant autem omnes qui audiébant.

Hymnus. S. V.

PAuli labórum párticeps,
Consórs & in perículis,
Vos unus ambo Spíritus,
Vos una junxit cháritas.

Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebellis réppulit,
Nil hæsitantes, éxteris
Portastis illam géntibus.

Fac, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63. 10.

Ad Benedictus, *Ant.* J. Cùm venissent Antiochíam Bárnabas & Paulus, & congregassent Ecclésiam, retulérunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Géntibus óstiũ fidei, allelúia. *Act.* 14. 25.

Oratio.

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu Sancto, ad opus vocatiónis & conversiónis géntium assúmere dignátus es; concéde, ut mémores óperis & charitátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur; Per eumdem... in unitáte ejusdem Spíritûs Sancti Deus, per.

AD PRIMAM.

Ant. 1. a. Beáti.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Collegisti.

Capitulum. Eccli. 48. *v.* 1.

SUrrexit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat.

℟. *br.* Illic mandávit Dñs benedictiónem, * Allel. allel. *Repet.* Illic. ℣. Et vitam usque in séculum. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Illic. *Ps.* 132. 3.

℣. Prævenisti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus dulcédinis. *Ps.* 20. *v.* 4.

AD SEXTAM.

Ant. 3. c. Quis potest.

Capitulum. Eccli. 49. *v.* 3.

IPse est directus diviníṫùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis.

℟. *br.* Simulácra géntium, argentum & aurum: * Allel. all. *Repet.* Simulácra. ℣. Opera mánuum hóminum. * Allelúia. ℣. Glória. *Repet.* Simulácra.

℣. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, ℟. Et omnes qui confídunt in eis. *Ps.* 113. 12. 16.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Ad ínsulas.

Capitulum. Act. 18. v. 25.

HIc erat edoctus viam Dómini, & fervens Spíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ sunt Jesu.

℟. *br.* Vox Dómini in virtúte, * Allelúia, allel. *Repet.* Vox. ℣. Vox Dómini in magnificéntia. * Allel. ℣. Glória. *Repet.* Vox. *Ps.* 28. *v.* 4.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118. 140.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Act. 13. *v.* 50. 51. 52.

JUdæi concitavérunt mulieres religiósas & honestas in Paulum & Bárnabam, & ejecérunt eos de finibus suis: at illi, excusso púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebantur gáudio & Spíritu sancto.

Hymnus, Cœlo datur, *ut in primis Vesperis.*

℣. Misit Dóminus servum suum, ℟. Quem elégit ipsum. *Psal.* 104. *v.* 26.

Ad Magnif. Ant. 1. D. Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi, allelúia. *Act.* 15. *v.* 26.

DIE XVI.

SANCTOR. CYRICI, ET JULITTÆ Matris ejus, Martyrum.

Commemoratio.

Pridiè AD VESPERAS, Ant. Exultábitis. ℣. Custódit. xiij. *Orat.* Exaudi nos. xvij.

AD LAUDES, Ant. Lætítia. ℣. In te. xvj. *Oratio*, Exaudi nos. xvij.

DIE XVIII.

SANCTI AMANDI, Burdig. Episcopi,

Commemoratio.

Pridiè AD VESPERAS, deinde AD LAUDES, ut in Comm. Oratio, Da Ecclesiæ. *pag.* xxiij.

DIE XIX.

SANCTOR. GERVASII ET PROTASII, Mart.

Commemoratio.

Pridiè AD VESPERAS, Ant. Exultábitis. ℣. Custódit. xiij. *Oratio*, Exaudi nos. xvij.

AD LAUDES, Ant. Lætítia. ℣. In te. xvj. *Oratio*, Exaudi. xvij.



RUBRICÆ PARTICULARES pro Tempore Paſchali.

1. OMnia hujus Temporis Officia dividuntur in Proprium de Tempore, & in Proprium de Sanctis.

2. Officia Propria de Tempore, fiunt ut ſuo notantur loco.

3. Officium verò de Sanctis fit ritu ſequenti. Additur unum *Alleluia* in fine Invitatorii, quod recitatur ut notatur in Rubricis generalibus. Reſponſorio brevi, *Chriſte Fili Dei vivi, miſerere nobis*, additur bis *Alleluia*: & ſic ℟. br. *In manus* ad Completorium.

4. Eodem ritu dicitur bis *Alleluia* in Reſponſoriis brevibus quæ dicuntur ad alias Horas; & in fine Reſponſorii cujuſlibet, vel ad primas Veſperas, vel ad Nocturnum additur ſemel *Alleluia*, niſi aliter notetur.

5. Verſiculis qui recitantur poſt Hymnos, aut poſt Antiphonas, vel poſt Reſponſoria Nocturni, aut poſt Reſponſoria brevia Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Completorii, vel etiam Verſiculo Sacerdotali ante Laudes, non additur *Alleluia*.

6. Ad Officium Nocturnum in quocumque Officio Feſti vel Simplicis, aut etiam Annualis, aut Beatæ Mariæ in Sabbato, dicuntur tres Antiphonæ, Verſiculus, & tria Reſponſoria, vel ut habentur in Proprio Sanctorum, vel de Communi è Nocturno occurrente juxta Feriam, & tres Pſalmi, ut notantur unoquoque die in Proprio de Tempore.

7. Tres recitantur Lectiones hoc ordine. Si Feſtum ſit Simplex, prima Lectio fit ex prima & ſecunda Scripturæ occurrentis, tertia ejuſdem Scripturæ occurrentis fit ſecunda; tandem Lectio tertia Officii Simplicis eſt de Sancto: & ita in Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.

8. Si Officium ſit Semiduplex, aut Duplex, aut cujuſcumque alterius ſuperioris gradûs, prima Lectio erit ex duabus prioribus Scripturæ occurrentis, cujus tertia Lectio omittitur. Secunda Lectio erit de Sancto; tertia de Homilia: & poſt tertium Reſponſorium dicitur quarta Lectio ſi occurrat Homilia, ut in Domi-

poribus juxta Rubricas generales, servato dicto, addendi *Alleluia* ubi est addendum



COMMUNE SANCTORUM.

PARS VERNA.

COMMUNE APOSTOLORUM.

[*In omni Officio de Sanctis dicuntur Psalmi de Feria, nisi aliter notetur.*]

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Minístri Dei nostri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis. *Isai.* 61. 6.

Ant. 2. D. Vocabúntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. *Ibid. v.* 3.

Ant. 3. a. Ædificábunt desérta à século, & ruínas antíquas érigent. *Ibid. v.* 4.

Ant. 4. E. Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Israël prædicábunt. *Ib.* 29. 23.

Ant. 5. C. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenéstras suas? *Ibid.* 60. 8.

Capitulum. Isai. 61. v. 8. 9.

DAbo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis. Et scient in géntibus semen eórum, & germen eórum in médio populórum.

℟. Non sunt loquélæ neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum; * In omnem terram exívit sonus eórum, † Et in fines orbis terræ verba eórum. *Ps.* 18. 4. 5. ℣. Illi profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante, & sermónem confirmante. *Marc.* 16. 20. * In omnem. ℣. Glória. † Et in.

Hymnus.

ORbis lætitiâ férveat, & sua
Nostris jungat ovans cántica pláusibus:
Vos, bisséna novi lúmina fœderis,
Festo cármine pángimus.

Ut nubes plúviis densa salúbribus,
Veri fœta cohors, tránsvolat æquora;
Christum voce tonat, fánaque Núminum
Verbi fúlmine díruit.

Cultores óperis, quo páritur salus,
Plures cùm lácrymas, & stérili suum

Act. 4. 3. * Per quos incipiébat.

℟. *viij.* Ibant gaudentes à conspectu concílii; * Quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Act.* 5. 41. ℣. Hæréditas sancta nepótes eórum, & in testamentis stetit semen eórum. *Eccli.* 44. 12. * Quóniam.

℟. *ix.* Testamentum ætternum constituit Dóminus cum illis, & justítiam, * Et judícia sua ostendit illis, † Et magnália honóris ejus vidit óculus illórum. *Eccli.* 17. 10. ℣. Tradidérunt Apóstoli ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15. 26. * Et judícia. ℣. Glória Patri, & Fílio. † Et magnália.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Magnificávit Dóminus, ℟. Fácere cum eis. *Ps.* 125. 2.

Ant. 8. c. Exulta, cœlum, & sancti Apóstoli; quoniam judicávit Deus judícium vestrum. *Apoc.* 18. 20.

Ant. 4. A. Sedébitis & vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israël. *Matt.* 19. 28.

Ant. 7. c. Rogáte Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. *Matth.* 9. 38.

Ant. 3. a. Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi. *Matt.* 5. 13. 14.

Ant. 6. F. In fundaméntis Jerúsalem, nómina duódecim Apostolórum Agni. *Apoc.* 21. 14.

Capitul. Eph. 2. *v.* 19. 20.

FRatres, jam non estis hóspites & ádvenæ; sed estis cives Sanctórum & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo anguláari lápide Christo Jesu.

Hymnus.

GENTES, voce nova
vos Deus ádvocat;
Tandem vincla jugi rúmpite ahænei;
Festináte; Tonantis
Verbo péctora súbdite.

AUDIMUR: pópuli concípiunt fidem;
Orbi sparsa salus; templa Deûm ruunt:
Quos lusit vetus error,
Ducit spléndida véritas.

UNI Roma stupet súbdita Númini;
Signis insólitis Græcia stérnitur;
Indorumque remótis
Christi vox sonat ínsulis.

MUNDUS dissímilis fit sibi móribus;

Pax sincéra nitet, lis ubi férbuit;
In quo culpa sedébat,
Regnat péctore cháritas.
Passi præco Dei crux venerábilis,
Victis conspicitur fróntibus áddita:
Hoc insigne triumphi,
Testes fúneris érigunt.
O nullis hóminum pérvia sénsibus,
Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Da clangat tuba Christi,
Fines orbis ad últimos. Amen.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram: ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Ps.* 44. *v.* 17. 18.

Ad Benedictus. *Ant.* J. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, reténta sunt. *Joan.* 20. 23.

Oratio propria.

AD PRIMAM.

Ant. Exulta cœlum.

Capitulum, *ut in Psalterio.*

CANON, *ut habetur suo loco.*

AD TERTIAM.

Ant. Sedébitis.

Capitulum. Sap. 3. 8.

Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. *br.* Sedérunt sedes, * In judício. *Repet.* Sedérunt. ℣. Sedes super domum David. *Ps.* 121. 5. * In judício. ℣. Glória. *Repet.* Sedérunt.

℣. Príncipes populórum congregáti sunt, ℟. Cum Deo Ábraham. *Ps.* 46. 10.

AD SEXTAM.

Ant. Rogáte.

Capitulum. Eccli. 36. 16. 17.

Reple Sion, Deus, inenarrabílibus verbis tuis, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres.

℟. *br.* Euntes * Ibant & flebant. *Repet.* Euntes. ℣. Mittentes sémina sua. * Ibant. ℣. Glória. *Rep.* Euntes.

℣. Venientes autem vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps.* 125. 6.

AD NONAM.

Ant. In fundamentis Jerúsalem.

Capitulum. Apoc. 21. 21.

Duódecim portæ, duódecim margaritæ sunt per síngulas: & síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis.

℟. *br.* Mihi autem nimis * Honorificáti sunt amíci tui, Deus. *Rep.* Mihi. ℣. Nimis confortátus

est principátus eórum. * Honorificáti sunt. ℣. Glória. Rep. Mihi. *Ps.* 138. 17.

℣. Dii fortes terræ, ℟. Vehementer eleváti sunt. *Ps.* 46. 10.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Eccli. 44. 7. 8.

GLóriam adepti sunt, & in diébus suis habentur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrandi laudes eórum.

Hymnus.

CRESCAT ut verbum, fidei satóres
Cónsecrant curæ sócios perennis;
Qui novas terras, nova sint paráti
Bella subíre.

HINC apud gentes sacra lux remótas
Fulget, & sermo séritur salútis;
Nos adhuc, fruges sumus hoc feráci
Sémine cretæ.

MULTIPLEX messis referenda cœlo;
Sed suos pauci géminant labóres:
Tu tuæ Clerum, Deus, adjuvando,
Cónsule messi!

CHRISTE, virtútem rénova supernam,
Quâ cohors mundum duodéna vicit,
Quâ pares curas, eadémque vitæ
Dona ferámus!

SEDE bissénâ próceres verendi,
Désuper vestræ sóboli favéte,
Ut fide purâ recolámus unus
Christus in orbe!

SUMMA laus Patri, Genitóque summa,
Laus tibi compar, utriúsque Nexus;
Ad tuam laudem, Déitas supréma,
Prótege Clerum! Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63. 10.

Ad Magníficat. *Ant.* 8. G. Quæcumque alligavéritis super terram, erunt ligáta & in cœlo; & quæcumque solvéritis super terram, erunt solúta & in cœlo. *Matt.* 18. 18.

Oratio, ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. a. JUstus quasi leo confídens, absque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. 7. c. Timórem, & metum, & probatiónem indúcet super illum Dóminus, donec credat áni-

mæ illius. *Eccli.* 4. 19.

Ant. 5. C. In tentatióne Deus illum conservábit; non illidétur quasi in procella navis. *Eccli.* 33. *v.* 1. 2.

Ant. 6. F. Firmábit illum, & lætificábit, & thesaurizábit super illum intellectum justítiæ. *Eccli.* 4. *v.* 20. 21.

Ant. 4. a. Usque in tempus sustinébit pátiens, & póstea rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Is. 12. 2.

ECce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus.

In Duplicibus-Minoribus & suprà, dicitur:

℞. Benedíctus vir, qui confidit in Dómino; * Erit Dóminus fidúcia ejus; † Non timébit, cùm vénerit æstus. *Jer.* 17. 7. 8. ℣. Qui sustinúerit in finem, hic salvus erit. *Marc.* 13. 13. * Erit. ℣. Glória. † Non timébit.

Hymnus. S. V.

FELIX morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam;
Et signáre cruóre,
Quam Christo déderas fidem.

POENIS victa quibus deficeret fides,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas;
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.

TE pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sustinet.

ET nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.

PATRI máxima laus, máxima Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, coróná
Invíctus pugil óbtinet. Amen.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℞. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36. 24.

Ad Magníficat. *Ant.* 3. E. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Oratio propria, vel ut infrà ad Laudes.

Si facienda sit Comm. alterius Mart. fit per Ant. & ℣. è Laudibus, & sic in omni alio Communi.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Christum qui dat vincenti manna abscónditum, * Venite, adorémus. *Apoc.* 2. 17.

Psal. Venite.

Hymnus. S. V.

EX quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

NON jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus Spíritu,
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

PARATA spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

UNUS tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipse qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

DA, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum, nómine.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Dóminus tecum, virórum fortíssime. *Judic.* 6. 12.

Ant. 2. D. Deus tuus quem colis semper, ipse liberábit te. *Dan.* 6. 16.

Ant. 3. c. Ejíciet à facie tua inimícum, dicetque: Contérere. *Deut.* 33. 27.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi, ℟. Et sub pennis ejus sperábis. *Ps.* 90. 4.

℟. *j.* Patienter sustinens, * Destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. 2. *Machab.* 6. 20. ℣. Conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Timoth.* 6. 12. * Destinávit.

℟. *ij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vínceret, & sciret quóniam ómnium potentior est sapiéntia. *Sap.* 10. 12. ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo. *Rom.* 4. 20. * Ut vínceret.

℟. *iij.* Deus à peccatóribus liberávit eum, * Descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis † Non derelíquit illum. *Sap.* 10. 13. 14. ℣. Expectábat fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Heb.* 11. 10. * Descenditque. ℣. Glória. † Non.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. E. In fraude

circumveniéntium illum áffuit illi. *Sap.* 10. *v.* 11.

Ant. 5. a. Attulit illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant. *Ib. v.* 14.

Ant. 6. F. Intrávit in ánimam servi sui, & stetit contra Reges horrendos in portentis & signis. *Ibid. v.* 16.

℣. Exáudiet illum Deus, ℟. De cœlo sancto suo. *Ps.* 19. 7.

℟. *iv.* Propter opus Christi usque ad mortem accessit, * Tradens ánimam suam. *Philip.* 2. 30. ℣. Gloriosíssimam mortem compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. 2. *Machab.* 6. 19. * Tradens.

℟. *v.* Magis éligens affligi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem, * Invisíbilem tamquam videns, sustínuit. *Hebr.* 11. *v.* 25. 27. ℣. Tormenta suscépit, & in último spíritu constitútus. 2. *Mach.* 7. *v.* 8. 9. * Invisíbilem.

℟. *vj.* Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, * Accípiet corónam vitæ. *Jac.* 1. 12. ℣. Hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confídens. 2. *Machab.* 7. 40. * Accípiet. ℣. Glória. * Accípiet.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. *Hebr.* 11. 26.

Ant. 8. c. Timet Dóminum, nil trepidábit; & non pavébit, quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34. 16.

Ant. 1. D. In quocumque loco fúeris, Dómine, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus. 2. *Reg.* 15. 20.

℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, ℟. Et refúgium meum. *Ps.* 90.

℟. *vij.* Nequaquam ut mori solent ignávi, mórtuus est: * Sicut solent cádere coram filiis iniquitátis, sic corruísti. 2. *Reg.* 3. 33. 34. ℣. Dóminus Jesus Christus cum spíritu tuo. 2. *Tim.* 4. 22. * Sicut.

℟. *viij.* Mendáces osténdit Dóminus, qui maculavérunt illum, * Et dedit illi claritátem ætemam. *Sap.* 10. 14. ℣. Oppressum à nefandórum injúriâ erípuit illum Deus. 2. *Petr.* 2. 7. * Et dedit.

℟. *ix.* Hanc tentatiónem ídeò permísit Dóminus evenire illi, * Ut pósteris darétur † Exemplum patiéntiæ ejus. *Tob.* 2. 12. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus

2. R

abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequenter. 2. Cor. 11. 23. * Ut pósteris.
℣. Glória. † Exemplum.
Te Deum.

AD LAUDES.

℣ Sac. Lux orta est justo,
℟. Et rectis corde lætítia.

Ant. 3. a. Honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illius. Sap. 10. 10.

Ant. 8. G. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. Act. 7. 9. 10.

Ant. 7. d. Absque terróre requiescet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto. Prov. 1. 33.

Ant. 1. a. Data est ei coróna, & exívit vincens ut vinceret. Apoc. 6. 2.

Ant. 4. a. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentátio probáret te. Tob. 12. 13.

Capitulum. 2. Timoth. 4. v. 7. 8.

Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus Judex.

Hymnus. S. V.

Jam non te lácerant carníficum manus,
Inter quî récubas cœlítuum choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgentes hábitas domos.

Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.

Nec te dira fames, nec sitis ámplius,
Nec probrósa premit, ut modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundisque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.

Patri máxima laus, máxima Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, corónam
Invictus pugil óbtinet. Amen.

℣. Justus ut palma florébit; ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Ps. 91. 13.

Ad Benedict. Ant. 1. D. Vitâ decessit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelinquens. 2. Mach. 6. 31.

Oratio.

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui beáti Mártyris tui *N.* natalítiis gloriámur, nec minus injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto *N.* Mártyre tuo, in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in charitáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per.

Si sit Pontifex.

Oratio.

FAc nos, Dómine Deus, imitári sacerdotálem constántiam beáti *N.* Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem servantes quam dócuit, ejusdem corónæ consórtes efficiámur; Per.

Alia Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beáto *N.* dignam Mártyre atque Pontífice fidem & fortitúdinem tribuisti: fac nos, ejus méritis, vitæ frágilis amórem abjícere, & ad te, qui solus vera vita es, perveníre; Per.

Si facienda sit commemoratio alterius Martyris, fit per Antiph. & ℣. ex ij. Vesperis; & sic in omni alio Communi.

AD PRIMAM.

Ant. Honestávit.

AD TERTIAM.

Ant. Erat Deus.

Capitulum. Jer. 20. 13.

CAntáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum.

℟. *br.* Super salutáre tuum, Dómine, * Exultábit vehementer. *Repet.* Super. ℣. Desidérium cordis ejus tribuisti ei. * Exultábit. ℣. Glória. *Rep.* Super. *Ps.* 20. 2.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Absque terróre.

Capitulum. Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámplius; & scribam super eum nomen Dei mei.

℟. *br.* Magna est glória ejus, * In salutári tuo. *Repet.* Magna est. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Psal.* 20. 6. * In salutári. ℣. Glória. *Repet.* Magna est.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In séculum séculi. *Ibid. v.* 7.

AD NONAM.

Ant. Quia acceptus.

Capitul. Job. 23. 10. 11.

PRobávit me Deus quasi aurum, quod per ignem transit : vestígia ejus secútus est pes meus; viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. *Psal.* 19. 5. * In salutári tuo. ℣. Glória Patri. *Repet.* Lætábimur.

Hábitat in adjutório Altíssimi, ℟. Et in protectióne Dei. *Ps.* 90. 1.

AD II. VESPERAS.

Ant. Honestávit, *cum cæteris de Laudibus.*

Capitulum. Tob. 3. 22. 23.

POst tempestátem tranquíllum facis, Dómine, & post lacrymatiónem & fletum exultatiónem infúndis; sit nomen tuum, Deus Israël, benedíctum in sǽcula.

Hymnus, Felix morte, *ut in primis Vesperis.*

℣. Tríbuat tibi Dóminus secundùm cor tuum, ℟. Et omne consílium tuum confirmet. *Ps.* 19. 5.

Ad Magníficat. Ant. 2. D. Factus es, Dómine, fortitúdo egéno in tribulatióne sua, spes à túrbine, umbráculum ab æstu. *Is.* 25. 4.

Oratio ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. 8. G. JUstítia rectórum liberábit eos; & in insídiis suis capiéntur íniqui. *Prov.* 11. 6.

Ant. 1. D. Oculi Dómini præbent fortitúdinem his qui corde perfécto credunt in eum. 2. *Paral.* 16. 9.

Ant. 7. d. Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi. *Daniel.* 12. 10.

Ant. 4. D. Vasa fíguli probat fornax, & hómines justos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. 2. D. In paucis vexáti, in multis benè disponentur. *Sap.* 3. 5.

Capitúlum. Isa. 51. v. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis: sicut enim vestimentum, sic cómedet eos vermis; salus autem mea in sempitérnum erit.

In Duplicibus & suprà;

℟. Ruent in gládio, &

in flamma, & in captivitáte: * Ut conflentur & dealbentur usque ad tempus præfinitum. *Dan.* 11. *v.* 33. 35. ℣. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis. *Apoc.* 13. 7.* Ut conflentur. ℣. Glória Patri. * Ut conflentur & dealbentur.

Hymnus.

QUANTO, morte sacrâ
quos tibi dévoves,
Firmas, Christe, tuos róbore mílites!
Ad tormenta vehit non pávidos mori,
Quam das ígnea ch//áritas.

TORTORIS rábies sæviat ímpotens;
Addat carcéribus férrea víncula;
Constanti púgiles péctore, prælia,
Trunci córpore sústinent.

ALTO de sólio nunc, Deus, áspice
Non indigna tuo númine múnera;
Quot prostráta jacent córpora Mártyrum,
Astant tot tibi víctimæ.

AD te, letífero vúlnere saucii,
Vectantur róseo flúmine sánguinis:
Emensi, duce te, Christe, perícula,
Tangunt líttora pátriæ.

SED quid barbáries ímpia próficit?
Non hæc Christíadas vúlnera déprimunt:
Gens exorta sacro fúnere Núminis,
Crescit sánguine Mártyrum.

PATRI máxima sit, máxima Fílio,
Sit par Spirítui; laus tibi, Trínitas,
Quæ te Mártyribus pródiga præmium
Das, & vívere per neces. Amen.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96. 10.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. C. Exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportantes finem fidei vestræ salútem animárum. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Psalm. Veníte.

Hymnus. S. V.

FORTES cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœlestis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet,
Passo Deo quod défuit;

Per tot neces, læso Patri
Fit plena Christus hostia.
QUEM lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem consecrat.
SIC, Christe, robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuósque múnerans, tua
Æquus corónas præmia.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Per viam quam præcépit Dóminus Deus vester, ambulábitis. *Deut.* 5. 33.

Ant. 2. D. Tentat vos Dóminus, ut palam fiat utrùm diligátis eum, an non, in toto corde. *Deut.* 13. 3.

Ant. 3. c. Vos hódie contra inimícos vestros pugnam committitis. *Deut.* 20. 3.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; ℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Psal.* 31. 11.

℟. *j.* Vobis donátum est pro Christo, * Non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. *Philip.* 1. 29. ℣. In virtúte Dei custodímini per fidem. 1. *Pet.* 1. 5. * Non solùm.

℟. *ij.* Dóminus Deus vester in médio vestri est, * Et pro vobis contra adversários dimicábit, ut éruat vos de perículo. *Deut.* 20. 4. ℣. Quóniam estis filii, misit Deus Spíritum Filii sui in corda vestra. *Galat.* 4. 6. * Et pro.

℟. *iij.* Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, * Et spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis † Propter leges ejus. 2. *Mac.* 17. 23. ℣. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra. *Rom.* 8. 11. * Et spíritum. ℣. Glória. † Propter.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. a. Fidélis Deus est, qui confirmábit vos, & custódiet à malo. 2. *Thess.* 3. 3.

Ant. 1. a. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus. *Hebr.* 6. 10.

Ant. 4. A. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. 2. *Cor.* 1. 7.

℣. Salvábit eos Dó-

minus; ℟. Quia speravérunt in eo. *Ps.* 36. 40.

℟. *iv.* Tamquam aurum in fornáce, probávit illos Dóminus, * Et quasi holocausti hóstiam accépit illos. *Sap.* 3. 6. ℣. Distenti sunt, non suscipientes redemptiónem, ut melióren invenírent resurrectiónem. *Hebr.* 11. 35. * Et quasi.

℟. *v.* Benedictus Deus, qui éruit servos suos qui credidérunt in eum, * Et tradidérunt córpora sua, ne servírent, & ne adorárent omnem Deum excepto Deo suo. *Dan.* 3. 95. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. *Hebr.* 11. 33. * Et tradidérunt.

℟. *vj.* Decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, * Et victrícem manum tuam † Laudavérunt páriter. *Sap.* 10. 20. ℣. In multo experimento tribulatiónis, abundántia gáudii ipsórum fuit. 2. *Cor.* 8. 2. * Et victrícem. ℣ Glória Patri. † Laudavérunt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Rex mundi defunctos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. 2. *Machab.* 7. 9.

Ant. 6. F. Agnus reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Ap.* 7. 17.

Ant. 1. f. Si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3. 4.

℣. Salus justórum à Dómino; ℟. Et protector eórum in témpore tribulatiónis. *Psal.* 36. 39.

℟. *vij.* Ludíbria & vérbera experti sunt, ínsuper & víncula & cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: * Circuiérunt egentes, angustiáti, afflicti, quibus dignus non erat mundus. *Hebr.* 11. *v.* 36. 37. ℣. Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se. *Sap.* 3. 5. * Circuiérunt.

℟. *viij.* Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, * Quia prima abiérunt. *Apoc.* 21. 4. ℣. Accípient regnum décoris, & diadéma speciéi de manu Dómini. *Sap.* 5. 17. * Quia prima.

℟. *ix* Ipsi vicérunt propter sánguinem Agni, * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: † Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. *v.* 11. 12.

℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effécti sunt. 2. Machab. 7. 36. * Et non. ℣. Glória. * Proptérea.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Vox exultatiónis & salútis, ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117. 15.

Ant. 6. F. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt, quóniam misréricors Dóminus est. *Jac.* 5. 11.

Ant. 7. d. Magnum certámen sustinuistis passiónum, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti. *Hebr.* 10. 32. 33.

Ant. 2. D. Rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepistis, cognoscentes vos habére melíórem & manentem substántiam. *Hebr.* 10. 34.

Ant. 4. f. Qui sponte obtulistis ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 2.

Ant. 5. a. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non córripit pater? *Hebr.* 12. 7.

Capitulum. Sap. 3. v. 1. 2. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Hymnus. S. V.

QUAM, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequúntur mílites.

OMNES in ostro spléndidi,
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

AUDIRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

FAC, si tyrannus déficit,
Ne blandiéndo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. In te, Dómine, speravérunt, ℟. Et liberasti eos. *Ps.* 21. 5.

Ad Benedict. *Ant.* 3. a. Lætítia sempitérna super caput eórum; gáudium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus. *Isa.* 35. 10.

Oratio.

EXaudi nos, Dómine, Mártyrum tuórum *N.* & *N.* victórias celebrantes; ut córdibus ex eórum passióne succénsis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per.

Alia Oratio.

MArtyris tui *N.* & sociórum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut in tua charitáte radicáti & fundáti, passiónes hujus témporis, glóriæ cœléstis amóre, ánimo volenti sustineámus; Per Dóminum.

Si sint Pontifices.

Oratio.

BEatórum Mártyrum tuórum & Pontíficum *N.* & *N.* nos, quæsumus, Dómine, festa tueantur, & eórum commendet orátio veneranda; Per.

Alia Oratio.

DEus, cujus grátiâ sancti Mártyres & Pontífices *N.* & *N.* mundi nec blandítiis, nec terróribus devicti sunt: da nobis, ut te solum diligentes, próspera mundi simul & advérsa despiciámus; Per.

AD PRIMAM.

Ant. Ecce.

AD TERTIAM.

Ant. Magnum.

Capitulum. Apoc. 22. 3. 4.

VIdébunt fáciem Agni, & nomen ejus in fróntibus eórum; & nox ultrà non erit; & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos.

℞. *br.* Exultent justi * In conspectu Dei. *Repet.* Exultent. ℣. Et delecténtur in lætítia. *Psal.* 67. 4. * In conspectu Dei. ℣. Glória. *Repet.* Exultent.

℣. Próteges eos, Dómine, ℞. In tabernáculo tuo. *Psal.* 30. 21.

AD SEXTAM.

Ant. Rapínam.

Capitulum. Sap. 10. *v.* 17. 18.

REddidit justis Deus mercédem labórum suórum, & deduxit illos in via mirábili; tránstulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nímiam.

℞. *br.* Clamavérunt justi, * Et Dóminus exaudivit eos. *Repet.* Clamavérunt. ℣. Et de ómnibus tribulatiónibus liberávit eos. *Psal.* 33. 18. * Et Dóminus. ℣. Glória. *Repet.* Clamavérunt.

℣. Speravérunt in Dómino, ℞. Et protector eórum est. *Ps.* 113. 11.

AD NONAM.

Ant. Tamquam.

Capitulum. Dan. 3. 88.

LAudáte & superexaltáte Dóminum in sé-

cula, quia éruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis.

℟. *br.* Abscondes eos, Dómine, * In abscóndito faciéi tuæ. *Repet.* Abscondes. ℣. A conturbatióne hóminum. *Ps.* 30. 21. * In abscóndito. ℣. Glória. *Repet.* Abscondes.

℣. Confitebuntur nómini tuo, ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139. 14.

AD II. VESPERAS.

Ant. Ecce beatificámus, *cum cæteris de Laudibus.*

Capitulum. Sap. 5. 1.

STabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum.

Hymnus, Quanto nunc te sacrâ, *ut in I. Vesperis.*

℣. Oculi Dómini super justos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Ps.* 33. 16.

Ad Magníficat. *Ant.* Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Oratio ut suprà, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. QUæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. 7. *d.* Præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. *Ibid.*

Ant. 8. G. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16. 7.

Ant 5. a. Gestábit judícium filiórum Israël in péctore suo in conspectu Dómini semper. *Exod.* 28. 30.

Ant. 3. a. Rogante pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Levit.* 4. 20.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus.

In Festis Duplicibus, & suprà:

℟. Factum est illi in testamentum ætérnum, * Fungi sacerdótio, & glorificáre pópulum suum. † In nómine ejus. *Eccli.* 45. 19. ℣. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquam Aaron. *Hebr.* 5. 4.

* Fungi ſacerdótio, & glorificáre. ℣. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. † In nómine ejus.

Hymnus. G. Ep. S.

CHRISTE, Paſtórũ caput atque princeps,
Præſulis feſtam venerata lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis
Turba frequentat.

ILLE non vano ténuit tremendam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu:
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocante,
Sumpſit honórem.

STRENUUM bello púgilem ſuperni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, poſúitque ſanctam
Páſcere gentem.

FIT gregis paſtor, pater atque forma:
Omnium curas levat & labóres:
Lætus impendit ſua, ſeque: cunctis
Súfficit unus.

PRO reis orat, réficit gementes,
Erigit lapſos, tenebraſque pellit;
Fit potens verbo, docet alta; pravum
Cónterit hoſtem.

FAC ut illíus précibus juvémur,
Chriſte; fac Patrem, pariterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegiſti & aſſumpſiſti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magnífic. *Ant.* 4. f. Elégit ipſum Dóminus ab omni vivente, offerre ſacrifícium Deo, incenſum & bonum odórem pro pópulo ſuo. *Eccli.* 45. 20.

Oratio propria, aut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum Paſtórum príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5.4.

Pſal. Veníte.

Hymnus. S. V.

CHRISTE, decréto Patris inſtitútus
Póntifex ſummo, tibi qui fidéles,
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipſe miniſtros.

HUNC juvat feſto celebráre cantu,
Qui licet magnis méritis abundans,
Flens & invítus, duce te, tremendum
Sumpſit honórem.

NOVERAT quantis páteat períclis
Ille, qui ſummos ápices adéptus,

Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fecerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis chari pia cura poscit,
Advolat promptus; mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè olente Christi
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Cùm párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israël factus es. 1. *Reg.* 15. 17.

Ant. 3. à. Tu introdúces pópulum istum in terram quam datúrum se jurávit Dóminus. *Deut.* 31. 7.

Ant. 4. E. Dóminus ipse erit tecum; non dimittet, nec derelinquet te. *Deut.* 31. 8.

℣. Ingréditur sine mácula, ℟. Et operátur justítiam. *Ps.* 14. 2.

℟. *j.* Lex veritátis fuit in ore ejus; iníquitas non est invénta in lábiis ejus; * Et multos avertit ab iniquitáte. *Malach.* 2. 6. ℣. Suscipiébat omnes, prædicans regnum Dei. *Act.* 28. *v.* 30. 31. * Et multos.

℟. *ij.* Quæsívit bona genti suæ; * Et plácuit illis potéstas ejus, & glória ejus ómnibus diebus. 1. *Mach.* 14. 4. ℣. Hic erat edoctus viam Dómini, & fervens spíritu loquebátur. *Act.* 18. 25. * Et plácuit.

℟. *iij.* In lege Dómini congregatiónem judicávit, * Et in fide sua † Probátus est Prophéta. *Eccli.* 46. 17. ℣. Quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. 1. *Cor.* 4. 2. * Et in fide. ℣. Glória. † Probátus est.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10. 11.

Ant. 7. d. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas. *Ibid.* *v.* 3.

Ant. 1. f. Ante eas vadit, & oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. *Ibid.* *v.* 4.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77. 70. 71.

℟. *iv.* Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino, * Quia erat vir bonus, & plenus Spíritu Sancto. *Act.* 11. *v.* 23. 24. ℣. In diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 4. * Quia erat vir bonus.

℟. *v.* Misericórdiam habet; * Docet & érudit quasi pastor gregem suum. *Eccli.* 18. 13. ℣. Confírmans Ecclésias, præcípiens custodíre præcepta. *Act.* 15. 41. * Docet.

℟. *vj.* In diébus ipsius emanavérunt pútei aquárum, * Qui curávit gentem suam, † Et liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 3. 4. ℣. Hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19. * Qui. ℣. Glória. † Et liberávit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In omni ópere dedit confessiónem Sancto & Excelso in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. 3. a. Dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israël. *Eccli.* 45. 21.

Ant. 1. a. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

℣. Pavit eos in innocéntia cordis sui; ℟. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. *Ps.* 77. 72.

℟. *vij.* Circumcinxit eum Dóminus zonâ glóriæ; * Coronávit eum in vasis virtútis. *Eccli.* 45. 9. ℣. Supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum. *Luc.* 12. 44. Coronávit.

℟. *viij.* In bonitáte & alacritáte ánimæ suæ, * Plácuit Deo pro Israël: ídeò státuit illi testamentum pacis, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. *Eccli.* 45. *v.* 29. 30. ℣. Exemplum fidélium, in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide. 1. *Tim.* 4. 12. * Plácuit.

℟. *ix.* Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi luna plena in diébus suis lucet, & quasi sol refulgens; * Sic ille effulsit † In templo Dei. *Eccli.* 50. 6. 7. ℣. Sicut sol lucet in virtúte sua. *Apoc.* 1. 16. * Sic ille. ℣. Glória. † In templo.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Stabit in

loco ſancto ejus, ℟. Innocens mánibus & mundo corde. *Pſ.* 23. *v.* 3. 4.

Ant. 1. g. Sacerdos magnus in vita ſua ſuffulſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. 2. D. Inventus eſt perfectus, juſtus; & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. 3. à. Fidélis ſervus & prudens, quem conſtítuit dóminus ſuper famíliam ſuam. *Matt.* 24. 45.

Ant. 4. a. Fuit máximus in ſalútem electórum Dei. *Eccli.* 46. 1. 2.

Ant. 8. c. Hic eſt qui multùm orat pro pópulo. 2. *Mac.* 15. 14.

Capitulum. Hebr. 5. 1.

OMnis Póntifex ex homínibus aſſumptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis.

Hymnus. G. Ep. S.

JEsu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adeſto ſúpplicum.

SUI probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páſcere.

HOS novit, & præ[...] vocans
In tuta quemque páſcua,
Victumque præbet: [...]diunt,
Sequuntur, & vivunt [...]ves.

QUAM ſentit errante[m] jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam ſu[is]
Portans ovíli réddere.

ARCET frementes béſtias,
Lupi retundit ímpetus,
Doloſque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

OFFERT frequentem víctimam
Cum plebe Paſtor innocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

QUI nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui, ℟. Et holocauſtum tuum pingue fiat. *Pſ.* 19. 4.

Ad Benedictus. *Ant.* 5. C. Dedit illi Dóminus legem vitæ & diſciplínæ docére Jacob teſtamentum ſuum, & judícia ſua Iſraël. *Eccli.* 45. 6.

Oratio.

DIrige oves tuas, Dómine, in viam sá-

lútis ætérnæ, quam beáti Pontíficis *N.* vita cum doctrína monstrávit: & fac nos, eódem intercedente, sic ejus súbsequi vestígia, ut cum ipso coronári mereámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi *N.* pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per.

AD PRIMAM.

Ant. Sacérdos magnus.

AD TERTIAM.

Ant. Inventus est.

Capitulum. Hebr. 5. 4.

CHristus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te: quemádmodum & in álio loco dicit: Tu es Sacerdos in ætérnum.

℟. *br.* Tu es Sacerdos * In ætérnum. *Repet.* Tu es. ℣. Secundùm órdinem Melchísedech. *Ps.* 109. 4. * In. ℣. Glória. *Rep.* Tu es.

℣. Non fecit táliter omni natióni, ℟. Et judícia sua non manifestávit eis. *Ps.* 147. 20.

AD SEXTAM.

Ant. Fidélis.

Capitulum. Eccli. 50. 7.

EFfulsit in templo Dei quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne, quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso.

℟. *br.* Glóriâ & honóre * Coronasti eum, Dómine. *Repet.* Glóriâ. ℣. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8. 6. 7. * Coronasti. ℣. Glória Patri. *Repet.* Glóriâ & honóre.

℣. Lætificábis eum, Dómine, in gáudio, ℟. Cum vultu tuo. *Psal.* 20. 7.

AD NONAM.

Ant. Hic est.

Capitulum. Eccli. 49. 4.

IPse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. *Repet.* Deduxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Ps.* 106. 7. * In viam. ℣. Glória Patri. *Repet.* Deduxit.

℣. Beátus vir, Dómine, cujus est auxílium abs te, ℟. Ascensiónes in corde suo dispósuit. *Ps.* 83. 6.

AD II. VESPERAS.

Antiphona de Laudibus.

Capitulum. Act. 20. 28.
ATténdite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei.

Hymnus, Christe Pastórum, *ut in pr. Vesperis.*

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induantur justitiam, ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131. 9.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. F. Státuit ei Dóminus testaméntum ætérnum; dedit illi sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. *Eccli.* 45. 8.

Oratio, ut in Laudibus, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. BEatus vir, qui in sapiéntia morábitur, & in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. *Eccli.* 14. 22.

Ant. 2. D. Cibábit illum Deus pane vitæ & intelléctus, & aquâ sapiéntiæ salutáris potábit illum. *Eccli.* 15. 3.

Ant. 3. a. Denudábit illi Dóminus abscónsa sua, & thesaurizábit super illum sciéntiam & intelléctum justítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. 5. C. Tamquam inundátio abundábit, & consílium illius sicut fons vitæ. *Eccli.* 21. 16.

Ant. 6. F. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, & vidéntes illum laudábunt. *Eccli.* 37. 27.

Capitulum. Prov. 3. 13.
BEátus homo qui invénit sapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti.

In Festis Duplicibus & suprà:

℟. In médio Ecclésiæ apériet os ejus; * Adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 5. ℣. Non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus & virtútis. 1. *Cor.* 2. 4. * Adimplébit. ℣. Glória Patri. * Adimplébit illum.

Hymnus. S. V.

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quam benè súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat

Corrumpat fidei virgíneum decus :
Lædi vel léviter non pátitur fides ,
His custódibus íntegra.

Infames ábolent rellíquias deûm ;
Erróres ábigunt , crímina dédocent ;
Christo restítuunt , quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

Patrum canítiem , tot venerábiles
Rugas objíciunt , unde nitet fides :
Quæ sunt prisca , docent ; quæ nova , súbruunt :
Servant depósitum Dei.

Sit supréma tibi glória , Véritas ,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas ,
Nullo vocis egens , corda doces , sono ,
Et te méntibus ínseris. Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris , Dómine ,
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93. 12.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. G. Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ , & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fontem sapiéntiæ Dóminum , * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 5.

Ps. Veníte.

Hymnus. S. V.

Jam nunc , quæ númeras tot tibi víndices ,
Effer sidéreum , Relígio , caput :
Quot sunt mota tibi prælia , nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

Cum per mille neces impíetas furit ,
Oppónis válido péctore mártyres :
Cùm per mille dolos décipit hæresis ,
Doctóres tibi súscitas.

Quando sparsa lues úndique críminum ,
Hi glíscens vítium prótinus ámputant :
Quando plúrima nox méntibus íncubat ,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant instábiles , & dúbios regunt :
Monstrant tuta procul líttora náufragis :
Nobis , qui véhimur cæca per æquora ,
Lucent perpétuæ faces.

Quæ dixére tuis cónsona sénsibus ,
Nostris illa , Deus , córdibus ímprimas :
Quos terris cólimus , quos séquimur duces ,
Fac nos móribus ássequi.

Sit supréma tibi glória , Véritas ,

Quæ per ſcripta Patrum
quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, ſono,
Et te méntibus ínſe-
ris. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Os pruden-tis quæritur in Eccléſia, & verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. *Eccli.* 21. 20.

Ant. 8. c. In corde illíus requieſcit ſapiéntia, & indoctos quoſque erúdiet. *Prov.* 14. 33.

Ant. 5. a. Surrexit quaſi ignis, & verbum ipſíus quaſi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

℣. Teſtimónium Dómini fidéle, ℟. Sapiéntiam præſtans párvulis. *Pſ.* 18. 8.

℟. *j.* Ipſe palàm fáciet diſciplínam doctrínæ ſuæ, * Et in lege teſtamenti Dómini gloriábitur. *Eccli.* 39. 1. ℣. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum. *Luc.* 6. 45. * Et in lege.

℟. *ij.* Bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, * Enutrítus verbis fídei & bonæ doctrínæ, quam aſſecútus es. 1. *Tim.* 4. 6. ℣. Erudítus es in juventúte tua, & implétus es quaſi flumen ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16. * Enutrítus.

℟. *iij.* Fuit gratus Deo, & erudítus eſt omni ſapiéntiâ, * Et erat potens in verbis & in opéribus ſuis. *Act.* 7. *v.* 20. 22. ℣. Cúmque eſſet ſapientíſſimus, dócuit pópulum. *Eccl.* 12. 9. * Et erat. ℣. Glória. * Et erat potens.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Beátus homo qui invénit ſapiéntiam, & qui áffluit prudéntiâ. *Prov.* 3. 13.

Ant. 7. c. Moderátur ſermónes ſuos, doctus & prudens eſt, & pretióſi ſpíritûs vir erudítus. *Prov.* 17. 27.

Ant. 1. a. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes ſémitæ illíus pacíficæ. *Prov.* 3. 17.

℣. In lege Dómini voluntas ejus, ℟. Et in lege ejus meditábitur. *Pſ.* 1. 2.

℟. *iv.* Vir éloquens erat edoctus viam Dómini, * Et fervens ſpíritu loquebátur, & docébat diligenter ea quæ ſunt Jeſu. *Act.* 18. 24. 25. ℣. Audítor ſermónum Dei, novit doctrínam Altíſſimi. *Num.* 24. 16. * Et fervens.

℟. *v.* Tu autem * Sápiens es ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20. ℣. Teipſum ſalvum fácies, & eos

qui te áudiunt. 1. *Tim.* 4. 16. * Sapiens es.

℟. *vj.* Vidit principátum suum, quòd in parte sua doctor esset repósitus. * Fuit cum princípibus, † Et fecit justítias Dómini, & judícium suum cum Israël. *Deut.* 33. 21. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu. *Act.* 28. 31. * Fuit. ℣. Glória. † Et fecit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Se dedit ad diligéntiam lectiónis legis, & Prophetárum, & aliórum librórum. *Prol. Eccli.*

Ant. 3. a. Sicut érudit filium suum homo, sic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. 2. D. Beáti viri tui, & beáti servi tui, qui stant coram te semper, & áudiunt sapiéntiam tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

℣. Déxteram tuam, Dómine, sic notam fac, ℟. Et erudítos corde in sapiéntia. *Ps.* 89. 12.

℟. *vij.* Quæsivit verba utília, * Conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccl.* 12. 10. ℣. Potens exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt, argúere. *Tit.* 1. 9. * Conscripsit.

℟. *viij.* Scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, * Qui profert de thesáuro suo nova & vétera. *Matt.* 13. 52. ℣. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo. *Deut.* 33. 8. * Qui profert.

℟. *ix.* Ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum, * Dilectus es in pace tua, † In interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18. ℣. Ut innotescat per Ecclésiam multiformis sapiéntia Dei. *Eph.* 3. 10. * Dilectus es. ℣. Glória. † In interpretatiónibus. Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Quis sápiens? & custódiet hæc, ℟. Et intélliget misericórdias Dómini? *Ps.* 106. 43.

Ant. 5. a. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ suæ suávis est. *Eccli.* 37. 22.

Ant. 3. c. Vóluit & ipse scríbere áliquid horum quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent. *Prol. Eccli.*

Ant. 4. A. In fide sua probátus est prophéta, & cógnitus est in verbis suis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

Ant. 1. g. Dedit illi sa-

piéntia sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus. *Sap.* 10. 10.

Ant. 6. F. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Capitulum. Eccli. 39. 13. 14.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem; sapiéntiã ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Hymnus. S. V.

VOs succensa Deo, spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

PER vos Relígio, túaque Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesauros sapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager; munda nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.

HI sunt, summe Deus, qui tibi mílitant;
Hi sunt, qui stábiles ædíficant domos;
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit alterâ.

VICISTIS stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela superstites:
His pugnámus adhuc, nec dubio éxitu,
His armis quoque víncimus.

SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

℣. Ignítum elóquium tuum, Dómine, ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118. 140.

Ad Benedictus. *Ant.* 4. D. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matt.* 5. 19.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti: præsta, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXcita, quæsumus, Dómine, intercedénte beáto N. tuórum corda fidélium; ut sacris in-

tenta doctrínis, & stúdeant amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per.

AD PRIMAM.

Ant. Vir perítus.

AD TERTIAM.

Ant. Vóluit.

Capitulum. Esd. 7. 10.

PArávit cor suum ut investigáret legem Dómini, & fáceret & docéret in Israël præceptum & judícium.

℟. *br.* Judícia Dómini vera, * Justificáta in semetipsa. *Repet.* Judícia. ℣. Desiderabília super aurum.* Justificáta. ℣. Glória. *Repet.* Judícia.

℣. Servus tuus custódit ea, ℟. In custodiendis illis retribútio multa. *Ps.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

Ant. In fide sua.

Capitulum. Eccl. 46. 18. 119.

VIdit Deum lucis, & invocávit Dóminum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes úndique.

℟. *br.* Os justi * Meditábitur sapiéntiam. *Rep.* Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Meditábitur. ℣. Glória. *Rep.* Os justi. *Ps.* 36. 30.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Ps.* 36. 31.

AD NONAM.

Ant. Collaudábunt.

Capitulum. Eccli. 45. 6.

DEdit illi Dóminus coràm præcepta, & legem vitæ & disciplínæ, docére Jacob testamentum suum & judícia sua Israël.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta * Convertens ánimas. *Repet.* Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle. * Convertens. ℣. Glória. *Repet.* Lex. *Ps.* 18. 8.

℣. Justítiæ Dómini rectæ, ℟. Lætificantes corda. *Ps.* 18. 8.

AD II. VESPERAS.

Ant. de Laudibus.

Capitulum. Eph. 4. v. 11. 12.

FRatres, Ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

Hymnus, O qui, *ut in primis Vesperis.*

℣. Elóquia Dómini elóquia casta, ℟. Argentum igne examinátum. *Ps.* 11. 7.

Ad Magníficat. *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti: & qui ad ju-

stitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio, ut suprà ad primas Vesperas, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS PRESBYTERI.

IN I. VESPERIS.

Ant. 1. D. Labia Sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. *Malach.* 2. 7.

Ant. 3. a. Ministrábit in nómine Dómini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levítæ. *Deut.* 18. 7.

Ant. 5. C. In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Ant. 6. F. Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 3.

Ant. 4. E. Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo suo, nec accédet ad ministérium. *Lev.* 21. 6.

Capitulum. Ezech. 44. *v.* 28. 29.

POssessiónem non dábitis eis in Israël, ego enim posséssio eórum. Víctimam & pro peccáto & pro delícto ipsi cómedent, & omne votum in Israël ipsórum erit.

In Duplicibus, & suprà:

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech. *Psal.* 109. 4. ℣. Non secúndùm legem mandáti carnális factus. *Hebr.* 7. 16. * Tu es. ℣. Glória. * Tu es.

Hymnus.

JAm satis fluxit cruor hostiárum;
Prístinæ cessent holocausta legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra, Ministri.

ELICIT flammas Elias ab alto;
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo, Deus astat aris,
Hóstia factus.

PINGUE libámen, novus & sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur;
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

TALE nil priscis pátribus tribútum;
Angelis nusquam data par potestas;
Se manu nostrâ Deus ipse jugem

Præbet in escam.
CHRISTE, fac semper
tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cháritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.
LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Fructum suum dabit ℟. In témpore suo. *Ps.* 1. 3.

Ad Magníficat. *Ant.* 7. G. Tecum est Dóminus Deus tuus, in ómnibus ad quæcumque perréxeris. *Jos.* 1. 9.

Oratio propria, aut ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Sacerdótem in ætернum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5. 6.

Psal. Veníte.

Hymnus. Jam satis, *ut in primis Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Sápiens in verbis suis seipsum amábilem facit. *Eccli.* 20. 13.

Ant. 8. c. Quærit legem, replébitur ab ea. *Eccli.* 32. 19.

Ant. 3. à. Exorábit pro peccátis, & continébit se ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 3. 4.

℣. Loquétur poténtias Dómini, ℟. Audítas fáciet omnes laudes ejus. *Ps.* 105. 2.

℟. *j.* Homo iste justus & timorátus expectans consolatiónem Israël; * Et Spíritus Sanctus erat in eo. *Luc.* 2. 25. ℣. Deprecátus est Deum, & obsecrávit eum intentè, & exaudívit oratiónem ejus. 2. *Par.* 33. 13. * Et Spíritus.

℟. *ij.* Oblátio justi impinguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. *Eccli.* 35. 8. ℣. Multum enim valet deprecátio justi assídua. *Jac.* 5. 16. * Et odor suavitátis.

℟. *iij.* Surrexit quasi ignis * Et verbum ipsius † Quasi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1. ℣. Docébat diligenter ea quæ sunt Jesu. *Act.* 18. 25. * Et verbum. ℣. Glória. † Quasi.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Rogante pro eis sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Lev.* 4. 20.

Ant. 7. d. Sacrifícia & víctimæ Dómini Dei Israël, ipsa est ejus hærédítas. *Jos.* 13. 14.

Ant. 2. D. Erat Dómi-

℣. Prævenisti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus. *Ps.* 20. 4.

Ad Benedictus. *Ant.* 6. F. Obtulit holocaustum Dómino, & clamávit ad Dóminum pro Isráël, & exaudivit eum Dóminus. 1. *Reg.* 7. 9.

Oratio.

Domine Deus omnípotens, qui famulum tuum N. ut sacerdótio tibi fungerétur à pópulo segregasti; præsta, quæsumus, ut ejus exempla sectantes, genus electum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Miráti sunt.

AD TERTIAM.

Ant. Obtulit.

Capitulum. Eccli. 50. 16.

Porrexit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ; effúdit in fundamento altáris odórem divínum excelso príncipi.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo. *Repet.* Lætábimur. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur. * In salutari. ℣. Glória. *Repet.* Lætábimur. *Ps.* 19. 6.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrificii tui, ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19. 6. 4.

AD SEXTAM.

Ant. Dedit.

Capitulum. Eccli. 50. 22.

Manus suas extulit in omnem congregatiónem filiórum Israël, dare glóriam Deo à labiis suis, & in nómine ipsius gloriári; & iterávit oratiónem suam volens osténdere virtútem Dei.

℟. *br.* Dabis eum, Dómine, * In benedictiónem. *Repet.* Dabis. ℣. In séculum séculi. * In benedictiónem. ℣. Glória. *Repet.* Dabis. *Ps.* 20. 7.

℣. Glóriâ & honóre coronasti eum, ℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8. 7.

AD NONAM.

Ant. Erat potens.

Capitulum. Esdræ, 7. 10.

Parávit cor suum ut intelligeret legem Dómini, & fáceret & docéret in Israël præceptum & judícium.

℟. *br.* Beátus cujus * Deus Jacob adjútor ejus. *Repet.* Beátus. ℣. Spes ejus in Dómino Deo ipsius. * Deus. ℣. Glória *Repet.* Beátus. *Ps.* 83. 6.

℣. Ad níhilum dedúctus est in conspectu ejus malignus: ℟. Timentes autem Dóminum glorificat. *Ps.* 14. 4.

AD II. VESPERAS.

Ant. Miráti sunt, & *cæter. de Laudibus.*

Capitulum. 1. Tim. 3. 13.

QUi bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent, & multam fidúciam in fide quæ est in Christo Jesu.

Hymnus, Jam satis fluxit, *ut in pr. Vesperis.*

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo. *Ps.* 20. 7.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. E. Plúrimam hóstiam obtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus. *Hebr.* 11. 4.

Oratio, ut suprà, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS ABBATIS, vel Monachi.

IN I. VESPERIS.

Ant. 6. F. EXultábit solitúdo, & florébit quasi lilium, exultábit lætabunda & laudans. *Is.* 35. *v.* 1. 2.

Ant. 7. ç. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua, sedébit solitárius, & tacébit. *Thren.* 3. *v.* 27. 28.

Ant. 8. G. Erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas. *Jerem.* 17. 8.

Ant. 2. D. Erúmpet radix ejus ut Líbani, & erit quasi olíva glória ejus. *Osee.* 14. *v.* 6, 7.

Ant. 1. D. Erit fólium ejus víride, nec aliquando désinet fácere fructum. *Jerem.* 17. 8.

Capitulum. Jerem. 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & salvet unusquisque ánimam suam: nolíte tacére super iniquitátem ejus: quóniam tempus ultiónis est à Dómino.

In Duplicibus & suprà:

℟. Erit vir sicut qui abscónditur à vento, * Et celat se à tempestáte. *Is.* 32. 2. ℣. Fide obedívit in locum exíre, & éxiit nésciens quò iret. *Hebr.* 11. 8. * Et celat. ℣. Glória. * Et celat.

Hymnus. S. V.

FELICES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
UT te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,

Dum cœléstia cógitant.
NUDI, prompti, álacres, liberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
ÆTERNAS ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confisi melióribus.
ILLIS summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
FAC nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et tellúre relictâ,
Immortália quærere.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri;
Sit par unigenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.
℣. Sperat in Dómino,
℟. Et in misericórdia Altíssimi non commovébitur. *Ps.* 20. 8.
Ad Magníficat. *Ant.* 3. a. Assumpsit eum Dóminus, atque portávit in húmeris suis: Dóminus solus dux ejus fuit. *Deut.* 32. *v.* 11. 12.
Oratio ut infra, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesum, qui ductus est in desértum, * Veníte, adorémus. *Matt.* 4. 1.
Psal. Veníte.
Hymnus. S. V.
TUA beandos glóriâ,
Miris, Deus, probas modis,
Qui, dum lates, præséntior,
Votis amantûm páfceris.
PROCUL remóti, súpplices
Tendunt manus, & pátriam
Per vota, per suspíria
Cœlum salútant éxules.
TE sola mors cùm det frui,
Sese necant labóribus;
Sese necant jejúniis,
Et, quâ licet, vellent mori.
QUAM, morte promptâ, férvidi
Emére palmam Mártyres,
Hic doctus in dies mori
Longo reportat fúnere.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. D. Quid pro-

deſt hómini, ſi mundum univérſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detrimentum patiátur. *Matth.* 16. 26.

Ant. 7. c. Dóminus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimittet nec derelinquet te. *Deut.* 31. 6.

Ant. 3. a. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus. *Deut.* 30. 9.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi, ℟. Et ſub pennis ejus ſperábis. *Pſ.* 90.

℟. *j.* Majóres divítias æſtimans theſauro Ægyptiórum impropérium Chriſti; * Fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 27. ℣. Dixit patri ſuo & matri ſuæ: Néſcio vos; & frátribus ſuis: Ignóro vos. *Deut.* 33. 9. * Fide.

℟. *ij.* In cáſulis habitando cum cohærédibus repromiſſiónis ejuſdem, * Expectábat fundamenta habentem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. *v.* 9. 11. ℣. Secéſſerat in deſertum locum, ibíque vitam cum ſuis agébat. 2. *Machab.* 5. 27. * Expectábat.

℟. *iij.* De benedictióne Dómini terra ejus, * De vértice móntium, de pomis cóllium ætern órum. *Deut.* 33. 15. ℣. Uberes fructus ager áttulit. *Luc.* 12. 16. * De vértice. ℣. Glória. * De vértice.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Circumduxit eum Dóminus, & dócuit, & cuſtodívit quaſi pupillam óculi ſui. *Deut.* 32. 10.

Ant. 8. c. Non hábuit ánimi ſui triſtítiam, & non éxcidit à ſpe ſua. *Eccli.* 14. 2.

Ant. 7. b. Pauper gloriátur per diſciplínam & timórem ſuum. *Eccli.* 10. 33.

℣. Mélius eſt módicum juſto, ℟. Super divítias peccatórum multas. *Pſ.* 36. 16.

℟. *iv.* Multitúdinis credéntium erat cor unum, & ánima una; * Nec quiſquam áliquid ſuum eſſe dicébat, ſed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4. 32. ℣. Reliquérunt quæcumque habébant. 1. *Mach.* 2. 28. * Nec quiſquam.

℟. *v.* Opéruit cilício carnem ſuam, * Jejunávit & dormívit in ſacco, & ambulávit demiſſo cápite. 3. *Reg.* 21. 27. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. 2. *Cor.* 12. 27. * Jejunávit.

℟. *vj.* Iſte pauper clamávit, * Et Dóminus

exaudivit eum. *Ps.* 33. 7. ℣. Multum valet deprecátio justi assídua. *Jacob.* 5. 16. * Et Dóminus. ℣. Glória. * Et Dóminus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Omnes obédiunt uni, & non est invídia neque zelus inter eos. 1. *Mach.* 8. 16.

Ant. 5. C. Fodit in altum, & pósuit fundamentum supra petram. *Luc.* 6. 4.

Ant. 4. E. Manducávit panem cum luctu & tremóre. *Tob.* 2. 5.

℣. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia, ℟. Vidébunt recti & lætabuntur. *Psal.* 106. 41. 42.

℟. *vij.* Hic multis tempóribus continéntiæ propósitum ténuit,* Corpusque & ánimam trádere contentus pro perseverántia. 2. *Mach.* 14. 38. ℣. Vir erat religiósus ac timens Deum, cum omni domo sua. *Act.* 10. 2. * Corpusque.

℟. *viij.* Fecit quod plácuit Deo,*Et spíritu magno vidit última. *Eccli.* 48. *v.* 25. 27. ℣. Grátias agens Deo, accépit fidúciam. *Act.* 28. 15. * Et spíritu.

℟. *ix.* In fide & lenitáte ipsíus * Dóminus sanctum fecit illum. *Eccli.* 45. 4. ℣. Gloriétur frater húmilis in exaltatióne sua. *Jac.* 1. 9. * Dóminus. ℣. Glória. * Dóminus.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96. 11.

Ant. 1. a. Iste custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1. *v.* 12. 13.

Ant. 8. G. In solitúdine portávit te Dóminus, ut solet homo gestáre párvulum suum. *Deut.* 1. 31.

Ant. 4. a. Videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est. *Eccl.* 3. 13.

Ant. 7. *d.* Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2. 13.

Ant. 3. b. Abjécit vestimentum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. *Jon.* 3. 6.

Capitulum. 1. Cor. 9. 25.

FRatres; Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam.

Hymnus. S. V.

QUID tu, relíctis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?
MENTIS volátu líbero,
Percurris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commercia.
PRÆSENS choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.
QUAM pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Tuo recondis in sinu.
ÆTERNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Ascensiónes in corde suo dispósuit, ℟. In valle lacrymárum. *Psal.* 83. 6.

Ad Benedíctus. *Ant.* 2. D. Fide demorátus est in terra repromissiónis tamquam in aliéna. *Hebr.* 11. 9.

Si sit Abbas, Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo & intercessióne beáti N. Abbátis cujus solémnia celebrámus, ut purificátis ab omni séculi desidério méntibus, te solo dívites esse velímus; Per Dóminum.

Si non sit Abbas, Oratio.

DEus, qui nos ádmones exemplo beáti N. temporália despícere, & ad ætérna festináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis intercedente, implére valeámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Iste custodívit.

AD TERTIAM.

Ant. In solitúdine.

Capitulum. 1. Machab. 2. 29.

DEscendérunt multi quærentes judícium & justítiam in desertum, & sedébant ibi.

℟. *br.* Beáta gens, * Cujus est Dóminus Deus ejus. *Repet.* Beáta. ℣. Pópulus quem elégit. * Cujus est. ℣. Glória Patri. *Repet.* Beáta gens. *Psal.* 32. 12.

℣. Pinguéscent speciósa deserti, ℟. Et exultatióne colles accingentur. *Psal.* 64. 13.

AD SEXTAM.

Ant. Videt bonum.

Capitul. 2. Paral. 31. 20.

OPerátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo.

℟. *br.* Ecce sic * Benedicétur homo. *Repet.* Ecce. ℣. Qui timet Dóminum. * Benedicétur homo. ℣. Glória. *Repet.* Ecce. *Ps.* 127. 4.

℣. Ingréditur sine mácula, ℟. Et operátur justítiam. *Ps.* 14. 2.

AD NONAM.

Ant. Abjécit.

Capitulum. Coloss. 3. 5.

MOrtificáte membra vestra, quæ sunt super terram; fornicatiónem, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam, & avarítiam quæ est simulacrórum sérvitus.

℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. *Repet.* Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui. ℣. Glória. *Rep.* Beátus. *Ps.* 111. 1.

℣. Fáciet Dóminus judícium inopis; ℟. Et vindíctam páuperum. *Ps.* 139. 13.

IN II. VESPERIS.

Ant. de Laudibus.

Capitulum. Coloss. 3. v. 3. 4.

MOrtui estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo; cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória.

Hymnus, Felices, ut in pr. *Vesperis.*

℣. Iste pauper clamávit, ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum Dóminus. *Ps.* 33. 7.

Ad Magníficat. *Ant.* 5. C. Dóminus Deus ductor tuus fuit, & cibávit te manna in solitúdine. *Deut.* 8. 15. 16.

Oratio, *ut suprà ad Laudes*, *nisi sit propria.*

COMMUNE UNIUS JUSTI.

IN I. VESPERIS.

Ant. TEnébit justus 3. a. viam suam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17. 9.

Ant. 4. *D.* Timenti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1. 19.

Ant. 5. C. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gáudium, & longitúdinem diérum. *Ibid.* *v.* 12.

Ant. 8. G. Fortitúdo

simplicis via Dómini; justus in æternum non commovébitur. *Prov.* 10. *v.* 29. 30.

Ant. 7. d. Quasi virens fólium germinábit; fructus justi lignum vitæ. *Prov. v.* 28. 30.

Capitulum. Eccli. 39. 6.

COr suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspectu Altíssimi deprecábitur.

In Duplicibus & suprà :

℟. Erit tamquam lignum quod plantátum est secus decursus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo; * Et fólium ejus non défluet, † Et ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur. *Ps.* 1. 3. ℣. Non audítor obliviósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. *Jac.* 1. 25. * Et fólium. Glória. † Et ómnia.

Hymnus. G. Ep. S.

SUMMI pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

GAUDETE; regnat ínclytus
Hic qui fugáci século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

ANGUSTA pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

CARNEM terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

SAPORE verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.

HAC surgit ad cœlum viâ:
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus: ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39. 5.

Ad Magnific. *Ant.* 1. D. Assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram. *Matth.* 7. 24.

Oratio, ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145. 8.

Psal. Veníte.

Hymnus. S. V.

NON parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:

Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.
Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi,
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cháritas.
Corpus subégit cástitas,
Et liberam mentem fides;
Amor supernis ígnibus
Totam litávit hóstiam.
Venis apertis ómnibus,
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.
Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Turris fortíssima, nomen Dómini: ad ipsum currit justus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

Ant. 1. g. Quasi lux splendens procédit, & créscit usque ad perféctam diem. *Prov.* 4. 18.

Antiph. 2. D. Præcépta súscipit, ámbulat simplíciter, ámbulat confidénter. *Prov.* 10. v. 8. 9.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum: ℟. In mandátis ejus cupit nimis. *Ps.* 111. 1.

℟. *j.* In lege Dómini volúntas ejus, & in lege ejus * Meditábitur die ac nocte. *Ps.* 1. 2. ℣. Quóniam opórtet semper oráre & non defícere. *Luc.* 18. 1. * Meditábitur.

℟. *ij.* Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, * Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum. *Eccli.* 31. 11. ℣. Séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. 2. *Cor.* 9. 6. * Eleemósynas.

℟. *iij.* Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ * Ascendérunt in memóriam † In conspéctu Dei. *Act.* 10. 4. ℣. In mansuetúdine ópera tua. *Eccli.* 3. 9. * Ascendérunt. ℣. Glória. † In conspéctu.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. f. Pergébat ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israël. *Tob.* 1. 6.

Ant. 5. a. Ambulat in

justítiis, & lóquitur veritátem; iste in excelsis habitábit. *Isai.* 33. 15. 16.

Ant. 1. D. Exquisívit Dóminum; cúmque requíreret Dóminum, diréxit eum in ómnibus.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. *Psal.* 36. 31.

℟. *iv.* Erat vir ille simplex & rectus, * Ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 1. 1. ℣. Homo iste justus & timorátus. *Luc.* 2. 25. * Ac timens.

℟. *v.* Dabis eum, Dómine, in benedictiónem in séculum séculi: * Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo. *Ps.* 20. 7. ℣. Céntuplum accípiet, & vitam æternam possidébit. *Matth.* 19. 29. * Lætificábis.

℟. *vj.* Innocens mánibus & mundo corde * Non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo; † Hic accípiet benedictiónem à Dómino. *Ps.* 23. 4. 5. ℣. Expectans consolatiónem Israël. *Luc.* 2. 25. * Non accépit. ℣. Glória. † Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Gáudium justo est fácere judícium. *Prov.* 21. 15.

Ant. 3. g. Pecúnias non accépit, & non accusávit illum homo. *Eccli.* 46. 22.

Ant. 6. F. Fecit quod rectum erat in conspectu Dómini. 3. *Reg.* 22. 43.

℣. Prævenísti eum, Dómine, ℟. In benedictiónibus. *Ps.* 20. 4.

℟. *vij.* Claudit óculos suos ne vídeant malum; * Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè. *Isai.* 33. *v.* 15. ℣. Expectábat & ipse regnum Dei. *Luc.* 23. 51. * Regem.

℟. *viij.* Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso * Vitam pétiit à te, & tribuisti ei longitúdinem diérum in séculum & in séculum séculi. *Ps.* 20. 4. 5. ℣. Factum est ut morerétur, & portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22. * Vitam.

℟. *ix.* Ambulávit servus tuus in conspectu tuo, in veritáte & justítia, & recto corde tecum, * Custodisti ei, Dómine, misericórdiã tuam grandem. 3. *Reg.* 3. 6. ℣. Habet vitam æternam, & in judícium non venit, sed tránsiit à morte in vitam. *Joan.* 5. 24. * Custodisti ei. ℣. Glória Patri. * Custodisti.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætitia. *Ps.* 96. 11.

Ant. 3. à. Oculus Dei respexit illum in bono; miráti sunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

Ant. 6. C. Exaudíta est orátio tua, & eleemósynæ tuæ commemorátæ sunt in conspectu Dei. *Act.* 10. 31.

Ant. 1. a. Pótuit tránsgredi, & non est transgressus: fácere mala, & non fecit. *Eccli.* 31. 10.

Ant. 7. c. Dilectus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est. *Eccli.* 45. 1.

Ant. 8. c. De omni corde suo laudávit Dóminum, & dilexit Deum, qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

Capitulum. Eccli. 31. *v.* 8. 9.

BEátus qui inventus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris: quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus. S. V.

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspirat, oblítus suî.

QUID ergo gaudes nectere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.

HINC fervet in dies amor;
In vota toti diffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna, vita lóngior.

VIX iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo se júngere.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Non ábiit in concílio impiórum, ℟. Et in via peccatórum non stetit. *Ps.* 1. 1.

Ad Benedictus. *Ant.* 7. G. Probátus & perfectus est; erit illi glória ætérna. *Eccli.* 31. 10.

Oratio.

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. festivitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD PRIMAM.

Ant. Oculus Dei.

AD TERTIAM.

Ant. Exaudíta est.

Capitulum. Jac. 1. 27.

RElígio munda & immaculáta apud Deum hæc est, visitáre pupíllos, & víduas in tribulatióne eórum; & immaculátum se custodíre ab hoc século.

℟. *br.* Dispersit, * Dedit paupéribus. *Rep.* Dispersit. ℣. Justítia ejus manet in séculum. * Dedit paupéribus. ℣. Glória Patri & Fílio. *Repet.* Dispersit.

℣. Cornu ejus exaltábitur in glória. ℟. Peccátor vidébit & irascétur. *Psal.* 111. 9. 10.

AD SEXTAM.

Ant. Pótuit.

Capitulum. Eccli. 33. *v.* 2. 3.

SApiens non odit mandáta & justítias, credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. *br.* Judícia Dómini vera, * Justificáta in semetipsa. *Repet.* Judícia. ℣. In custodiendis illis retribútio multa. * Justificáta. ℣. Glória Patri. *Ps.* 18. *v.* 10. 11. *Repet.* Judícia.

℣. In memória ætérna erit justus; ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Psal.* 111, 7.

AD NONAM.

Ant. De omni.

Capitulum. Eccli. 11. 13.

ERexit eum Deus ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus.

℟. *br.* Justus * Ut palma florébit. *Repet.* Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. * Ut palma. ℣. Glória. *Rep.* Justus. *Ps.* 91. 13.

℣. Jucundus homo qui miserétur, ℟. Et cómmodat. *Ps.* 111. 5.

AD II. VESPERAS.

Ant. de Laudibus.

Capitulum. 1. Petr. 3. *v.* 10. 11.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem, & sequátur eam.

Hymnus, Summi pusillus, *ut suprà ad pr. Vesper.*

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum; ℟. Nec est in spíritu ejus dolus. *Psal.* 31. 2.

Ad Magníficat. *Ant.* 4. *D.* Justum deduxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei; & dedit illi sciéntiam sanctórum. *Sap.* 10. 10.

Oratio, ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

IN I. VESPERIS.

Ant. 8. G. NOn vocáberis ultrà derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Isai.* 62. 4.

Ant. 5. C. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Ibid.* *v.* 3.

Ant. 4. A. Abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in cunctis opéribus mánuum tuárum. *Deut.* 30. 9.

Ant. 3. a. Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. *Jerem.* 31. 23.

Ant. 6. F. Deus miséricors Deus tuus est, non dimittet te. *Deut.* 4. 30. 31.

Capitulum. Osee, 2. 19.

SPonsábo te mihi in sempiternum: & sponsábo te mihi in justítia & judício, & in misericórdia, & in miseratiónibus.

℟. Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam: * Oblivíscere pópulum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decórem tuum † Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Psal.* 44. 12. ℣. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis. *Joan.* 3. 8. * Oblivíscere. ℣. Glória. † Quóniam.

Si non sit Martyr.

Hymnus. S. V.

VOs ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.

HÆc est festa dies cœlítibus sacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponso sponsa Deo próxima concinit
Virgo cántica Vírgini.

MORTALES thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réspuit:
Sponso perpétuo fœdere júngitur,
Sponsæ se Deus óbligat.

ÆGRO vix sua sunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil sonat áuribus;
Morti, quod ráperet, próvida præripit;
Unus fit Deus ómnia.

Fac, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos,
Nos instáre sacrâ, quâ gráditur, viâ;
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis, frígida péctora. Amen.

Si sit Martyr.

Hymnus. S. V.

Festis læta sonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis, íntegram
Testári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Regnábit Dóminus in sécula Deus tuus, ℟. In generatiónem & generatiónem. *Ps.* 145. 10.

Ad Magníficat. *Ant.* 1. D. Dóminum elegisti hódie, ut sit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

Oratio, ut infrà, nisi sit propria.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Agnum quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

Psal. Veníte.

Si non sit Martyr.

Hymnus. S. V.

Cœlestis aula pánditur;
En Sponsus; omnes óbviæ,
Exíte sponso vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

Hæc nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria,

Dat ómnibus, dat singulis
Jam plénius frui Deo.
Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O virginales núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

Si sit Martyr.
Hymnus. S. V.

Virginum robur, Deus, atque custos,
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.
Sponsa dilecto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus,
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. ç. Omnis ponderátio non est digna continentis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. 3. à. Habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. *Sap.* 3. 14.

Ant. 1. a. Dóminus Deus Israël ipse est posséssio ejus. *Jos.* 13. 33.

℣. Exultent filiæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 47.12.

℟. *j.* Lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum; * Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem. *Cant.* 8. 6. 7. ℣. Pudíca est, pacífica,

pacífica, modésta, bonis consentiens, plena misericórdiâ, & frúctibus bonis. *Jac.* 3. 17. * Aquæ.

℟. *ij.* Innupta & virgo * Cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. 1. *Cor.* 7. 3. ℣. Disciplína illíus datum Dei est. *Eccli.* 26. 17. * Cógitat.

℟. *iij.* Magna facta est, & præclárior erat univérsæ terræ Israël: * Erat étiam virtúti cástitas adjuncta. *Judith.* 16. 25. ℣. Omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. 10. * Erat. ℣. Glória. * Erat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Timens Dóminum, ipsa laudábitur. *Prov.* 3. 30.

Ant. 3. a. Omnium óculis gratiósa, & amábilis videbátur. *Esth.* 2. 15.

Ant. 5. a. Gáudio gaudet propter vocem Sponsi. *Joan.* 3. 29.

℣. Delectavérunt te, Dómine, fíliæ regum, ℟. In honóre tuo. *Psal.* 44. 9.

℟. *iv.* Deprecabátur Dóminum Deum Israël, dicens; * Dómine mi, qui Rex noster es solus, ádjuva me; præter te nullus est auxiliátor. *Esther.* 14. 3. ℣. Omne datum óptimum & omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre lúminum. *Jacob.* 1. 17. * Dómine.

℟. *v.* Immortális est memória illius: * Quóniam apud Deum nota est, & apud hómines. *Sap.* 4. 1. ℣. Lumen ejus símile lápidi pretióso. *Apoc.* 21. 11. * Quóniam.

℟. *vj.* In perpétuum coronáta * Triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4. 2. ℣. Quia fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6. * Triumphat. ℣. Glória. * Triumphat.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Dóminus Deus tuus ignis consúmens est, Deus æmulátor. *Deut.* 4. 24.

Ant. 2. D. Silébit Dóminus in dilectióne sua, exultábit super te in laudè. *Soph.* 3. 17.

Ant. 6. F. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit. *Ibid.*

℣. Benedícat te Dóminus ex Sion, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Psal.* 133. 3.

℟. *vij.* Exultémus & demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni * Et uxor ejus præparávit se. *Apoc.* 19. 7. ℣. Ipse

tamquam sponsus procédens de thalamo suo. *Ps.* 18. 6. * Et uxor ejus præparávit.

℟. *viij.* Exulta satis, filia Sion; júbila, filia Jerúsalem; ecce Rex tuus véniet, * Tibi justus & salvátor. *Zach.* 9. 9. ℣. Médiâ nocte clamor factus est; Ecce sponsus venit. *Matth.* 25. 6. * Tibi justus.

℟. *ix.* Reddat tibi Dóminus pro ópere tuo, * Plenam mercédem recípias à Dómino Deo Israël, † Sub cujus confugisti alas. *Ruth.* 2. 12. ℣. Filia, fides tua te salvam fecit. *Matt.* 9. 22. * Plenam. ℣. Glória. † Sub.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solius. *Psal.* 148. 12. 13.

Ant. 6. F. Lauda, filia Sion; lætáre, & exulta in omni corde, filïa Jerúsalem. *Soph.* 3. 14.

Ant. 4. a. Dóminus Deus tuus ipse est vita tua, & longitúdo diérum tuórum. *Deut.* 30. 20.

Ant. 8. c. Ipse est pater tuus, qui possédit te, & fecit, & creávit te. *Deut.* 32. 6.

Ant. 5. C. Sit Dóminus tuus benedictus, cui complacuisti, eo quod dilèxerit Dóminus Israël. 3. *Reg.* 10. 9.

Ant. 1. g. Dominabitur tuî qui fecit te; Dóminus exercituum, nomen ejus. *Isai.* 54. 5.

Capitulum. 1. Cor. 7. 25.

De virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consilium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

Si non sit Martyr.

Hymnus. Muret.

O Virgo, pectus cui sacrum
Amóris expers improbi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perussit Spíritus!

Non te volupcas sensuum
Fallax venénis móllit,
Solas amantem pérsequi
Cœlestis Agni núptias.

Sic ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus,
Mundána cuncta témneres.

Beata cui nunc Cœlitum,
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.

Æterne Sponse Vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,

In sempiterna sécula.
Amen.
Si sit Martyr.
Hymnus. S. V.

QUID sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

MOLLIOR fregit neque te voluptas;
Impotens flexit neque te Tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

LILIIS Sponsus récubat, rosísque;
Tu, tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedisti
Lília Virgo.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus;
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Corónat te Dóminus in misericórdia, ℟. Et miseratiónibus. *Psal.* 102. 4.

Ad Benedictus. *Ant.* 3. E. Felix est stérilis & incoinquináta, quæ nescívit thorum in delicto. *Sap.* 3. 13.

Si sit Martyr. Oratio.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ miracula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

Alia Oratio.

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta N. Virgo & Martyr implóret, quæ tibi grata semper éxtitit, & mérito castitátis, & tuæ professióne virtútis; Per.

Si non sit Martyr. Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituisti: concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per Dóminum.

Alia Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui mundi contemptum te diligéntibus inspirasti: da nobis, in festivitáte beátæ N. Vírginis, ejus intercessióne terréna despícere, & tibi soli firmiter adhærére; Per.

AD PRIMAM.

Ant. Lauda.

AD TERTIAM.

Ant. Dóminus.

Capitulum. Zach. 9. 17.

QUid bonum Dómini est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℞. *br.* Fiat cor meum, Dómine, * Immaculátum. *Rep.* Fiat. ℣. In justificatiónibus tuis. * Immaculátum. ℣. Glória. *Rep.* Fiat. *Ps.* 118. 80.

℣. Beáti immaculáti in via, ℞. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118. 1.

AD SEXTAM.

Ant. Ipse est.

Capitulum. Sap. 8. 21.

UT scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum; ádii Dóminum.

℞. *br.* Dóminus custódit te, * Dóminus protéctio tua. *Repet.* Dóminus. ℣. Super manum déxteram tuam. * Dóminus protéctio. ℣. Glória. *Repet.* Dóminus custódit. *Ps.* 120. 5.

℣. Per diem sol non uret te, ℞. Neque luna per noctem. *Psal.* 120. 6.

AD NONAM.

Ant. Dominábitur.

Capitulum. Sap. 6. 19. 20.

CUstodítio legum consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo.

℞. *br.* Vitam pétiit a te, Dómine, * Et tribuísti ei. *Rep.* Vitam. ℣. Longitúdinem diérum. * Et tribuísti. ℣. Glória. *Repet.* Vitam pétiit.

℣. Magna est glória ejus, ℞. In salutári tuo. *Ps.* 20. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

Ant. Lauda, filia, *cum cæteris de Laudibus.*

Capitulum. 1. Cor. 7. v. 7. 8.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo; dico non nuptis: Bonum est illis, si sic permáneant.

Hymnus. Vos ô Vírginei, *vel* Festis læta sonent, *ut sup. ad pr. Vesperas.*

℣. Replet Dóminus in bonis desidérium tuum; ℞. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102. 5.

Ad Magnif. *Ant.* 7. G. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua, nisi in te, Dómine Deus. *Esth.* 14. 16. 18.

Oratio ut sup. ad Laudes, nisi sit propria.

COMMUNE UNIUS MULIERIS vel Viduæ.

IN I. VESPERIS.

Ant. 2. D. MUlier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. 1. a. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei; sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. *Ibid. v.* 21.

Ant. 3. a. Fáciat Dóminus hanc mulíerem, sicut Rachel & Liam quæ ædificavérunt domum Israël. *Ruth.* 4. 11.

Ant. 6. C. Sit exemplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ibid.*

Ant. 8. G. Fundamenta ætérna supra petram sólidam, & mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ. *Eccli.* 26. 24.

Capitulum. Prov. 31. 10.

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul & de últimis finibus prétium ejus; confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

In Duplicibus & suprà :

℟. Fortitúdo & decor induméntum ejus, * Ridébit † In die novíssimo. *Prov.* 31. 25. ℣. Múlier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor. *Act.* 16. 14. * Ridébit. ℣. Glória. † In die.

Hymnus. S. V.

ADESTE, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus,
Triumphat inter Cœlites.

NON illa luxu véstium,
Non crine torto spléndui t;
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

SE sub serénis vúltibus
Austéra virtus óccul it;
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

PASCENDA cœlesti cibo,
Sacris studébat lítteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Non timébit à timóre noctúrno, ℟. A sagítta volante in die. *Psal.* 90. 5.

Ad Magnif. Ant. 7. G. Pars bona, múlier bona, in parte timéntium Deū, dábitur viro pro factis bonis. *Eccli.* 26. 3.

Orat. ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum in quo sanctæ mulieres speravérunt, * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

Psal. Veníte.

Hymnus. S. V.

ARdet Deo quæ Fémina,
Latére frustrà cógitat:
Quot indigentes sublevat,
Tot próditur præcónibus.

Prodesse quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna, custos Vírginum,
Secunda mater órphanis.

Pannis latentem vílibus,
Christum fovébat hóspitem;
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

Pacem domi, pacem foris
Alto colit siléntio:
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Grátia super gratiam, múlier sancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Ant. 3. g. Mulíeris bonæ beátus vir; númerus enim annórum illius duplex. *Ibid. v.* 1.

Ant. 2. D. Múlier sensáta & tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. *Ibid. v.* 18.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. *Psal.* 24. 13.

℟. *j.* Non extinguétur in nocte lucerna ejus, * Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad páuperem. *Prov.* 31. 18. 20. ℣. Surget in judício cum generatióne ista, & condemnábit eam. *Matth.* 12. 4. * Manum.

℟. *ij.* Lex cleméntiæ in lingua ejus: * Considerávit sémitas domus suæ, & panem otiósa non comédit. *Prov.* 31. 26. 27. ℣. Quod decet mulíeres promitténtes pietátem per ópera bona. 1. *Tim.* 2. 10. * Considerávit.

℟. *iij.* Ingressa est oratórium suum, * Et prosternens se Dómino, † Clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9. 1. ℣. Fidélem crédidit esse eum qui repromíserat. *Hebr.* 11. 11. * Et prosternens. ℣. Glória. † Clamábat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. *Prov.* 31. 13.

Ant. 7. *d.* Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. *Ibid. v.* 14.

Ant. 5. a. De nocte surrexit, deditque prædam doméſticis suis. *Ibid. v.* 15.

℣. Deus in dómibus ejus cognoscétur, ℟. Cùm suscípiet eam. *Psalm.* 47. 4.

℟. *iv.* Hæc confitebátur Dómino, * Loquebátur de illo ómnibus qui expectábant redemptiónem Israël. *Luc.* 2. 38. ℣. Repléta sapiéntiâ, & femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens. 2. *Mac.* 7. 21. * Loquebátur.

℟. *v.* Hæc non discedébat de templo, * Jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac die. *Luc.* 2. 37. ℣. Flétibus & lúctui apta indumenta suscépit, & deprecabátur Dóminum. *Esth.* 14. 2. 3. * Jejúniis.

℟. *vj.* Benedícta es à Dómino, fília; * Scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. *Ruth.* 3. *v.* 10. 11. ℣. O múlier, magna est fídes tua! *Matt.* 15. 28. * Scit enim. ℣. Glória. * Scit enim.

IN III. NOCTURNO

Ant. 7. d. Considerávit agrum & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. *Prov.* 31. 16.

Ant. 6. F. Gustávit, & vidit, quia bona est negotiátio ejus. *Ibid. v.* 18.

Ant. 1. D. Omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. 10.

℣. Confirmátum est cor ejus, ℟. Non commovébitur. *Psal.* 111. 8.

℟. *vij.* Surrexérunt fílii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. *Prov.* 31. 28. ℣. Múlier glória viri est: non enim vir ex mulíere, sed múlier ex viro. 1. *Cor.* 11. *v.* 7. 8. * Vir ejus.

℟. *viij.* Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósynis quas faciébat: * Factum est autem in diébus illis ut infirmáta morerétur. *Act.* 9. 36. ℣. Suspexit ad cœlum; erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. *Deut.* 13. 35. * Factum.

℟. *ix.* Nunc ergo ora pro nobis, * Quóniam múlier sancta es, & timens Deum. *Judith.* 8.

29. ℣. Fides tua te salvam fecit. *Luc.* 7. 50. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Exultáte in conspectu Patris orphanórum, ℟. Et Júdicis viduárum. *Psalm.* 67. 5. 6.

Ant. 6. F. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

Ant. 8. c. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. *Ibid.* v. 19.

Ant. 4. E. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum. *Ibid.* v. 17.

Ant. 1. f. In ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13. 18.

Ant. 5. a. Laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Capitulum. 1. Tim. 2. 9.

MUlieres in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornantes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ.

Hymnus. S. V.

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cælum petit,
Hâc ire vos omnes decet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuge.

Insignis & nos fœminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virt[illegible]exemplum viris.

Qu[illegible] arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ignibus;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac mens te colat.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Dilexísti justítiam, ℟. Et odísti iniquitátem. *Psal.* 44. 8.

Ad Benedictus. *Ant.* 2. D. Orábat Dóminum Deum Israël, & munda manébat in tabernáculo. *Judith.* 12. v. 8. 9.

Si sit Martyr, Oratio.

TRíbue, quæsumus, Dómine, précibus nostris cum exultatióne proventum: ut beátæ N. cujus passiónem recólimus, constántiam imitémur; Per.

Alia Oratio.

MArtyris tuæ N. nos, Dómine, conféssio

ſancta commúniat, & fragilitáti noſtræ contínuum ímpetret ſubsídium; Per.

Si non ſit Martyr. Oratio.

TUórum corda fidélium, Deus miſerátor, illuſtra; & beátæ N. précibus ac méritis, fac nos terréna deſpícere, & amáre cœléſtia; Per.

Alia Oratio.

ESto, quæſumus, Dómine, intercedente beátâ N. propítius plebi tuæ; ut quæ tibi non placent, reſpuentes, tuórum repleámur deſidério mandatórum; Per.

AD PRIMAM.

Ant. Fallax.

AD TERTIAM.

Ant. Manum.

Capitulum. Judith. 10. 8.

GLoriétur ſuper te Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum: Et dixérunt hi qui illic erant omnes unâ voce: Fiat, fiat.

℟. *br.* Lauda Dóminum, * Lauda Deum tuum. *Rep.* Lauda Dóminum. ℣. Benedixit fíliis tuis in te. * Lauda. ℣. Glória. *Rep.* Lauda.

℣. Póſuit fines tuos pacem, ℟. Et ádipe fruménti ſátiat te. *Pſal.* 147. 14.

AD SEXTAM.

Ant. Accinxit.

Capitulum. Tob. 10. 13.

MOnébant filiam ſuam honoráre ſóceros, dilígere marítum, régere famíliam, gubernáre domum, & ſeipſam irreprehensíbilem exhibére.

℟. *br.* Totâ die * Miſerétur & cómmodat. *Repet.* Totâ. ℣. Et ſemen illius in benedictióne erit. * Miſerétur. ℣. Glória. *Repet.* Totâ die. *Pſal.* 36. 16.

℣. Pupillum & víduam ſuſcípiet Dóminus, ℟. Et vias peccatórum diſperdet. *Pſal.* 145. 9.

AD NONAM.

Ant. Laudent.

Capitul. 1. Tim. 2. 15.

SAlvábitur per filiórum generatiónem, ſi permánſerit in fide, & dilectióne, & ſanctificatióne, cum ſobrietáte.

℟. *br.* Vídeas bona Jerúſalem * Omnibus diébus vitæ tuæ. *Rep.* Vídeas. ℣. Et vídeas fílios filiórum tuórum. * Omnibus. *Pſalm.* 127. 6. ℣. Glória. *Repet.* Vídeas.

℣. Exultavérunt fíliæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſalm.* 96. 8.

AD II. VESPERAS.

Ant. Fallax, *cum cæteris de Laudibus.*

Capitulum. 1. Petr. 3. 1.

MUlieres subditæ sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversatiónem sine verbo lucrifiant.

Hymnus, Adeste, *ut supr. ad pr. Vesperas.*

℣. Benedicat tibi Dóminus ex Sion, ℟. Et videas bona Jerúsalem. *Ps.* 147. 5.

Ad Magnif. *Ant.* 3. Erat hæc in ómnibus famosissima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. Judith. 8. 8.

Si non sit propria Oratio, dicitur ut suprà ad Laudes.



COMMUNE LECTIONUM PRO FESTIS SANCTORUM,

Quibus propria non assignantur.

Si Festum sit Semiduplex aut Duplex-minus, in I. Nocturno non leguntur Lectiones : in II. de Scriptura occurrente : in III. quarta & quinta sunt prima & secunda Nocturni II. infrà positi ; sexta verò, Evangelium cum Homilia.

Si Festum sit Duplex-majus, aut Solemne-minus aut majus, in I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente ; in II. & III. Nocturno, ut infrà.

Si Festum sit Annuale Patroni, fit omninò ut infrà.

In Festo Annuali PATRONI, aut PATRONÆ, aut etiam plurium Patronorum.

Officium fit de Communi conveniente.

IN I. NOCTURNO.

De libro secundo Machabæórum.

LECTIO I. *Cap.* 15. 7.

Exemplum spei in Deo.

MAchabæus semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum. Et hortabátur suos ne formidárent ad adventum Natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, & nunc sperárent ab Omnipotente sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de Lege & Prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos : & ita ánimis eórum erectis, simul ostendébat Géntium falláciam, & juramentórum prævaricatiónem.

LECTIO II. *v.* 11.

Oratio Oniæ pro omni populo.

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, & exhortatió-

nibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus: Oniam, qui fúerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modéstum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendentem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuisse & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

LECTIO III. *v.* 16.

Fratrum amator.

Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israël; hic est qui multum orat pro pópulo & universa sancta civitáte, Jeremias Prophéta Dei. Extendisse autem Jeremíam déxteram, & dedisse Judæ gládium áureum, dicentem: Accipe sanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israël. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extolli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre & confligere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

Si Festum sit unius Martyris.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Epíscopi.

Serm. 283. *in Nat. Mart. Massil.*

LECTIO IV.

Fortitúdinem sanctórum Mártyrum sic in eórum passióne mirémur, ut grátiam Dómini prædicémus. Neque enim & illi in seipsis laudári voluérunt, sed in illo cui dícitur: In Dómino laudábitur ánima mea. Hoc qui intélligunt, non supérbiunt: cum tremóre petunt, cum gáudio accipiunt: persevérant, jam non amittunt. Quia enim non supérbiunt, mites sunt. Et ídeò cùm dixisset: In Dómino laudábitur ánima mea; áddidit: Audiant mites, & jucundentur. Quid caro infírma, quid vermis & putrédo esset, nisi quod cantávimus verum esset: Deo subjiciétur ánima mea, quóniam ab ipso est patiéntia mea? Etenim ut mala ómnia pro fide Mártyres toleráreut, virtus eórum patiéntia nominátur.

LECTIO V.

Duo sunt enim quæ in peccáta hómines aut illiciunt, aut impellunt; volúptas, aut do-

lor : voluptas íllicit, dolor impellit. Contra voluptátes necessária est continéntia ; contra dolóres patiéntia. Hoc enim modo suggéritur humánæ menti ut peccet. Aliquando dícitur : Fac, & hoc habébis ; aliquando autem : Fac, ne hoc patiáris. Voluptátem præcédit promíssio, dolórem comminátio. Ut ergo hábeant hómines voluptátem, vel non patiantur dolórem, peccant. Ideo Deus contra ista duo, quorum est unum in blanda promissióne, álterum in terríbili comminatióne ; & promíttere dignátus est, & terrére : promíttere regnum cœlórum, terrére de suppliciis inferórum. Dulcis est voluptas, sed dúlcior Deus. Malus est dolor temporális, sed pejor est ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amóribus, imò pro immundis amóribus. Habes quod tímeas pro mundi terróribus. Sed parum est monéri, nisi impetres adjuvári. Præsens ergo psalmus quem cantávimus, dócuit nos à Deo útique esse patiéntiam nostram contra dolóres. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

LECT. VI. *Long. post præd.*

DIcite quod séquitur : Deus adjútor est. Hunc adjutórem, ut vínceret, beátus Martyr hábuit, quem mirámur, cujus solemnitátem hódie celebrámus. Sine illo non vínceret. Et si dolóres vínceret, diábolum non vínceret. Aliquando enim victi à diábolo, vincunt dolóres ; non habentes patiéntiam, sed durítiam. Ille ergo adjútor áffuit, ut donáret ei veram fidem, fáceret ei bonam causam, & pro bona causa donáret patiéntiam. Tunc enim est patiéntia, quando præcédit bona causa. Non enim & ipsam fidem álius quàm Deus donat. Bréviter utrumque commendávit Apóstolus ; & causam pro qua patiámur, & patiéntiam quâ mala perferámus, à Deo nobis esse : exhortans enim Mártyres, ait : Quia vobis donátum est pro Christo ; ecce causa bona : Non solùm ut credátis in eum, sed étiam ut patiámini pro eo ; hæc est vera patiéntia.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *Cap. 4.*

SEmper enim nos qui vívimus, in mortem

trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum; & nos crédimus, propter quod & lóquimur: scientes, quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, & constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne, abundet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpátur: tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

LECTIO VIII.

Cap. 4. & 5.

ID enim quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis: non contemplántibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporália sunt; quæ autem non videntur, ætérna sunt. Scimus enim, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti; eò quòd nólumus expoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, à vita.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap. 10.*

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Epist. 56. de Exhort. mart. ad Thibaritanos.

SIt ante óculos, fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, & qui ventúrus est & judicatúrus, jam judícii sui & cognitiónis futúræ senténtiam protúlerit, prænúntians, & contestans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, & negatúrum negantes. Neque áliquis persecutiónis

metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus & præceptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius, & minátur; sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso præmonente & dicente: Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; magis autem metúite eum, qui potest & corpus & ánimam occídere in gehennam. Et íterum: Qui amat ánimam suam, perdet illam; & qui odit ánimam suam in isto século, in vitam ætemam conservábit illam. Ecce agon sublímis & magnus, & corónæ cœlestis præmio gloriósus. Præliantes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est glóriæ dignitas, quanta felícitas, præsente Deo congredi, & Christo júdice coronári!

Si Festum sit plur. Martyr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

erm. 335. in Nat. Mart.

LECTIO IV.

Quóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótius áliquid delectet nos dícere nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem: Quis nos separábit à charitáte Christi? (Ista vox est Mártyrum.) Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an periculum, an gládius? sicut scriptum est: Propter te mortę afficimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere; illum dilígere, qui glorificátur in suis: ut, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

LECTIO V.

Nóverant & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, & exultáte justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda: primò vincendæ sunt delectatiónes, & pósteà dolóres. Quómodo potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blanditur hic mundus, polli-

cendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus, intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodo superáre potest quod minátur?

LECTIO VI.

HAbent delectatiónem suam divítiæ: quis nésciat? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis artículus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ & justítia; & non possis habére utrumque; sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ: modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantasti: Lætámini in Dómino, & exultáte justi; modò videámus si non sine causa audisti: Quis nos separábit à charitáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus, & te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat: illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum, timórem mortis, & hostem sævíssimum.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO VII. Cap. 8.

FRatres, debitóres sumus non carni, ut secúndùm carnem vivámus. Si enim secúndùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spíritum servitútis íterùm in timóre: sed accepistis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim spíritus testimónium reddit spirítui nostro quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi: si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exístimo enim quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspectat.

LECTIO VIII.

SCimus autem quóniam diligéntibus

Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit conformes fieri imáginis Filii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap. 6.*

IN illo témpore, Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 1. Off. Cap. 15. & 16.

NOn potest quis præmium accípere, nisi legítimè certáverit: nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laboriósa certámina. Nonne injustus est, qui antè quærat præmium quàm certámen fúerit absolútum? Ideóque Dóminus in Evangélio ait: Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum: beáti estis cùm vobis maledícent hómines, & persequentur, & dicent omne malum adversùm vos propter justítiam; gaudéte & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlo. Futúram, non præsentem; in cœlo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi poscis, quod álibi debétur? quid præpróperè corónam éxigis, antequam vincas? quid detérgere púlverem? quid requiéscere cupis? quid epulári gestis, ántequam stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; & tu jam ótium petis? Sed fortè dicas: Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi

non meum laborant? Quóniam qui non fubscrípferint ad corónam, non tenentur ad labórem certáminis: qui in ftádium non descénderint, non fe perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expéctat injúria. Unguentáti spectáre folent, non decertáre; non folem, æstus, púlverem, imbrefque pérpeti. Dicant ergo & ipsis athlétæ: Veníte, nobiscum laboráre. Sed respondébunt spectatóres: Nos hìc ínterim de vobis judicámus; vos autem fine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

Si Festum sit Pontificis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Gregórii Papæ, de cura pastoráli.

Part. 1. Cap. 9. & 10.

LECTIO IV.

CUm curam pópuli electus Præful fuscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt; qua præsumptióne percussum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exemplum bene vivendi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola interna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repugnat spíritus. Qui ad aliéna cupienda non dúcitur; sed própria largítur. Qui per pietátis víscera citiùs ad ignoscéndum fléctitur; sed nunquam plus quàm déceat ignoscens, ab arce rectitúdinis inclinátur.

LECTIO V.

QUi nulla illícita perpetrat, sed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex afféctu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, sicque in bonis próximi sicut in suis proféctibus lætátur. Qui ita se imitábilem céteris, in cunctis quæ agit, insinuat; ut inter eos non hábeat, quod saltem de transactis erubéscat. Qui sic studet vívere, ut proximórum quoque corda aréntia doctrínæ váleat fluentis irrigáre. Qui oratiónis usu & experimento jam dídicit quòd obtinére à Dómino quæ popóscerit, possit; cui prophética voce jam quasi speciáliter dícitur: Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.

LECTIO VI.

Cap. 11.

SI enim fortasse quis véniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quémpiam virum, qui sibi irátus, nobis verò est incógnitus, ducat; prótinus respondémus: Ad intercedendum veníre non póssumus, quia familiaritátis ejus notítiam non habémus. Si ergo homo apud hóminem, de quo minimè præsúmit, fieri intercessor erubescit; quâ mente apud Deum intercessiónis locum pro pópulo árripit, qui familiárem se ejus grátiæ esse per vitæ méritum nescit? Aut ab eo, quómodo áliis véniam póstulat, qui utrum sibi sit placátus ignórat? Qua in re adhuc áliud est sollicítiùs formidandum; ne qui placáre iram posse créditur, hanc ipse ex próprio reátu mereátur. Cuncti enim líquidò nóvimus, quia cùm is qui dísplicet, ad intercedendum míttitur, iráti ánimus ad deterióra provocátur.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola ad Titum.

LECTIO VII.

Cap. 1.

OPortet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, & seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri grátiâ.

LECTIO VIII.

Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia: Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas; súbditas viris suis, ut non blasphemétur ver-

bum Dei : Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX.

Cap. 24.

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. Cap. 26.

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse sciérémus, vigiláre nos Dóminus propter adventum furis admónuit, & oratiónum assiduitáte detentos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahenda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum dómibus insidiantem; ut ea incuriósis nobis & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos igitur esse nos convenit: quia diéi ignorátio intentam sollicitúdinem suspensæ expectatiónis exágitat. Quis namque est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam? Quanquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur; speciálem tamen pópuli princípibus, id est, episcopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudentem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curantem. Qui si dicto áudiens, & præceptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte & veritáte infirma confírmet, disrupta consólidet, depraváta convertat, & verbum vitæ in æternitátis cibum alendæ famíliæ dispendat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendátur: glóriam à Dómino tamquam dispensátor fidélis, & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona constituétur; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà, quod mélius sit. Tu autem.

Si Festum sit Sancti non Pontificis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. *Cap.* 16.

LECTIO IV.

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, fallácia demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu à juvénibus scitur, hæc à púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt; hanc qui nésciunt, subjecti & tímidi in áliis mirantur: quia ab eis hæc eádem duplícitas iniquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis perversitas, urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplíciùs réddere; cùm vires suppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

LECTIO V.

AT contrà, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratìs exhibére, mala libentiùs toleráre quàm fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur: quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur: & quidquid in ópere véritas appróbat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stultius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere; nil cállidâ machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere; pro maledicéntibus oráre; paupertátem quærere; possessa relínquere; rapienti non resístere; percutienti maxillam álteram præbére?

Post pauca. Cap. 16. & 17.

LECTIO VI.

QUæ nimírum justi simplícitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinus subinfertur: Lampas contempta apud cogitatiónes divitum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque, qui ad æternam se-

licitátem dúcitur, contínuâ hic adverſitáte deprimátur; non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem oſtendat, nulla ei obſequéntium frequéntia ſuppetat, nulla hunc humánis óculis véſtium pompa compónat: à cunctis verò deſpicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indignus æſtimátur: ſed tamen ante occulti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruſcat; honorári métuit, déſpici non réfugit; corpus continéntiâ ámicit, ſolâ in ánimo dilectióne pingueſcit: mentem ſemper ad patiéntiam præparat, & erectus pro juſtítia de perceptis contuméliis exultat; afflictis ex corde compátitur; de bonórum proſperitátibus quaſi de própriis lætátur; ſacri verbi pábula in mente ſollícitus rúminat; & inquiſítus quódlibet, éloqui dupliciter ignórat.

IN III. NOCTURNO.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio VII. *Cap.* 4.

Juſtus ſi morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis eſt, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem ſunt ſenſus hóminis, & ætas ſenectútis vita immaculáta. Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatóres tranſlátus eſt. Raptus eſt, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Faſcinátio enim nugacitátis obſcúrat bona, & inconſtántia concupiſcéntiæ tranſvertit ſenſum ſine malítia. Conſummátus in brevi explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Lectio VIII.

Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpectus in electos illíus. Condemnat autem juſtus mórtuus vivos ímpios, & juventus celérius conſummáta, longam vitam injuſti. Vidébunt enim finem ſapientis, & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare muníerit illum Dóminus. Vidébunt, & contemnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt poſt hæc decidentes ſine honóre, & in contumélia inter mórtuos in perpétuum: quó-

niam disrumpet illos inflátos sine voce, & commovébit illos à fundaméntis; & usque ad suprémum desolabuntur.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

Lectio IX. *Cap.* 12.

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Hom. 13.

Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcíngimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insudáre, prótinùs ádditur: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Duo autem sunt quæ jubentur, & lumbos restríngere, & lucernas tenére; ut & mundítia sit castitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinamenta non déserit: aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exercet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte.

Si Festum sit Virginis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de disciplina & hábitu Vírginum.

Paulò post init.

Lectio IV.

Nunc nobis ad Vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptum; Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris glorióssa fecúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas nú-

mero suo addit, tantò plus gáudium matris augéscit.

LECTIO V.

AD has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm potestáte: non quòd extrémi, & mínimi, & humilitátis nostræ ádmodum cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque enim inánis hæc cáutio est, & vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ domínica & vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, & à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne, quàm mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno præmio destinátum: nec ornári jam, aut placére cuiquam, nisi Dómino suo, stúdeant, à quo & mercédem virginitátis expectant, dicente ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

LECTIO VI.

DEnuo quoque per hanc Angeli vocem, continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; virgines enim permansérunt: hi sunt qui sequúntur Agnum quocumque íerit. Neque enim tantum másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromíttit, & féminas prætérit; sed quóniam fémina viri pórtio est, & ex eo sumpta atque formáta est; in scriptúris ferè ómnibus ad protoplastum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significátur & fémina. Quòd si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu, & cum ornamentis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offendunt?

IN III. NOCTURNO.

De Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Corínthios.

LECTIO VII. *Cap. 7.*

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem,

uxórem , non peccaſti. Et ſi núpſerit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico , fratres : tempus breve eſt : réliquum eſt, ut & qui habent uxóres, tamquam non habentes ſint : & qui flent , tamquam non flentes : & qui gaudent , tamquam non gaudentes : & qui emunt, tamquam non poſſidentes : & qui utuntur hoc mundo , tamquam non utantur ; prætérit enim figúra hujus mundi.

LECTIO VIII.

Volo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt , quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodo pláceat uxóri : & diviſus eſt. Et múlier innupta & virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt , cógitat quæ ſunt mundi , quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem veſtram dico : non ut láqueum vobis injíciam, ſed ad id quod honeſtum eſt , & quod facultátem præbeat ſine impedimento Dóminum obſecrandi.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 25.

In illo témpore , Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus , quæ accipientes lámpades ſuas , exiérunt óbviam ſponſo & ſponſæ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 12.

Omnes lámpades habent , ſed omnes óleum non habent ; quia plerumque bona in ſe ópera cum electis & réprobi oſtendunt : ſed ſoli ad ſponſum cum oleo véniunt , quia de his quæ foris égerint , intùs glóriam requírunt. Unde per Pſalmiſtam quoque de ſancta Electórum Eccléſia dícitur : Omnis glória ejus filiæ regis ab intùs. Moram autem faciente ſponſo , dormitavérunt omnes & dormiérunt : quia dum veníre judex ad extrémum judícium differt , electi & réprobi in mortis ſomno ſopiuntur. De adventu ſponſi clamor in média nocte fit : quia ſic dies judícii ſurrépit , ut prævidéri non váleat quando venit. Unde ſcriptum eſt : Dies Dómini ſicut fur in nocte , ita véniet. Tunc

omnes vírgines surgunt: quia & electi & réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus foris apparuérunt, in adventu júdicis intùs obscurantur: & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

Si Festum sit sanctæ Mulieris aut Viduæ.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Víduis.

Sub finem.

LECTIO IV.

Ut ad grátiam virtútis víduas adhortámur, ita étiam ad ecclesiásticam disciplínam féminas provocámus, quia Ecclésia constat ex ómnibus. Divérsis virtútibus merces divérsa propósita est: nec áliud reprehénditur, ut áliud prædicétur; sed ómnia prædicantur, ut quæ melióra sunt præferantur. Honorábile ígitur conjúgium, sed honorabílior intégritas: nam & qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; & qui non jungit, m[...] lius facit. Quod ígi[...] bonum, non vitand[...] est; & quod est mélio[...] eligendum est. Itaq[...] non impónitur, sed p[...] pónitur. Et ídeo be[...] Apóstolus dicit: De vi[...] gínibus præceptum D[...] mini non hábeo, con[...] lium autem do.

Long. post præd.

LECTIO V.

Sed nec vídua præ[...] ptum áccipit, sed co[...] sílium; consílium aut[...] non semel datum, [...] sæpe repetítum. Nam primò dixit, Bonum [...] enim mulíerem non t[...] gere; & iterùm, Ve[...] sic omnes hómines e[...] sicut & meipsum; & t[...] tiò, Bonum est illi[...] sic máneant sicut & eg[...] & quartò, Bonum propter instantem ne[...] cessitátem: & hoc pla[...] Dómino, & hoc h[...] stum esse: postrémò [...] tiórem esse in vídui[...] perseverantem, non tùm suo consílio, étiam Dei spíritu de[...] vit. Quænam ígitur consiliárii benígnit[...] recúset, qui & volu[...] habénas indúlgeat, [...] suádeat áliis, quod i[...] expertus útile judicá[...] non fácilis comprehe[...] nec fastidiósus æqu[...] Quæ ígitur refúgiat

cta fieri córpore & spíritu; cùm supra labórem sit præmium, supra usum grátia, supra opus merces?

LECTIO VI.

Atque hoc ita dico, non ut láqueum cæteris injíciam, sed ut commissi mihi ruris operárius, agrum hunc Ecclésiæ fértilem cernam, nunc integritátis flore vernantem, nunc viduitátis gravitáte pollentem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundantem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortórum lília, quantæ aristæ ségetum, méssium spicæ, compluriumque spátia campórum recipiendis aptantur semínibus, quàm rédditis nováles frúctibus feriantur. Bona ergo vidúitas quæ tóties apostólico judício prædicátur: hæc enim magistra fidei, magistra est castitátis.

IN III. NOCTURNO.

De Parábolis Salomónis.

LECTIO VII. *Cap.* 31.

Mulíerem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam doméstícis suis, & cibária ancillis suis. Considerávit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

LECTIO VIII.

Gustávit, & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi, byssus & púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit, & cíngulũ trádidit Chananæo.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

LECTIO IX. *Cap.* 13.

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile

est regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

In Evang. Homil. 11.

Cœlórum regnum, fratres charissimi, idcirco terrénis rebus símile dicitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exemplo visibílium se ad invisibília rápiat, & per ea quæ usu dídicit, quasi confricátus incalescat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat & incógnita amáre. Ecce enim regnum cœlórum thesauro abscóndito in agro comparátur: quem qui invénit homo, abscondit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Qua in re hoc quoque notandum est, quòd inventus thesaurus abscónditur, ut servétur; quia stúdium cœlestis desidérii à malignis spíritibus custodíre non súfficit, qui hoc & ab humánis láudibus non abscondit. In præsenti étenim vita quasi in via sumus, quâ ad pátriam pérgimus: maligni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrunculi óbsident. Deprædári ergo desiderat, qui thesaurum públicè portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Videant ópera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est; sed ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occulto: ut & de bono ópere próximis præbeámus exemplum, & tamen per intentiónem qua soli Deo placére quærimus, semper optémus secrétum.

Si Festum Patroni venerit tempore Paschali, Lectio prima erit ea quæ secunda, cui tertia adjungetur, cum titulo: De Libro secundo Machabæórum. *Secunda erit prima de secundo Nocturno. Tertia verò Evangelium cum Homilia.* ℟℟. *sumentur ex Nocturno de Communi occurrente secundùm Feriam. Ad Nocturnum dicentur tres Antiph. cum tribus Psalmis, ut notatur in Proprio de Tempore pro die occurrente.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM

Semiduplex.

Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.

Ad Officium Nocturn. tres Ant. ℣. & ℟℟℟. de Nocturno diei secundùm Feriam occurrentem. Lectio I. & II. de Scriptura occurrente. Fit una ex j. & ij. Lectio III. ut infrà pro qualibet die.

Ad Laudes, dicuntur Psalmi Feriæ cum Cantico de Festis sub unica Antiphon. quæ est quarta Laudum.

Ad Vesperas, Psalmi Feriæ sub unica Ant. quæ est prima de Laudibus.

Dominicâ intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica ut in Psalterio, incipiendo à j. Vesperis quæ erunt integræ de Sabbato ante Dominicam occurrentem, cum commemoratione Octavæ in utriusque Vesperis & Laudibus.

SECUNDA DIE.

Sermo sancti Gregórii Nisséni Epíscopi.

Orat. de sancto Theodoro.

CONsideráte, hujus puri cultûs ministri studiósi, quanta res sit justus, quámque multas consequátur remuneratiónes: & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium, & aspiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ita præ cæteris honorantur. Cui regum talis honor habétur? quis est ex iis, qui supra modum inter hómines excéllere visi sunt, qui tali memóriâ celebrétur? Quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras subegérunt, ádeò decantátus & famâ celebrátus est?

TERTIA DIE.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Ep. 22. ad Marcel. sororem.

GRátias tibi, Dómine Jesu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum spíritus excitasti, quo Ecclésia tua sancta præsídia majóra desíderat. Agnoscant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo: hoc est, non séculi mílites, sed mílites Christi. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum quò majóra, eò tutióra patrocínia sunt. Horum étiam illis ipsis, qui mihi eos ínvident, opto præsídia. Véniant ergo & vídeant stipatóres meos; tálibus me armis ambíri non nego. Nos etsi eos vidére non póssumus, sentímus tamen.

QUARTA DIE.

Sermo sancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

DIcis in libello tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póssumus: postquam autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudienda orátio. Si Apóstoli & Mártyres adhuc in córpore constitúti, possunt oráre pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti: quantò magis, post corónas, victórias & triumphos! Unus homo Móyses sexcentis míllibus armatórum ímpetrat à Deo véniam: & Stéphanus imitátor Dómini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: & postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Sermo S. Basílii Epíscopi.

Orat. in 40. Martyres.

PArátum est hìc Christiánis auxílium, Ecclésia vidélicet Mártyrum, exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit: qui rursùs lætátur, ad hos occurrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hic múlier orans pro fíliis audítur; peregrinanti viro réditum incólumem, ægrotanti verò salútem implórat. O sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes géneris humáni custódes! óptimi curárum sócii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentíssimi, astra mundi, flores Ecclesiárum! Vos non terra contexit, sed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo sancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epist. 1. ad Corinth. c. 32. 33. sec. 1.

II gloriam & amplitúdinem consecúti sunt non per seipsos aut ópera sua, aut justas actiónes quas fecérunt, sed per voluntátem Dei. Et nos ígitur ex voluntáte illíus in Christo Jesu vocáti, non per nosipsos justi effícimur, neque per sapiéntiam nostram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis sanctitáte operáti sumus; sed per fidem, per quam cunctos, qui unquam justi fuérunt, justificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? cessabimus à bonis opéribus,

& charitátem derelinquémus ? néutiquam hoc à nobis fieri permittat Dóminus : sed cum diligéntia & alacritáte festinémus omne opus bonum perficere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes justi. Et ipse Dóminus cùm se opéribus decorasset, gavísus est. Habentes ítaque hoc exemplar, ímpigrè ad voluntátem ejus accedámus ; ex totis víribus nostris operémur opus justítiæ.

SEPTIMA DIE.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 1. in Ep. 15. Joann.

JOannes quid dixit ? Et si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jesum Christum. Sed dicit áliquis : Ergo Sancti non petunt pro nobis ? Ergo Epíscopi vel Præpósiti non petunt pro pópulo ? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpósiti commendant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi : Orantes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe : orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres, sed & vos oráte pro nobis : ínvicem pro se ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpellet.

Ad Vesperas, omnia ut in primis Vesperis Festi.

IN OCTAVA.

Duplex-majus.

Officium ut in die, exceptis quæ sequuntur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

LECTIO IV.

In Vigilia SS. Petri & Pauli.

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter consideráre debémus : auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim dum hìc víveret, misertus est peccatóribus, & orávit pro eis : nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem : quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, sed augmentávit : neque enim quia impassíbilis omnínò, ídeò & incompassíbilis factus est.

LECTIO V.

DEbémus étiam atténdere exemplum ejus, quia quámdiù in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non

declinávit ad déxteram, neque ad sinistram, sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego sum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodò tam verbo, quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.

LECTIO VI.

SEd & diligentióri intúitu confusiónem nostram inspiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed & impossíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt, qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo in Sanctórum festivitátibus & gaudére & confundi debémus: gaudére, quia Patrónos præmísimus; confundi, quia eos imitári non póssumus.

IN III. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

LECTIO VII. Cap. 5. 6.

VIdi, & ecce in médio throni, & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem, tamquam occísum, habentem cornua septem, & óculos septem; qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedentis in throno librum. Et cum aperuísset librum, quátuor animália, & viginti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habentes singuli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum: & cantábant cánticum novum.

Si fuerit Dominica, legitur pro VIII. Lectione Evangelium & Homilia Festi, & pro IX. Lectione, Evangelium & Homilia Dominicæ occurrentis.

LECTIO VIII. Cap. 8. 2.

VIdi septem Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ. Et álius Angelus venit, & stetit ante altáre, habens thurí-

áureum : & data
li incensa multa ,
et de oratiónibus
rum ómnium su-
áre áureum, quod
te thronum Dei.
ndit fumus incen-
le oratiónibus San-
. de manu Angeli
Deo. Et accépit
is thuríbulum , &
it illud de igne al-
& misit in terram ,
a sunt tonítrua, &
& fúlgura , & ter-
us magnus.
sancti Evangélii se-
ndùm Lucam.
IX. *Cap.* 11: 5.
perseverans omnia impetrat.
llo témpore ; Di-
esus discípulis suis:
vestrûm habébit
n , & ibit ad il-
édiâ nocte , & di-
. : Amíce , cóm-
mihi tres panes.
qua.
lia sancti Basílii
Epíscopi.
ut. Monast. Cap. 1.
Oc exemplum id-
ircò nobis propó-
Dómino , ut in
res ac pertináces
esse nos dóceat. Exemplum ab hómine ad álium hóminem sumit , ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à suscepto propósito desístere, ut vidélicet quandocumque áliquid petíeris , neque impetráveris, támdiu persevéres, quoad ímpetres , si tamen ea petas , quæ voluntáti Dei non repugnent. Neque díxeris : Peccátor sum , & proptérea non exáudior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi causam omnem præcíderet , illud adjécit : Etsi non dabit illi surgens , eò quòd amícus ejus sit , propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet necessários. At sæpe petívi , neque impetrávi : prorsùs, quia non rectè petivisti , vidélicet aut dubitabundus , aut áliud agens , aut quæ tibi utília non erant futúra. Quòd si & quæ tibi erant utília sæpe petiisti , at non perseveràntiam adhibuisti : scriptum est enim : Qui perseveráverit usque in finem , hic salvus erit.



OFFICIUM B. MARIÆ
IN SABBATO,
Et in Festis ejusdem quæ non habent Officium proprium.

Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadragesimâ, Vigiliis cujuscumque Festi, inter Octavas, & nisi occurrat Festum Semiduplex aut suprà, ac nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Quatuor Tempora, vel propter Officium alicujus Dominicæ quod eo die ponendum est, fit Officium de sancta Maria, incipiendo à Vesperis Feriæ sextæ præcedentis, & terminatur ad Nonam.

Psalmi de Feria per totum Officium.

FERIA SEXTA.

AD VESPERAS.

Ritu Semiduplici.

Ant. 7. *d.* Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60. 2.

Ant. 1. f. Ex te egrediétur, qui sit Dominátor in Israël. *Mic.* 5. 2.

Ant. 8. G. In te benedicentur universæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

Ant. 3. a. Vidébunt gentes justum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum. *Is.* 61. 2.

Ant. 5. a. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Is.* 62. 3.

Capitulum. Bar. 5. 1. 2.

Indue te decóre, & honóre ejus quæ à Deo tibi est sempiternæ glóriæ. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ, & impónet mitram cápiti honóris æterni.

Cùm sit de Festo Duplici aut suprà, dicitur sequens

℟. Deus ostendet splendórem suum in te omni qui sub cœlo est; * Nominábitur tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum, † Pax justítiæ, & honor pietátis. *Bar.* 5. 3. 4. ℣. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1. 35. * Nominábitur.

℣. Glória. † Pax justítiæ.

Hymnus.

AVE, maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Evæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis:
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Concupiscet Rex decórem tuum, ℟. Quia ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44. 12.

Ad Magnif. *Ant.* 7. G. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsa terra. *Judith.* 10. 21.

Oratio, Concéde nos, *ut infrà in Laudibus.*

Quoties Vesperæ dictæ sunt de Beata, toties

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

VIRGINEIS títulis quæ matris jungit honóres,
Hâc natos fóveat nocte benigna suos.

FULGIDA stella maris, secli dum mérgimur undis,
Sit lux in ténebris, & bene fida quies.

SI sopor obrépit, casti fac Mater amóris,
Cor vígilans uno spiret amóre Dei.

VIRGO Dei génitrix, própiùs res áspice nostras;
Dicáris pópuli vita salusque tui.

GLORIA summa Patri, compar sit glória Nato,
Par tibi laus, Flamen, quo pia Virgo parit.
Amen.

Capitulum. Is. 60. 20.

NOn óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur, quia erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, &c.

℣. Custódi nos, &c.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 7. d. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus;

sed à perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa & benedicta.

Non dicuntur preces.

Oratio.

DEus, qui in sinu Vírginis Matris tuæ castíssimæ requiéscere dignátus es: da nobis, ipsâ intercedente, ut inimíci per noctem devitémus insídias, & tu sis nostra quies & tutum præsídium; Qui vivis.

AD OFFICIUM NOCT.

Ritu Simplici.

Invitatorium. Ave, María, grátiâ plena; * Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28.

Ps. Veníte.

Hymnus.

NObis Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima,
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benigna Fílio.

Novi simul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Columba pacis núntia,
Et pacis obses mitteris.

Quo vivis, à te súscipit
Vitam, Creátor ómnium;
Immensus in te cláuditur;
De te fit Æternus, caro.

Tuis tenétur légibus,
Mundi tremendus Légifer;
A te puer lac mútuat,
Qui dat cibum quo pásceris.

Coelum ferentem [...]stines,
Gressus Tonantis témperas;
Subque stantem Númine,
Loco. sitúque dímoves.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Mensibus Januario, Aprili, Junio, & Septembri, dicitur hoc I. Noct.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44. 2.

Ant. 6. C. Benedicentur in te omnes tribus terræ. *Gen.* 28. 14.

Ant. 4. a. Venit lumen tuum, & glória Dómini super te orta est. *Is.* 60. 1.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus; ℟. Et adorábunt eum. *Ps.* 44. 12.

℟. *j.* Manus Dómini confortávit te, * Et ídeò eris benedicta in ætérnum. *Judith.* 15. 11. ℣. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45. * Et.

℟. *ij.* Tu honorificéntia pópuli nostri, quia fecísti viríliter, & confortátum est cor tuum, * Eò quòd castitátem

amáveris. *Judith.* 15. 10. 11. ℣. Missus est Angelus Gábriel à Deo. *Luc.* 1. 26. * Eò quòd.

℟. *iij.* In omni gente quæ audíerit nomen tuum, * Magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13. 31. ℣. Ubicumque prædicátum fúerit Evangélium. *Marc.* 14. 9. * Magnificábitur. ℣. Glória. * Magnificábitur.

Mensibus Februario, Julio, & Octobri, dicitur hoc secundum Nocturn.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3. g. Non vocáberis ultrà derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 4.

Ant. 2. D. In sécula seculórum luce spléndidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. 7. d. Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith.* 13. 31.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Psal.* 86. 3.

℟. *iv.* Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelso, * Præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23. ℣. Ne tímeas, María: Invenísti enim grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 30. * Præ ómnibus.

℟. *v.* Multæ fíliæ congregavérunt divítias; * Tu supergressa es universas. *Prov.* 31. 29. ℣. Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28. * Tu supergressa.

℟. *vj.* Non pepercisti ánimæ tuæ propter angústias & tribulatiónem géneris tui, * Subvenisti ruínæ † Ante conspectum Dei nostri. *Judith.* 13. 25. ℣. Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo; dispersit superbos mente cordis sui. *Luc.* 1. 51. * Subvenisti. ℣. Glória. † Ante.

Mensibus Martio, Maio, Augusto, & Novembri, dicitur hoc tertium Nocturnum: etiam Decembri ante Adventum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Quàm pulchra es! Oculi tui columbárum. *Cant.* 4. 1.

Ant. 4. E. Sicut vitta coccínea, lábia tua; & elóquium tuum dulce. *Ibid.* 4. 3.

Ant. 5. a. Odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. *Ibid.* 4. 10.

℣. Pulchritúdine tuâ inténde, ℟. Prósperè procéde, & regna. *Ps.* 44. 4.

℟. *vij.* Benedixit te Dóminus in virtúte sua; * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. *Judith.* 13. 22. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fru-

ctus ventris tui. *Luc.* 1. 42. * Quia.

℟. *viij.* Benedictus Dóminus qui creávit cœlum & terram; * Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 24. 25. ℣. Respexit Dóminus humilitátem ancillæ suæ. *Luc.* 1. 48. * Quia.

℟. *ix.* Meménto diérum humilitátis tuæ, * Et tu ínvoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, † Et líbera nos de morte. *Esther.* 15. 2. 3. ℣. Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 37. * Et tu. ℣. Glória. † Et líbera.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus, ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66. 6. 7.

Ant. 6. F. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15. 10.

Ant. 8. c. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

Ant. 1. g. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13. 18.

Ant. 4. A. Erit.

Canticum Judith. 13. 17.

LAudáte Deum nostrum, * qui non deseruit sperantes in se.

Et in me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, * quam promisit dómui Israël.

Et interfécit in manu mea * hostem pópuli su

Vivit autem ipse Dóminus, * quóniam custodívit me Angelus ejus:

Et hinc euntem, & i commorantem, * & ind huc reverténtem.

Et non permísit m Dóminus * ancilla suam coinquinári.

Sed sine pollutióne re cávit me * v bis gaudentem,

In victória sua, evasióne mea, * & in liberatióne vestra.

Glória Patri, &c.

Ant. Erit tibi D minus in lucem sem ternam, & Deus tuus glóriam tuam. *Is.* 60. 1

Ant. 7. *d.* Quàm p chra es, & quàm decó in delíciis! *Cant.* 7. 6.

Capitulum. Cant. 6.

PUlchra es, suávi & decóra sicut Je salem, terríbilis ut c strórum ácies ordináta

Hymnus.

O Quæ polo sub mior,
Regína cœli díceris,
Nos è supernis sédib
María, clemens áspic
CHRISTUS sibi quos
git

Fratres, adopta filios;
Et matris in nos víscera,
Mitésque vultus índue.
Quid à Deo non óbtines
Supplex tuum per Fílium,
Quem virgináli víctimam
Offers placentem déxterâ?
Confisa tanto pígnori,
Ama favére nóxiis,
A te dato quos sánguine
Tuus redémit Fílius.
Fac, Virgo, nostris cástitas
Intacta regnet córdibus:
Vitæque puræ críminum,
Sit mors beáta términus.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Rex noster operátus est salútem, ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

Ad Benedíctus. *Ant.* 5. E. Benedíctus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13. 24.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére: & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ. Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Tu glória.

Capitul. ut in Psalterio.

℟. Christe, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Tota pulchra.

Capitulum. Judith. 8. 28.

Omnia quæ locúta es, vera sunt, & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio; nunc ergo ora pro nobis.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * Secundùm cor tuum. *Repet.* Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confírmet. * Secundùm. ℣. Glória. *Repet.* Tríbuat. *Ps.* 19. 5.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD SEXTAM.

Ant. Beáti.

Capitulum. Tob. 13. 23.

Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & sit regnum ejus in sécula seculórum super eam.

℟. *br.* Corónat te Dóminus * In misericórdia. *Repet.* Corónat. ℣. Et miseratiónibus. * In misericórdia. ℣. Glória. *Repet.* Corónat. *Psalm.* 102. 4.

℣. Elégit eam Dómi-

nos ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

AD NONAM.

Ant. Quam pulchra es.

Capitulum. Cant. 4. 11.

FAvus distillans lábia tua, mel & lac sub lingua tua; & odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℟. *br.* Diffúsa est * Grátia in lábiis tuis. *Repet.* Diffúsa. ℣. Benedixit te Deus in ætérnum. * Grátia. ℣. Glória. *Repet.* Diffúsa.

℣. Replet Dóminus in bonis, ℟. Desidérium tuum. *Ps.* 102. 4.

Quando dicuntur secunda Vesperæ, Antiphona, Capitulum, ℣. de Laudibus, Hymnus, Ave, maris stella.

Ad Magnif. *Ant.* & G. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs Sancti: sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio B. Mariæ in Sab.

MENSE APRILI.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri adversùs Joviniánum.

Apolog. ad Pammach.

LECTIO III.

CHristus virgo, mater virginis nostri virgo perm[...] virgo. Jesus enim cla[...] ingressus est óstiis: & [...] sepulcro ejus, quod [...] vum & in petra dur[...] ma fúerat excísum, [...] ántea quis, nec póst[...] situs est. Hortus con[...] sus, fons signátus: [...] quo fonte ille fluvius [...] nat, juxta Joël, qui irri[...] torrentem, vel funium [...] spinárum: funium pe[...] tórum, quibus antè alli[...] bámur: spinárum, [...] suffócant seméntem pa[...] famílias. Hæc est p[...] orientális, ut ait Ezéc[...] semper clausa & lúci[...] opériens in se, vel [...] próferens Sancta San[...] rum, per quam Sol just[...] & Póntifex noster, se[...] dùm órdinem Melch[...] dech, ingréditur & eg[...] tur. Respóndeat mihi [...] modo Jesus ingressus [...] clausis óstiis, cùm [...] pandas manus, & l[...] considerandum, & [...] carnemque monstráv[...] ne véritas córporis ph[...] tasma putarétur: & [...] go respondébo, quóm[...] sancta María sit & m[...] & virgo.

MENSE MAI[O].

Ex Epístola sancti A[...] násii Epíscopi ad E[...] ctétum.

LECTIO III.

HUmánum natúr[...] rat quod ex M[...]

prodiit, secundùm divínas Scriptúras, verumque erat Dómini corpus: verum, inquam, fuit, cùm idem atque nostrum extíterit. Soror étenim nostra est María, omnes quippe ex Adam orti sumus. Nam postquam à mórtuis surrexísset, cùm quidam existimárent se non in córpore ex María génito Dóminum aspícere, sed illíus loco spíritum vidére, dixit ille: Palpáte me, & vidéte, quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére. Non dixit, ut me vidétis carnem & ossa esse: sed, habére: ne ipsummet verbum in res illas transformátum fuisse censerétur; sed illas & ante mortem & post resurrectiónem habére crederétur.

Si occurrat Festum celebrandum in aliqua Ecclesia de Beata Maria, si sit Semiduplex, aut Duplex-minus, non leguntur Lectiones in I. Nocturno.

In II. leguntur de scriptura occurrente: in III. IV. & V. Lectiones erunt duæ Lectiones appositæ pro mensibus. VI. erit Homilia posita inferiùs.

Si Festum celebretur ritu Duplicis-majoris, aut suprà, in I. Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In II. tres Lectiones pro mensibus appositæ.

In III. Nocturno VII. Lectio erit ea quæ est II. in parvo Officio, cui apponetur Titulus, De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *VIII. erit III. ejusdem parvi Officii cui apponetur titulus*, De Apocalypsi beáti Joannis Apóstoli. *IX. erit Homilia.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

LECTIO VI. *aut* IX.
Cap. 11.

In illo témpore, Cùm loquerétur Jesus ad turbas, extollens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri. *Lib.* 4. *C.* 49. *in Luc.* 11.

Extollámus vocem cum Ecclésia Cathólica, cujus hæc múlier typum gessit; extollámus & mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti! Verè enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, Enixa est puérpera Regem qui cœlum terrámque tenet per sǽcula.

Quin immò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt! Pulchrè Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodò quæ Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed & omnes qui idem Verbum spirituáliter audítu fídei concípere, & boni óperis custódiâ, vel in suo, vel in proximórum corde párere, & quasi álere studúerint, asseverans esse beátos: quia & éadem Dei génitrix, & inde quidem beáta, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporális: sed inde multò beátior, quia ejusdem semper amandi custos manébat ætérna.



OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

Non dicitur quoties fit Officium Semiduplex, aut suprà, nec intra Octavas, nec quando Officium diei est de Beata.

Singulæ Horæ hujus Officii dicuntur hoc modo: Officium Nocturnum, Laudes & Vesperæ dicuntur inter Suffragia. Prima, post Primam diei, ante Officium Capituli: Tertia post Benedicámus *Tertiæ; & sic de cæteris Horis.*

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Ave, María, grátiâ plena; * Dóminus tecum. *Luc.* 1. 28.

Ps. Veníte.

Hymnus.

NOBIS Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima,
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benigna Fílio.

NOVI simul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Columba pacis núntia,
Et pacis obses mítteris.

QUO vivis, à te súscipit
Vitam, Creátor ómnium;
Immensus in te cláuditur;
De te fit Æternus, caro.

TUIS tenétur légibus,
Mundi tremendus Légifer,
A te puer lac mútuat,
Qui dat cibum quo pásceris.

COELUM ferentem sústines,
Gressus Tonantis témperas;
Suóque stantem Número,
Loco sitúque dímoves.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

In Festis beatæ Mariæ dicuntur in Nocturnis novem sequentes Psalmi, cum Antiphonis propriis.

In Officio autem parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm ordinem Feriarum, ut infrà notatur.

IN I. NOCTURNO.

Feriâ II. & V.

Ant. sola 1. a. Ave.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus, ℟. Et adorábunt eum. *Ps.* 44. 12.

Pater. *Lectiones infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Feriâ III. & VI.

Ant. sola. 7. d. María.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da, * & justítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & insulæ múnera ófferent ; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi ; * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum : * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper : * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sécula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedictus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum : * & replébitur majestáte ejus omnis terra : Fiat, fiat.

Psalmus 84.

Benedixisti, Dómine, terram tuam, * avertisti captivitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ, * operuisti ómnia peccáta eórum.

Mitigasti omnem iram tuam, * avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis ? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem ?

Deus, tu conversus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timentes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitátem : * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Ant. María, invenísti grátiam apud Deum. *Luc.* 1. 30.

℣. Gloriósa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86. 3.

Pater. *Lectiones infra.*

IN III. NOCTURNO.

Feriâ IV. & Sabbato.

Ant. sola. 8. G. Beáta.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in móntibus sanctis : * diligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum ; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, & homo natus est in ea ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus 96.

Dominus regnávit, exultet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calig
cúitu ejus : * ju
judícium : correcti
ejus.

Ignis ante ipsu
cédet, * & infl
bit in circúitu i
ejus.

Illuxérunt fulg
orbi terræ : * vi
commóta est terr

Montes sicut c
xérunt à fácie Dó
à fácie Dómini
terra.

Annuntiavérunt
justítiam ejus : *
runt omnes pópu
riam ejus.

Confundantur
qui adórant sculp
& qui gloriántur i
lácris suis.

Adoráte eum,
Angeli ejus : * a
& lætáta est Sion.

Et exultavérunt f
dæ, * propter judíc
Dómine.

Quóniam tu D
altíssimus super o
terram : * nimis ex
es super omnes de

Qui dilígitis
num, odíte malu
custódit Dóminus á
sanctórum suórum
manu peccatóris lib
eos.

Lux orta est just
& rectis corde læti

Lætámini, justi,
mino, * & confit

mer

memóriæ sanctificatiónis ejus.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ, * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: moveátur mare & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

℣. Pulchritúdine tuâ intende; ℟. Prósperè procéde, & regna. *Ps.* 44. 4.

Pater noster.

Absolutio.

PRécibus & méritis beátæ Maríæ semper Vírginis, & ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cœlórum.

℟. Amen.

Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Nos cum prole pia, benedícat Virgo María.

℟. Amen.

LECTIO I. *Isaiæ* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portasti Creatórem mundi; * Genuisti qui te

fecit, & in æternum pérmanes virgo. ℣. Benedícta es tu, Filia, à Dómino Deo excelso. * Genuisti.

Benedictio. Vírginis Maríæ Filius, sit nobis adjútor & propítius.

Lectio II. *Gal.* 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio; * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. * Quia.

Benedict. Per Vírginem matrem, concédat nobis Dóminus salútem & pacem.

Lect. III. *Apoc.* 11. & 12.

APertum est templum Dei in cœlo: & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ mótus, & grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amicta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Tu.

℟. Felix es, sacra Virgo María, & omni laude digníssima; * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant tuum juvámen, quicumque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. * Quia. ℣. Glória. * Quia.

Non dicitur Te Deum.

Si Laudes non sequantur, dicitur hìc Oratio, Concéde. *ut infrà, ad Sextam.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum suum. *Psal.* 66. 6. 7.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. sola. 4. A. Erit tibi.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in óm-

; géntibus salutáre
.
›nfiteantur tibi pó-
Deus, * confitean-
ibi pópuli omnes.
etentur & exultent
es, quóniam júdicas
los in æquitáte, *
entes in terra díri-

›nfiteantur tibi pó-
, Deus, confiteantur
›ópuli omnes: * ter-
edit fructum suum.
nedícat nos Deus,
: noster, benedícat
Deus; * & métuant
omnes fines terræ.

Psalmus 92.

Ominus regnávit,
decórem indútus
* indútus est Dómi-
órtitúdinem, & præ-
it se.
enim firmávit orbem
:, * qui non commo-
:ur.
aráta sedes tua ex
: * à sǽculo tu es.
evavérunt flúmina,
ine: * elevavérunt
ina vocem suam.
:levavérunt flúmina
us suos, * à vócibus
rum multárum.
irábiles elatiónes ma-
* mirábilis in altis
inus.
estimónia tua credi-
facta sunt nimis: *
ium tuam decet san-
do, Dómine, in lon-
dinem diérum.

Psalmus 99.

Jubiláte Deo, omnis terra, * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis; * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Cant. *Judith.* 13. 17. Laudáte Deum, *ut in Officio B. Mariæ in Sabbato.*

Psalmus 150.

Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; lau-

dáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60. 14.

Capitulum. Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Hymnus.

O Quæ polo sublímior,
Regína cœli díceris !
Nos è supernis sédibus,
María, clemens áspice.

Christus sibi quos éligit,
Fratres, adopta filios ;
Et matris in nos víscera,
Mitesque vultus índue.

Quid à Deo non óbtines
Supplex tuum per Fílium,
Quem virgináli víctimam
Offers placentem déxterâ ?

Confisa tanto pígnori,
Ama favére nóxiis,
A te dato quos sánguine
Tuus redémit Fílius.

Fac, Virgo, nostris cástitas
Intacta regnet córdibus :
Vitæque puræ críminum,
Sit mors beáta, términus.

Sit laus Patri ; laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Rex noster operátus est salútem, ℟. Tu confregisti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

Ad Bened. *Ant.* ℣. G. Beáta Dei génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritûs Sancti : sola sine exemplo placuisti Dómino nostro Jesu Christo.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti : præsta supplícibus tuis, ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur ; Per eumdem Dóminum.

Fiunt commemorationes.

AD PRIMAM.

Hymnus.

MEmento, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine ;
Nostrî misertus, pérditi
Mundi Redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno réspice :
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Filium.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Psalm. Deus, in nómine. 113. Cantáte .... omnis terra. 46. Laudáte Dóminum. 136. *sub sola Ant.* 6. F. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Isräël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capitulum. Cant. 6. 3.

PUlchra es, suávis, & decóra sicut Jerúsalem; terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. *br.* Misericórdia & véritas * Obviavérunt sibi. *Repet.* Misericórdia. ℣. Justítia & pax osculátæ sunt. * Obviavérunt. ℣. Glória. *Repet.* Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospexit. *Ps.* 84. 11. 12.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Psalm. Ad Dóminum. 68. Levávi. 50. Lætátus sum. 68. *sub sola Ant.* 8. c. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

Capitulum. Judith. 8. 28.

OMnia quæ locúta es, vera sunt, & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio; nunc ergo ora pro nobis.

℟. *br.* Tríbuat tibi Dóminus * Secundùm cor tuum. *Rep.* Tríbuat. ℣. Et omne consílium tuum confírmet. * Secundùm. ℣. Glória. *Rep.* Tríbuat. *Ps.* 19. 5.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix, ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ Virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

AD SEXTAM.

Psalm. Ad te levávi. 87. Nisi quia. 51. Qui confídunt. 87. *sub sola Ant.* 1. g. Beáti omnes qui gaudent super pace tua. *Tob.* 13. 18.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedictus Dóminus qui exaltávit eam, & sit regnum ejus in sé-

cula seculórum super eam.

℟. *br.* Corónat te Dóminus * In misericórdia. *Repet.* Corónat. ℣. Et miseratiónibus. * In misericórdia. ℣. Glória. *Rep.* Corónat. *Ps.* 102. 4.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Oratio.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem.

AD NONAM.

Psalm. In convertendo. 51. Nisi Dóminus. 88. Beáti omnes. 142. *sub sola Ant.* 7. *d.* Quàm pulchra es, & quàm decóra in delíciis! *Cant.* 7. 6.

Capitulum. Cant. 4. 11.

Favus distillans lábia tua, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℟. *br.* Diffúsa est * Grátia in lábiis tuis. *Repet.* Diffúsa. ℣. Benedixit te Deus in ætérnum. * Grátia. ℣. Glória. *Repet.* Diffúsa.

℣. Replet Dóminus in bonis, ℟. Desidérium tuum. *Ps.* 102. 4.

Oratio.

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignosce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem.

AD II. VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium. *Ant. sola.* 2. D. In ancilla.

Psalmus 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis;

Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacerdos in ætérnum secundùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc, nunc, & usque in sǽculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israël, ad confiténdum nómini Dómini:

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit

seras portárum tuárum, *
benedixit filiis tuis in te;
Qui pósuit fines tuos
pacem, * & ádipe frumenti sáriat te;
Qui emíttit elóquium
suum terræ, * velóciter
currit sermo ejus;
Qui dat nivem sicut
lanam, * nébulam sicut
cínerem spargit;
Mittit crystallum suam
sicut buccellas; * ante
fáciem frígoris ejus quis
sustinébit?
Emittet verbum suum,
& liquefáciet ea: * flabit
spíritus ejus, & fluent
aquæ.
Qui annúntiat verbum
suum Jacob, * justítias
& judícia sua Israël;
Non fecit táliter omni
natióni, * & judícia sua
non manifestávit eis.
Ant. In ancilla sua
adimplévit Dóminus misericórdiam
suam quam
promísit dómui Israël. *Judith.* 13. 18.

Capitulum. Eccli. 24. 12.

QUi creávit me, requiévit
in tabernáculo meo; & dixit mihi:
In Jacob inhábita, & in
Israël hæreditáre; & in
eléctis meis mitte radíces.
Et sic in Sion firmáta sum.

Hymnus.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud A
Gabriélis ore,
Funda nos in pac
Mutans Evæ nom
Solve vincla r
Profer lumen cæ
Mala nostra pelle
Bona cuncta posc
Monstra te e
trem;
Sumat per te prec
Qui pro nobis n
Tulit esse tuus.
Virgo singulár
Inter omnes mitis
Nos culpis solútos
Mites fac & cast
Vitam præsta p
Iter para tutum,
Ut videntes Jesu
Semper collætém
Sit laus Deo P
Summo Christo d
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus
℣. Post partum
invioláta perman
℟. Dei génitrix
céde pro nobis.
Ad Magnif. *An*
Sancta María, s
míseris, juva p
mes, réfove flébi
pro pópulo, intérv
clero, intercéde
vóto femíneo sex
tiant omnes tuu
men, quicumque c
tuam sanctam com
ratiónem.

Oratio.

COrdibus n
quæsumus,

ne, grátiam tuam benignus infunde; & intercedente sanctíssimâ Dei genitrice Maríâ, córpora nostra castitáte, & mentes nostras humilitáte & caritáte sanctífica; Per eúdem.

Fiunt commemorationes.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, Deus.
℣. Deus, in adjutórium.

Ps. Sæpè expugnavérunt. 122. De profundis. 88. Dómine, non est exaltátum. 88. *sub sola Ant.* 5. a. In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël. *Judith.* 13. 31.

Hymnus. Virgineis, *ut suprà in Officio B. Mariæ in Sabbato.* pag. lxxxiij.

Capitulum. Judith. 13. 25.

Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. *Rep.* Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Deprecabuntur. ℣. Glória. *Rep.* Vultum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44. 13. 18.

Ad Nunc dimittis. *Ant.* 7. d. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus; sed à perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa & benedícta.

Oratio.

Beátæ & gloriósæ semperque Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per.

Temp. Pasch. additur in Officio parvo Allelúia *semel in fine Invitat. & Ant. & bis* Allelúia *in fine* ℟℟. *etiam br.*

PROSA DE BEATA ad devotionem.

Inviolata, íntegra & casta es, María:
Quæ es effecta fúlgida cœli porta.
O Mater alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint & córpora,
Te nunc flágitant devóta corda & ora.
Tua per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.
O Benigna! O benigna! O benigna!
Quæ sola inviolata permansísti.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix; ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orat. Famulórum. *p.* cij.

PSALMI PŒNITENTIALES.

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè ; * sed tu, Dómine, úsquequò ?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac, propter misericórdiam tuam ;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî :* in inferno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem, * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : *Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubescant valdè velóciter.

Psalmus 31.

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua, * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino ; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verùmtamen in dilúvio

multárum, * ad
approximábunt.
refugium meum
óne quæ cir-
: * exultá-
me à cir-

dabo,
ia hac
* firmá-
óculos meos.
ieri ſicut equus
, * quibus non
ectus.
o & fræno ma-
um conſtringe,*
appróximant ad

flagella pecca-
perantem autem
no miſericórdia
bit.
ini in Dómino,
te, juſti; * &
ir, omnes recti

lmus 37.
ine, ne in furó-
uo árguas me, *
ira tua corri-

am ſagittæ tuæ
nt mihi, * &
ſti ſuper me ma-
m.
t ſánitas in car-
fácie iræ tuæ: *
pax óſſibus meis
eccatórum meó-

iam iniquitátes
rgreſſæ ſunt ca-
m: * & ſicut

onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corruptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum & humiliátus ſum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam:

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut ho-

mo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quoniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimici mei; * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspectu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 50.

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexisti: * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias

tuas ; * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses, sacrificium dedíssem útique ; * holocaustis non delectáberis.

Sacrificium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta ; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam ; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me : * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei ; * & qui laudábant me, adversùm me jurabant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ ; * quia élevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt ; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes ; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miserébeis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus ;

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam ;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundasti: * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; tu autem pérmanes: * & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur; * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Filii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in séculum dirigétur.

Psalmus 129.

De profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 142.

Dómine, exaudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; *

Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sǽculi, & anxiátus est super me spíritus meus : * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis;* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus de dúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Dómine, memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.

Sancta María, Ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.

Sancta Virgo vírginum, ora.

Sancte Míchael, ora.

Sancte Gábriel, ora.

Sancte Ráphael, ora.

Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.

Omnes sancti beatórum

ſpirítuum órdines, oráte.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*) ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancti Nazári & Celſe, oráte pro nobis.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Sebaſtiáne, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Irenæe cum ſóciis tuis, ora.
Sancte Dionyſi cum ſóciis tuis, ora.
Sancti Coſmæ & Damiáne, oráte.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancti Juſte & Paſtor, oráte.
Sancte Saturníne, ora.
Sancte Juſtíne, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Maurici cum ſóciis tuis, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Guimerra, ora.
Sancte Hilári, *Carc.* ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Exúperi, ora.
Sancte Elígi, ora.
Sancte Paule, *Narb.* ora.
Sancte Carole, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Lupíne, ora.
Sancte Guillelme, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Roche, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.

Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Scholástica, ora.
Sancta Mónica, ora.
Sancta Clotildis, ora.
Sancta Bathildis, ora.
Sancta María Ægyptia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, Parce nobis, Dómine.
Propítius esto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea & improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera nos, Dómine.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per adventum tuum, líbera nos, Dómine.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per baptismum & sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem & caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum, & omnes Gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te.
Ut Antístitem nostrum, & omnes congregatió-

nes illi commissas, in tuo sancto obséquio conservâre dignéris, te.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempiterna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum, ab æterna damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem æternam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, [illegible] nos, Dómine.
Agnus Dei, qui [illegible] peccáta mundi, [illegible] rére nobis.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater. [illegible] ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Dómine, non secúndùm peccáta nostra fácias nobis; ℟. Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102. 10.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60. 4.
℣. Orémus pro Pontífice nostro *N.* ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40. 3.
℣. Pro Rege nostro *N.* ℟. Dómine, salvum fac Regem; & exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19. 10.
℣. Pro benefactóribus nostris. ℟. Deus omnem grátiam abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum justítiæ illórum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.
℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.
℣. Pro infirmis, afflictis, captívis, & peregri-

ℓ. Líbera eos, Deus,
nnibus tribulatióni-
ıis. *Ps.* 24. 22.
Pro frátribus nostris
tibus. ℟. Bénefac,
ine, bonis & rectis
. *Ps.* 124. 4.
Memor esto con-
tiónis tuæ, ℟. Quam
listi ab inítio. *Ps.*
.
Dómine, exaudi
ınem meam; ℟. Et
ır meus ad te véniat.
01. 2.
lmus, Deus, in ad-
um. 11. ℣. Dómi-
xaudi, &c. Dómi-
obiscum.
Orémus.
Eus, cui próprium
est miseréri semper,
rcere: súscipe de-
iónem nostram; ut
& omnes fámulos
ıuos delictórum ca-
onstringit, miserá-
æ pietátis clementer
vat.
audi, quæsumus,
ómine, súpplicum
, & confiténtium
ırce peccátis; ut pá-
nobis indulgéntiam
s benignus & pa-

ffábilem nobis, Dó-
ne, misericórdiam
clementer ostende;
ıul nos & à peccá-
nnibus éxuas, & à
quas pro iis me-
, erípias.

Deus, qui culpas delinquéntium districtè feriendo pércutis, fletus quoque lugéntium non recúsas: quæsumus, ut qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus, pietátis tuæ grátiam sentiámus.

Deus, ómnium fidélium pastor & rector, fámulum tuum *N.* quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempiternam.

Omnípotens sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* & dirige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perficiat.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superâre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervenire.

Deus, à quo sancta desidéria, recta con-

sília & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita; &, hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnípotens sempiterne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum:

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Sancta María, Ora pro eo [*vel* ea.]

Omnes sancti Angeli, oráte pro eo.

Sancte Abel, ora.

Omnis chorus Justórum, ora pro eo [*vel* ea.]

Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancti Nazári & Celse, oráte.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora.
Sancta Therésia, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo [*vel* ea.]
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, [*vel* eam] Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, [*vel* eam] Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per Nativitátem tuam, líbera eum, [*vel* eam] Dómine.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Deinde cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur :

PRoficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit : In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est, In nómine Spíritûs sancti qui in te effúsus est : In nómine Angelórum & Archangelórum : In nómine Thronórum & Dominatiónum : In nómine

Principátuum & Poteſtátum : In nómine Chérubim & Séraphim : In nómine Patriarchárum & Prophetárum : In nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum : In nómine ſanctórum Mártyrum & Confeſſórum : In nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum : In nómine ſanctárum Vírginum , & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie ſit in pace locus tuus , & habitátio tua in ſancta Sion ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen. Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens , Deus qui ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles , & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas : réſpice propítius ſuper * hunc fámulum tuum *N.* [*vel* hanc fámulam tuam *N.*] & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem , deprecátus exaudi. Rénova in * eo [*vel* ea] piiſſime Pater , quidquid terrénâ fragilitáte corruptum , vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt : & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annecte. Miſerére , Dómine , gemítuum , miſerére lacrymárum ejus ; & non habentem fidúciam , niſi in tua miſericórdia , ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo , * cariſſime frater [*vel* cariſſima ſoror ;] & ei cujus es creatúra committo : ut cùm humanitátis débitum perſólveris , ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egredienti ítaque ánimæ tuæ de córpore , ſplèndidus Angelórum cœtus occurrat : judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circumdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te complexus aſtringat : mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpectus appáreat , qui te inter aſſiſtentes ſibi júgiter intereſſe decernat. Ignóres omne quod horret in ténebris , quod ſtridet in flammis , quod crúciat in tormentis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis : in adven-

tu tuo, te comitántibus Angelis, contremiscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei: & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur ígitur & erubescant omnes tartáreæ legiónes: & minístri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absolvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præsens semper assistens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. * Constitútus [*vel* Constitúta] ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sécula seculórum. ℟. Amen.

Suscipe, Dómine, * servum tuum [*vel* ancillam tuam] in locum sperandæ sibi salvatiónis à misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberasti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ficut liberafti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ficut liberafti tres púeros de camíno ignis ardentis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ficut liberafti Sufannam de falfo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ficut liberafti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ficut liberafti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ficut beatiffimam Theclam, vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrociffimis tormentis liberafti, fic liberáre dignéris ánimam hujus * fervi tui [*vel* ancillæ tuæ;] & tecum fácias in bonis cœléftibus congaudére. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ,] precamúrque te, Dómine Jefu Chrifte, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram defcendifti, Patriarchárum tuórum sínibus infinuáre non rénuas. Agnófce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, fed à te folo Deo vivo & vero; quia non eft álius Deus præter te, & non eft fecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpectu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas fufcitávit furor mali defidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum fanctum non negávit, fed crédidit; & zelum Dei in fe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæfumus, ne memíneris, Dómine: fed fecúndùm magnam mifericórdiam tuam memor efto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli; collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam fúfcipe. Sufcípiat eam fanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœleftis méruit principátum. Véniant illi óbviàm fancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœleftem Jerúfalem. Sufcípiat eam beátus Petrus Apóftolus, cui à Deo claves regni cœleftis tráditæ funt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóftolus, qui dignus

dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro ea sanctus Joannes, electus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro ea omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc século sustinuérunt; ut vínculis carnis exúta, pervenire mereátur ad glóriam regni cœlestis, præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Psalmus Confitémini Dómino. 15. *& totus Psalmus* Beáti immaculáti in via: *per Horas Dominica distributus,* 16.

Egressâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, sperávi, non confundar in æternum, accélera ut éruas me: in manus tuas commendo spíritum meum: * Redemisti me, Dómine Deus veritátis; illustra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancillam tuam;] * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. *Ps.* 30. ℣. 2. 3. 6. 17. ℣. Dómine Jesu, suscipe spíritum meum. * Redemisti me. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléison, Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater noster. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73. 19.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] N. ut * defunctus [*vel* defuncta] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Qualibet Hora sequentis Officii incipitur absolutè.

AD VESPERAS.

Ant. 3. c. O Dómine.

Psalmus 114.

Dilexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: miséricors Dóminus, & justus, * & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In hoc Officio, in fine omnium Psalmorum & Canticorum dicitur:

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ant. 2. D. Heu mihi.

Psalmus 119.

Ad Dóminum cùm tribulárer clamávi;* & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus;* cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est!

Ant. 8. c. Auxílium.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 8. G. Si iniquitátes.

Psalmus 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israël in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit

Ant. 2. D. Opera.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo:

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me, * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges ter-

ræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Continuò dicitur:

Ad Magnif. *Ant.* 7. b. Cujus opus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. *Cor.* 3. 15.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. In memória ætérna erunt justi; ℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Ps.* 111. 7.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88. 49.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra viventium. *Ps.* 26. 13.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea; * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

℣. Requiescant in pace, ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi orationem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

In depositione Defuncti, Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussisti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctórum tuórum júbeas esse consortem.

Pro Diacono, post litteram N. *additur* Diáconi.

In depositione Defunctæ, Oratio.

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue.

In depositione Sacerdotis, Oratio.

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli fecisti dignitáte vigére: præsta, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum nostrum.

Pro Episcopo, loco Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

In Anniversariis dicuntur tres sequentes Orationes.

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * fámuli tui *N.* [Sacerdótis, *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] cujus [*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum] [*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos, & benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Pro omnibus Defunctis.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

Si aliud Officium non sequatur, dicitur :
Requiescant in pace.
℟. Amen.
[*Privatim pro patre & matre,*
Oratio.

Deus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepisti : miserére clementer animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.]

AD VIGILIAS.

Invitat. Regem cui ómnia vivunt, * Veníte, adorémus.

Psalmus Veníte. *In cujus fine, loco* Glória Patri, *dicitur* : Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

Dicitur in Commemoratione omnium Fidelium, & quando recitantur tria Nocturna.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturn. in Depositione corporis, & in omnibus Anniversariis ritu Duplici celebrandis. In iis verò quæ ritu Simplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. secundum; Feriâ IV. & Sabbato, tertium.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. E. In æternum.

Psalmus 5.

Verba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitátem : * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eórum, linguis

uis dolósè agébant ; * júdica illos , Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis ; secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos , * quóniam irritavérunt te , Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te : * in ætérnum exultábunt ; & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum , * quóniam tu benedíces justo.

Dómine , ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

Ant. In æternum exultábunt , Dómine ; & habitábis in eis.

Ant. 3. b. Tu, Dómine.

Psalmus 6.

DOmine , ne in furóre tuo árguas me , * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî , Dómine , quóniam infirmus sum : * sana me, Dómine , quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde ; * sed tu , Dómine , úsquequò ?

Convértere , Dómine , & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam ;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî ; * in inferno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo , lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus , * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me , omnes qui operámini iniquitátem , * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meã suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubescant valde velóciter.

Ant. Tu , Dómine , úsquequò ? Convértere , Dómine , & éripe.

Ant. 8. c. Réspice.

Psalmus 12.

USquequò , Dómine , oblivísceris me in finem ? * úsquequò avertis fáciem tuam à me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea , * dolórem in corde meo per diem ?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me ? * réspice , & exaudi me , Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos , ne umquam obdórmiam

in morte, * nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero; * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi; * & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Réspice, & exaudi, Dómine.

℣. Ut quid, Deus, repulísti in finem? ℟. Irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? *Ps.* 73. 1.

Secretò, Pater. *Clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Absolutione, & sine Benedictionibus.

De libro Job.

LECTIO I. *Cap.* 13. 22.

Job apud Deum queritur.

RESponde mihi: Quantas hábeo iniquitátes, & peccáta: scélera mea & delícta ostende mihi. Cur fáciem tuam abscondis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, ostendis poténtiam tuam, & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum, quod comédi-tur à tínea.

℟. ℣. Quóniam ibit homo in domum æternitátis suæ; *Revertátur pulvis in terram suam unde erat, & spíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. *Ecclef.* 12. 5. 7. ℣. Det illi Dóminus inveníre misericórdiam à Dómino in illa die. 2. *Tim.* 1. 18. * Revertátur.

LECT. II. *Cap.* 14. 1.

Fragilitas humana.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est, constituísti términos ejus qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat; donec optáta

véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. ij. Miseréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odísti eórum quæ fecísti; * Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 24. 25. 27.
℣. Quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

Lect. III. *Cap.* 14. 13.
Job corporum vaticinatur resurrectionem.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inferno prótegas me, & abscondas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putásne mórtuus homo rursùm vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expecto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti; sed parce peccátis meis.

℟. iij. Ne tradas, Dómine, béstiis ánimas confiténtes tibi; * Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73. 19. ℣. Dómine, miserére nostrî, Fili David. *Matt.* 20. 31. * Et ánimas.
℣. Réquiem. *Et ánimas.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. a. In médio.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguasti in óleo caput meum; * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniã tu mecum es, Dñe.

Ant. 8. G. Delicta.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meã; *

Deus meus, in te confido, non erubescam:

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delicta juventútis meæ * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via:

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini misericórdia & véritas, * requiréntibus testamentum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * & testamentum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meá, & labórem meum, * & dimitte universa delicta mea:

Réspice inimícos meos, quóniã multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me:

Custódi ánimam meam, & érue me; * non erubescam, quóniam sperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Delicta juventútis, & ignorántias ne memíneris, Dómine.

Ant. 7. ç. Exaudi.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea ;* quem timébo ?

Dóminus protector vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini,* & vísitem templum ejus ;

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo : * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea :* fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me : * ne declines in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto ; ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus ;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me;* quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age ; * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Ant. Exaudi, Dómine ; miserére ; ne avertas fáciem tuam.

℣. Ne avertátur húmilis, ℟. Factus confusus. *Ps.* 73. 21.

Ex Epístola S. Cypriáni Epíscopi ad Antoniánum.

Epist. 55. *edit. nova.*

LECTIO IV.

ALiud est ad véniam stare, áliud ad glóriam pervenire. Aliud missum in cárcerem non exíre inde, donec solvat novíssimum quadrantem; áliud statim virtútis & fidei ardóre mercédem accípere. Aliud pro peccátis longo dolóre cruciátuum emundári, purgári diu igne; áliud peccáta ómnia passióne purgasse. Aliud dénique pendére in diem judícii ad senténtiam Dómini, áliud statim à Dómino coronári.

℟. *iv.* Qui dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt * Alii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium, ut vídeant semper. *Dan.* 12. 2. ℣. In novíssima tuba; canet enim tuba, & mórtui resurgent. 1. *Cor.* 15. 52. * Alii.

Ex Oratióne sancti Ambrósii Epíscopi, de óbitu Theodósii Imperatóris.

LECTIO V.

TU solus, Dómine, invocandus es, tu rogandus. Da réquiem perfectam servo tuo, réquiem illam, quam præparasti servis tuis. Illò convertátur ánima ejus, unde descendit, ubi mortis acúleum sentíre non possit, ubi cognoscat mortem hanc non natúræ finem, sed culpæ. Dilexi, & ideò prósequor eum usque ad regiónem vivórum, nec déseram, donec fletu & précibus indúcam virum, quò sua mérita vocant, in montem Dómini sanctum, ubi perennis vita.

℟. *v.* Sancta & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, * Ut à peccátis solvantur. 2. *Mach.* 12. 46. ℣. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. *Hebr.* 13. 16. * Ut à peccátis.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi, de Verbis Apóstoli.

Serm. 32.

LECTIO VI.

ORatiónibus sanctæ Ecclésiæ, & sacrifício salutári, & eleemósynis, quæ pro eórum spíritibus erogantur, non est dubitandum mórtuos adjuvári: ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à pátribus tráditum univérsa obsérvat Ecclésia, ut pro eis qui in corpóris & sánguinis Christi communióne defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrifícium loco suo commemorantur, orétur; ac pro illis

e id offerri comme-
ır.Cùm eórum com-
ındórum causâ, ópe-
ericórdiæ celebran-
uis eis dúbitet suffra-
pro quibus oratió-
eo non ínaniter al-
ur? Non omníno
gendum est ista pro-
lefunctis; sed táli-
qui ita vixerint ante
m, ut possint hæc
eis esse post mortem.
vj. Dómine omní-
, ánima in angú-
& spíritus ánxius
t ad te: * Audi,
ne, & miserére;
ia Deus es miséri-
Baru. 3. 1. 2. ℣. Ju-
veræ sunt viæ tuæ,
eculórum. *Apoc.* 15.
Audi. ℣. Réquiem.
ia Deus.

II. NOCTURNO.

. 7. b. Propter ini-
em.

Psalmus 38.

xi: Custódiam vias
neas, * ut non de-
m in lingua mea.
i ori meo custó-
* cùm consísteret
or adversùm me.
nútui & humiliá-
n, & sílui à bo-
& dolor meus re-
is est.
cáluit cor meum
ne, * & in medi-
: mea exardéscet

itus sum in lingua
mea: * Notum fac mihi,
Dómine, finem meum,
Et númerum diérum
meórum, quis est; * ut
sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles po-
suisti dies meos; * &
substántia mea tamquam
níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa
vánitas, * omnis homo
vivens.

Verúmtamen in imá-
gine pertransit homo, *
sed & frustrà conturbá-
tur:

Thesaurízat, * & ignó-
rat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expe-
ctátio mea? nonne Dó-
minus? * & substántia
mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitá-
tibus meis érue me: *
oppróbrium insipienti de-
disti me.

Obmútui, & non apé-
rui os meum, quóniam
tu fecisti: * ámove à me
plagas tuas.

A fortitúdine manûs
tuæ ego deféci in incre-
patiónibus, * propter ini-
quitátem corripuisti hó-
minem:

Et tabéscere fecisti si-
cut aráneam ánimam
ejus: * verúmtamen va-
nè conturbátur omnis
homo.

Exaudi oratiónem meã,
Dómine, & deprecatió-
nem meam, * áuribus

pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrinus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Propter iniquitátem corripuisti hóminem: exaudi oratiónem, Dómine.

Ant. 3. b. Numquid qui dormit.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluisti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepisti; * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israël à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére.

Ant. 2. D. In die.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & appa-

rébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam ; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei ;

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est ; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ : * dicam Deo, Susceptor meus es ;

Quare oblítus es meî, * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei ;

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. In die mandávit Dóminus misericórdiam suam.

℣. Usque in séculum tu es Deus ; ℟. Ne avertas hóminem in humilitátem. *Ps.* 89. 2. 3.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lect. VII. *Cap.* 15. 1.

Christus resurrexit à mortuis.

Notum vobis fácio, fratres, Evangélium, quod prædicávi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvámini : quâ ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustrà credidistis. Trádidi enim vobis imprímis, quod & accépi : quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secundùm Scriptúras, & quia sepultus est, & quia resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras, & quia visus est Cephæ,

& post hoc Undecim. Deinde visus est plus quàm quingentis frátribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt.

℟. *vij*. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. *Job*. 19. 25. 26. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. 1. *Cor*. 15. 53. * Et in.

LECTIO VIII. *v*. 20.

Futura corporum resurrectio, & ordo.

NUnc autem Christus resurrexit à mórtuis primítiæ dormiéntium : quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum : & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo órdine : primitiæ Christus : deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus credidérunt. Deinde finis ; cùm tradíderit regnum Deo & Patri, cùm evacuáverit omnem principátum, & potestátem, & virtútem. Oportet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors. Omnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cùm autem dicat : Omnia subjecta sunt ei ; sine dúbio præter eum, qui subjécit ei ómnia.

℟. *viij*. Redemptor noster, à século nomen tuum ; * Convértere propter servos tuos, tribus hæreditátis tuæ. *Is*. 63. 16. 17. ℣. Quóniam occísus es, Dómine, & redemisti nos. *Apoc*. 5. 9. * Convértere.

LECTIO IX. *v*. 28.

Resurrectio corporum fidei fundamentum.

CUm autem subjecta fúerint illi ómnia : tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizantur pro mórtuis, si omninò mórtui non resurgunt ? ut quid & baptizantur pro illis ? ut quid & nos periclitámur omni horâ ? Quotídiè mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si (secundùm hóminem) ad béstias pugnávi Ephesi, quid mihi prodest, si mórtui non resurgunt ? Manducémus, & bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci : corrumpunt mores bonos

colloquia mala. Evigiláte, justi, & nolíte peccáre: ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor.

Dicitur Responsorium ut sequitur quoties fit Officium novem Lectionum.

℟. *ix.* Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Israël, & filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te. * Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum: † Sed meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. *Baruc.* 3. 4. 5. 6. ℣. Parce, Dómine, parce pópulo tuo: *Joel.* 2. 17. * Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum: † Sed meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Ne des hæreditátem tuam in oppróbrium. *Joel.* 2. 17. † Sed meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto; § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Exaudi, Dómine; placáre, Dómine. *Dan.* 9. 19. § Quia tu es Dóminus Deus noster, ¶ Et laudábimus te, Dómine. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis. ¶ Et laudábimus te, Dómine. *Rep.* Audi nunc, *usque ad* ℣. Parce.

[*Quando Vigiliæ celebrantur manè, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.*]

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absolve, quæsumus, Dómine, ánimam * fámuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ *N.*] [*vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* & *N.* *vel* famulárum tuárum *N.* & *N.*] & ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos & electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

In Psal. Miserére. cix.

Ant. 1. *g.* Secundùm multitúdinem miseratió-

num tuárum dele iniquitátem.

Ant. 8. G. Tibi Deus.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion, * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ: * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitasti terram, & inebriasti eam: * multiplicasti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum, * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multiplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa deserti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Tibi, Deus, reddétur votum in Jerúsalem; ad te omnis caro véniet.

Ant. 3. b. Propter.

Psalmus 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam: áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sǽculi; & anxiátus est super me spíritus meus: * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum an-

tiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis;* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam ;* quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tribulant ánimam meam;* quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis in æquitáte tua.

Ant. 4. E. Miserére.

Canticum. Baruch. 3.

DOmine omnípotens, Deus Israël, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors ; * & miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israël, * audi nunc oratiónem mortuórum Israël,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum ; * sed meménto manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto :

Quia tu es Dóminus Deus noster ; * & laudábimus te, Dómine.

Ant. Miserére, quia Deus es miséricors.

Ant. 7. b. Omnis spíritus.

Psalmus 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedict. *Ant.* 4. f. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Fílii Dei, & procédent qui bona fecérunt in resurrectiónem vitæ. *Joan.* 5. 28. 29.

Pater. *& cætera, ut suprà in Vesperis,* cxxv. *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis. cxxiv.

A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Quadragesimæ usque ad Vesperas Sabbati ante Festum sanctissimæ Trinitatis, dicuntur sequentes Lectiones in tria Nocturna distributæ juxta Feriam occurrentem, quoties dicitur tantùm unum Nocturnum.

FERIA II. & V.

Dicitur primum Nocturnum, ut suprà, p. cxxvj. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De libro Job.

LECTIO I. *Cap.* 19. 20.

Job super futura resurrectione seipsum consolatur.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tetigit me: quare persequímini me, sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribantur sermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum; & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. j. Quóniam. *pag.* cxxviij.

Ex Homília sancti Joannis Chrysóstomi in Epístolam primam ad Corinthios.

Homil. 41. *sec.* 4.

LECTIO II.

NOn absque re qu adstat altári, dum v

a peraguntur my-
clamat pro ómni-
i in Christo dor-
it. Non sunt enim
træ ludi scénici ,
hæc enim fiunt or-
ne Spíritûs. Iis er-
em ferámus , &
moratiónem eó-
ragámus. Si enim
lios expiábat patris
ium ; quid dúbitas,
is pro eis qui ex-
it offeréntibus , eis
áliqua consolátio ?
enim Deus étiam
iis gratificári. Et
endébat Paulus di-
it multis persónis ,
æ in nobis est do-
s per multos grá-
antur pro nobis.
ij. Miseréris. *pag.*

ístola prima beáti
Apóstoli ad Thes-
salonicenses.
o III. *Cap.* 4. 12.
*rrectionis futuræ
modus.*
Olumus vos igno-
áre, fratres, de dor-
bus , ut non contri-
i , sicut & céteri ,
em non habent. Si
rédimus quòd Jesus
is est , & resurre-
ta & Deus eos qui
érunt per Jesum ,
t cum eo. Hoc enim
dícimus in verbo
ii , quia nos qui ví-
, qui resídui sumus

in adventum Dómini , non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu , & in voce Archángeli , & in tuba Dei descendet de cœlo : & mórtui , qui in Christo sunt , resurgent primi. Deinde nos , qui vívimus , qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áëra ; & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. *iij.* Ne tradas. *pag.* cxxix.

FERIA III. ET VI.

Dicitur II. Nocturnum, ut suprà, pag. cxxix. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 37. *v.* 1.

Aridorum ossium revivíscentia.

Facta est super me manus Dómini , & eduxit me in spíritu Dómini ; & dimísit me in médio campi , qui erat plenus óssibus ; & circumduxit me per ea in gyro : erant autem multa valde super fáciem campi , siccaque vehementer. Et dixit ad me : Fili hóminis , putasne vivent ossa ista ? Et dixi : Dómine Deus , tu nosti. Et dixit ad me : Vaticináre de óssibus istis : & dices eis : Ossa árida , au-

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ad Benedict. *Ant.* 4. f. Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, áudient vocem Fílii Dei, & procédent qui bona fecérunt in resurrectiónem vitæ. *Joan.* 5. 28. 29.

Pater. *& cætera, ut suprà in Vesperis,* cxxv. *excepto quòd loco Psalmi* Lauda, *dicitur Ps.* De profundis. cxxiv.

A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Quadragesima usque ad Vesperas Sabbati ante Festum sanctissimæ Trinitatis, dicuntur sequentes Lectiones in tria Nocturna distributa juxta Feriam occurrentem, quoties dicitur tantùm unum Nocturnum.

FERIA II. & V.

Dicitur primum Nocturnum, ut suprà, p. cxxvj. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De libro Job.

LECTIO I. *Cap.* 19. 20.

Job super futura resurrectione seipsum consolatur.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me : quare persequímini me, sicut Deus, & cárnibus meis saturámini ? Quis mihi tríbuat ut scribantur sermónes mei ? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice ? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum; & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius : repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. *j.* Quóniam. *pag.* cxxviij.

Ex Homília sancti Joannis Chrysóstomi in Epístolam primam ad Corínthios.

Homil. 41. *sec.* 4.

LECTIO II.

NOn absque re qui adstat altári, dum ve-

neranda peraguntur mystéria, clamat pro ómnibus qui in Christo dormiérunt. Non sunt enim res nostræ ludi scénici, absit: hæc enim fiunt ordinatióne Spíritûs. Iis ergo opem ferámus, & commemoratiónem eórum peragámus. Si enim Jobi filios expiábat patris sacrificium; quid dúbitas, an nobis pro eis qui excessérunt offeréntibus, eis existat áliqua consolátio? Solet enim Deus étiam pro áliis gratificári. Et hoc ostendébat Paulus dicens, ut multis persónis, ejus quæ in nobis est donatiónis per multos grátiæ agantur pro nobis.

℟. *ij.* Miseréris. *pag.* cxxix.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

Lectio III. *Cap.* 4. 12.

Resurrectionis futuræ modus.

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut & céteri, qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mórtui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in äëra; & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. *iij.* Ne tradas. *pag.* cxxix.

FERIA III. ET VI.

Dicitur II. Nocturnum, ut suprà, pag. cxxix. *cum sequentibus Lectionibus & Responsoriis.*

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio I. *Cap.* 37. *v.* 1.

Aridorum ossium revivifcentia.

FActa est super me manus Dómini, & eduxit me in spíritu Dómini; & dimísit me in médio campi, qui erat plenus óssibus; & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super fáciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hóminis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticináre de óssibus istis: & dices eis: Ossa árida, au-

in igne revelábitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probábit. Si cujus opus mánſerit, quod ſuperædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árſerit, detrimentum patiétur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.

℟. *iij.* Audi nunc. *pag.* cxxxvij.

Dicitur tantùm primus Verſus, deinde Réquiem. ¶ Et laudábimus.

COMMENDATIONES.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

℟. MIſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes; & diſsímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odiſti eórum quæ feciſti: * Parcis ómnibus; quóniam tua ſunt, Dñe, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 24. 25. 27. ℣. Quia tu es Chriſtus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos indúcas.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta] ſéculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem mundánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordiſſimæ pietátis abſterge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

MIſericórdiam tuam, Dómine ſancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro noſtris rogáre peccátis nequáquam ſufficimus; tamen de tua confíſi gratúitâ pietáte & inólitâ benignitáte, cleméntiam tuam depóſcimus, ut ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] ad te reverténtem, cum pietáte ſuſcípias: adſit ei Angelus teſtamenti tui Míchaël, & per manus ſanctórum Angelórum tuórum inter ſanctos & electos tuos in ſínibus Abrahæ, Iſaac & Jacob Patriarchárum tuórum, eam collocáre dignéris, quátenus liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis ſeu fragilitátis confundátur erróribus; ſed agnoſcátur à Sanctis tuis, & beatitúdinis réquie perfruátur: atque cùm magni judícii dies advénerit, inter ſanctos & electos tuos * reſuſcitátus

! resuscitata] gló-
ıifestæ contempla-
ıæ perpétuò satié-
:r Christum Dó-
nostrũ. ℟. Amen.
alm. In éxitu 29.
s fine dicitur Ré-

7. ℣. Qui timent
um, speravérunt in
o; adjútor eórum
tector eórum est.
. 11.

Orémus.

ınípotens sempi-
:rne Deus, qui hu-
órpori ánimam ad
ıdinem tuam ins-
lignátus es: dum,
nte, pulvis in púl-
revértitur; tu imá-
tuam cum sanctis
tis tuis æternis sé-
præcípias sociári;
: ad te reverteniem
ʳpti pártibus, blan-
iterque suscípias,
elos tuos sanctos
àm mittas; viam-
i justítiæ demon-
: portas glóriæ tuæ
Repelle, quæsu-
Dómine, ab ea
príncipes tenebrá-
ẞ agnosce depósi-
éle quod tuum est.
:, Dómine, crea-
tuam, non à diis
creátam, sed à te
eo vivo & vero;
ɔn est álius Deus
te, Dómine, &
t secundùm ópera
z. Carc.

tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, & clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii: licèt enim peccáverit, tamen te non negávit; sed signo fidei insignita, te qui ómnia, & eam inter ómnia fecisti, fidéliter adorávit; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

In Ps. Dilexi. 50. Crédidi. 104. Laudáte Dóminum, omnes gentes. 136. Confitémini. 15. *&* Beáti immaculáti. 16. *integrè.*

Antiph. sola 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, & perícula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam. *Ps.* 114. 3. 4.

Orémus.

DIri vúlneris novitáte perculsi, & quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus; ut * cari nostri *N.* [*vel* caræ nostræ *N.*] ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverteniem blandè leniterque suscípias; & quas ex carnáli commoratióne contraxit maculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte clementer deleas,

Chorus, Amen: Piè indúlgeas, *Chorus*, Amen: Oblivióni in perpétuum tradas, *Chorus*, Amen: Atque hanc laudem tibi cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas, Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Pater, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætternam dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24. 13.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. A porta ínferi; ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus. *Ps.* 88. 49.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ *N.*] vitamque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem; præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ *N.*] terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum. ℟. Amen.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ,

ANTE PRANDIUM.

BEnedícite. ℟. Dñs. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144. 15. 16.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò, Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, domne, benedícere.

Bened. Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In fine Lectionis, dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO post Prandium.

COnfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & Sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. 10. Glória Patri, &c.

Qui benedixit mensam, dicit:

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Psal. Miserére. 145. *Si verò non procedatur, dicitur Ps.* Laudáte Dóminum, omnes gentes. 136. *Qui Psalmus semper dicitur quando absolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

In fine Psalm. dicitur Glória Patri. *deinde* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. *Ps.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant mansuéti, & læténtur. *Ps.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, ℟. Ex hoc nunc, & usque in sǽculum. *Ps.* 112. 2.

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

Benedicámus Dómino.

Secretò, Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

BEnedícite. ℟. Dñs. Edent páuperes & saturabuntur; & laudá-

bunt Dóminum qui requírunt eum : vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. 27. Glória Patri, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater noster. *Clarâ voce*, Et ne nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum.

℟. Amen.

Ad Lect. Bened. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post Cœnam.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. 4. Glória Patri & Fílio & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio & nunc & semper, &c.

Qui benedixit mensam dicit :

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

Psal. & rel. cxlvij.

IN JEJUNIIS, *ad refectionem, fit Benedictio mensæ & Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.*

Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias, mutatur diebus infrà scriptis, ut sequitur.

AD UTRAMQUE refectionem.

FERIA IV. V. ET VI. Majoris Hebdomadæ,

BENEDICTIO.

CHristus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philipp.* 2. 8.

Pater. *totum secretò. Deinde nihil dicendo, signo crucis benedicitur mensa; quæ benedictio Feriâ sextâ omittitur.*

Ad Lect. non datur benedictio, nec dicitur Tu autem.

GRATIARUM ACTIO.

CHristus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* 2. 8.

Psalm. Miserére. *sine* Glória. Pater. *totum secretò.*

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre tormentum; *secretò*, Qui tecum vivit & regnat, &c.

SABBATO SANCTO.

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dñus. Cùm transísset Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, &

Salóme emérunt arómata, ut venientes úngerent Jesum, allelúia. *Marc.* 16. 1.

Kyrie, eléison. *& reliqua, ut suprà.* cxlvj.

GRATIARUM ACTIO.

VEspere autem Sábbati, quæ lucescit in prima Sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María, vidére sepulcrum, allelúia. *Matth.* 28. 1.

Benedíctus Deus in donis suis, &c. cxlviij.

Ps. Laudáte Dóminum, omnes gentes. 136. Kyrie. Pater. ℣. Dispersit. *& reliqua ut suprà.* cxlvij.

IN DIE S. PASCHÆ, *& usque ad prandium sequentis Sabb. inclusivè.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dñus. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea. allelúia. *Ps.* 117. 24.

Glória. Kyrie, eléison. *& reliqua, ut suprà,* cxlvj.

GRATIARUM ACTIO.

HÆc dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea, allelúia. *Ps.* 117. 24.

Glória. *& reliqua omnia ut suprà*, cxlvij. *excepto quòd loco Psalmi* Miserére. *dicitur Ps.* Confitémini. 15.

IN ASCENSIONE DOMINI, *& usque ad Vigil. Pentec.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dñus. Ascendens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia. *Ephes.* 4. 8.

Glória. Kyrie. *&c.* cxlvj.

GRATIARUM ACTIO.

AScendit Deus in júbilo, allelúia, & Dóminus in voce tubæ, allelúia. *Ps.* 46. 6.

Glória. *& reliqua ut suprà*, cxlvij. *excepto quòd loco Ps.* Miserére. *dicitur Ps.* Omnes gentes. 47.

IN PENTECOSTE, *& per Hebdomadam.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dñus. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia; & hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia. *Sap.* 1. 7.

Glória. Kyrie. *&c. ut suprà*, cxlvj.

GRATIARUM ACTIO.

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúia, & cœpérunt loqui, allelúia. *Act.* 2. 4.

Glória. *& reliqua ut suprà* cxlvij. *excepto quòd loco Ps.* Miserére. *dicitur Ps.* Magnus Dñus 140.

gratiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ charitáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri; ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet, & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica, ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit & regnat Deus. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Canticum. Benedícite. 11. *Ps.* Laudáte Dóminum in sanctis ejus. 61.

Ant. Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sǽcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. Et ne nos, &c.

℣. Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Psal.* 144. 10.

℣. Exultábunt sancti in glória: ℟. Lætabuntur in cubílibus suis. *Psal.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed

nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113. 1.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigasti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere: ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere; qui beáto Lauréntio tribuisti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



in igne revelábitur ; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit, quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur : ipse autem salvus erit ; sic tamen quasi per ignem.

℟. iij. Audi nunc. pag. cxxxvij.

Dicitur tantùm primus Versus, deinde Réquiem.

¶ Et laudábimus.

COMMENDATIONES.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

℟. MIseréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes ; & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam : nihil odisti eórum quæ fecisti : * Parcis ómnibus ; quóniam tua sunt, Dñe, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 24. 25. 27.

℣. Quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Joan.* 11. 27. * Parcis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce*, Et ne nos indúcas.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui *N.* ut defunctus [*vel* fámulæ tuæ *N.* ut defuncta] sǽculo, tibi vivat : & quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

MIsericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus ; tamen de tua confísi gratuítâ pietáte & inclitâ benignitáte, cleméntiam tuam deposcimus, ut ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] ad te reverténtem, cum pietáte suscípias : adsit ei Angelus testaménti tui Míchaël, & per manus sanctórum Angelórum tuórum inter sanctos & eléctos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac & Jacob Patriarchárum tuórum, eam collocáre dignéris, quátenus liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus ; sed agnoscátur à Sanctis tuis, & beatitúdinis réquie perfruátur : atque cùm magni judícii dies advénerit, inter sanctos & electos tuos * resuscitá-

tus


FINIS.


INTONATIONES, MEDIATIONES & Terminationes Psalmorum & Canticorum.


In hocce Breviario quisque modus cantandi, quem vulgò tonum vocant, suo numero notatur ad Antiphonas; & variæ uniuscujusque modi terminationes suis litteris designantur; terminationes completæ litterâ majusculâ, terminationes verò incompletæ litterâ minusculâ. Terminatio completa in versibus Psalmorum, ea est cujus ultimus sonus idem est ac ultimus sonus Antiphonæ quæ præcessit; verbi gratiâ, in primo & secundo modo terminatio in la *inferiori, vel in* re*; in tertio, terminatio in* mi*, & sic de cæteris: Terminatio verò incompleta seu suspensa, ea est cujus ultimus sonus alius est ac ultimus sonus Antiphonæ ejusdem modi; exempli gratiâ, in primo modo, terminationes in* la*, in* sol*, in* fa.

Notandum verò est quòd loco syllabarum, ut, re, mi, fa, sol, la, si, *hæ terminationes compendii causâ per unam è septem primis litteris alphabeticis in hocce libro fuisse designatas, ita ut more veterum* a *designet chordam* la; b *chordam* si; c *chordam* ut; d *chordam* re; e *chordam* mi; f *chordam* fa; g *chordam* sol.

I. Modus in A.

A 






Facta est Ju-dæ-a sancti-fi-ca-ti-o




e-jus: Ad-ji-ci-at Domi-nus super vos.

Clavis ut plurimum sic transponitur.




Glo-ri-a Patri, & Fi-li-o.




Magni-ficat a-nima. secu-lorum. Amen.

e u o u, A e.


I. Modus in D.



Di-xit Dominus Domino me-o *vel* me-o:




Sede à dextris me-is. seculorum. A-men.



Magni-fi-cat. e u o u a e.

Sequens terminatio, licèt completa, designatur per numerum, J. *caudatum.*



Spi-ri-tu-i sancto.

Sequuntur terminationes incompletæ de primo modo.

f. vel *f.*

e u o u a e.

g. g.

e u o u a e. e u o u a e.

a. *vel a.*

e u o u a e.

II. Modus in A.

Nunc di- mittis servum tuum, Domine:

se- cundùm verbum tu- um in pa- ce.

e u o u a e.

II. Modus in D.

Di- xit Do-mi-nus Domi- no me- o.

Bene-di- ctus Dominus De- us Is- ra-ël.
Et e- re- xit cornu sa- lu- tis no- bis.



Di-xit Domi-nus Dom

Se- de à dextris me- i

E

e u o u a e.

vel


e u o u a


a.
vel a.

e u o u a e.


vel


e u o ŭ a e.



Bene- dictus Dominus De- us Iſ-ra- ël.



Magni- fi-cat.


IV. Modus in E.



Be- a- tus vir qui ti- met Do-


mi- num: in manda- tis e-jus vo- let


ni- mis. ſe- cu- lo- rum. A- men.


E.
e u o u a e.


E.
e u o u a e.


D.
e u o u a e.


f.
e u o u a e.
a.
e u o u a e.

Alia species IV. Modi.

A

Lauda- te Do- minum de cœlis : lauda-

te e- um in excel- sis.

In Canticis Evangelicis.

Be- ne- dictus Dominus De- us Is- ra- ël.
Et e- re- xit cornu sa- lu- tis no- bis.

Bene- dictus Dominus De- us Is- ra- ël.

V. Modus.


C

Dixit Do- minus Domino me- o : Sede

à dextris me- is.

Sed clavis vulgò sic transponitur.


Di- xit Domi- nus Do- mino me- o :




Se-de à dex-tris me-is.



Spi-ri-tu-i ſancto. a. e u o u a e.




Be-ne-dictus Dominus De-us Iſ-ra-ël.




Magni- fi- cat.


VI. Modus.



Lauda- te, pu-e-ri, Domi-num: laudate




nomen Domi- ni. Spi-ri-tu-i ſancto.




e u o u a e. Magni- fi- cat.

In C. verò ſic vulgò notatur cum b *molli.*




Nunc di-mittis ſervum tuum, Domine:




ſecundùm verbum tu-um in pa- ce:

Aut ſine
b *molli.*




Nunc di- mit- tis.

VII. Modus.




Di-xit Domi-nus Domi- no me- o :




Se- de à dextris me- is.

G




e u o u a e.

in a.



e u o u a e.


b.



ç.


e u o u a e. e u o u a e.

c.




e u o u a e.


d.



e u o u a e.



e u o u a e.




Be-ne- dictus Dominus De- us If- ra- ël.
quod lo- cu- tus sum.
qui potens est.




Magni- fi- cat.


VIII. Modus.




Lauda- te pu-e- ri Dominum: lauda- te




nomen Domi- ni.



e u o u a e.



e u o u a e.



e u o u a e.


Be-ne- di- ctus Do- mi- nus De- us
Is- ra- ël.
Magni- fi-cat a- nima.





